CLAUDII COTERAEI ... DE JURE, ET PRIVILEGIIS MILITUM LIBRI...

Claude Cottereau, Joachim Cluten, ...

CLAUDII CO-TERÆI TURONEN-SIS JURISCONSULTI CLARISSIMI,

De

JURE, ET PRIVI-LEGIIS MILITUM

LIBRI TRES.

ET

DE OFFICIO IMPERATORIS
Liber singularis, non magis ipsi Imperatori, quàm cuivis aliȷ communis prudentiæ studioso, utilis.

Nunc primùm in Germania in lucem editi,

Curâ & Studio

JOACHIMI CLUTEN PAR-chimensis Megalopolitani.

Cum singulorum Capitum, Rerum, & Verborum Indice luculentissimo.

AUGUSTÆ TREBOCORUM,
Typis Joannis Caroli. Anno 1610.

AMPLISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS VIRIS, PIETATE, virtute, ac multiplici rerum Politicarum uſu præſtantiſſimis, Dnn. Conſulibus & Senatoribus antiquæ, & laudatiſſimæ Parchimenſium Reipublicæ, Dominis favitoribus meis unicè colendis, S. P. D:

PLATO in divina illa ſua de legibus inſtitutione, Viri Ampliſſimi & Prudentiſſimi, favitores honorandi, inter prima commemorat in omni Republica præſcribi, caveriq́; oportere, ne cui liceat, quæ compoſuerit, aut privatim oſtendere, aut in uſum publicum edere, antequam ea conſtituti ſuper id iudices, viderint, nec damnarint. Vtinam & hodiè (exclamat alicubi Hermolaus Barbarus orator Venetus) hæc lex haberetur: neq; enim tàm multi ſcriberent, neq; tàm pauci bonas literas diſcerent. Nunc & copia malorum librorum offundimur, & omiſſis &

amissis ferè eminentissimis auctoribus, plebeios & minutulos consectamur. Non mirum,

——tenet insatiabile multos
Scribendi cacoëthes.

Caligulam facem & Phaetontem orbis terrarum laudat disertissimus Ioannes Passeratius, quod id genus Aquinos, Cæsios, Volusios spongia linguáve delere scripta sua iusserit, & interdum scripta ipsa ferulis obiurgari, aut in profluentem abyci mergiq; imperaverit. Sed quid hæc ad me? doctis relinquo iudicium, meam ego litem non facio, nec faciam, ne odia & offensiones multorum incurram, aut crabrones (ut aiunt) irritem. Quando tamen militiæ togatæ sacramentum adij, capitale est decedere præsidio. Equidem statui, modò aliquid in me facultatis sit, non rixando iurgandóve, sed sacros Antiquorum manes, ab orco & interitu illorum monumentis vindicandis, tineis & blattis eripiendis, mihi devinciendo, literarium bonum amplificare, studiumq; meum studiosæ Iuventuti, & viris candidè doctis probare. Iccirco doctis solùm, & nomine dignis scriptoribus pridem vita functis, operam meam qualem qualem na-

lem navare, mihi in animo est. Quibus Claudium Coteræum, *cuius hoc opus de Iure & privilegiis militum vobis Viri Amplissimi & Prudentissimi à me dicatur, annumerandum existimavi. Quam enim laudem Guilielmo Budæo, Andreæ Alciato, Andreæ Tiraquello, Vdalrico Zasio, Claudio Cantiunculæ, Iacobo Cuiacio, Antonio Goveano, Antonio Contio, Francisco Duareno, Hugoni Donello, Francisco Hotomanno. Aeguinario Baroni, Barnabæ Brissonio & aliis, in explicandis iuris argumentis eruditi tribuunt, eam illi communem libris his legendis perspicietis. Submissum & placidum scribendi genus habet; lenem & æquabilem orationis formam sequitur, quæ rem ab eo susceptam decet. Ordine & argumentorum tractatione cedit prorsus nemini. Re magis, quàm verborum tectoriolis exurgit. Quid multis? longè pluribus partibus acutius & altius sapit, quam primâ statim lectione conijciatis. Non deerunt tamen velut omnium lucubrationibus censendis præfecti, qui nunc quædam detrahenda, nunc plura addenda censebunt, signabunt. Sed falsò illi putabunt doctorum labores suis insanis maledictis vel*

tantillum labefactari, vel modo ullo convelli posse. Cessent illi violare sanctitatem manium. Verùm non tàm est immanitas violare manes, quàm humanitas violatos manes ulcisci. Vos, Viri Amplissimi & Prudentissimi, hoc alienæ liberalitatis munus chartaceum, tanquam devoti animi μνῆμα, *placidè pro vestrâ humanitate suscipite, eiusq́ꝫ pondus ex donantis animo metiri ne gravemini. Hoc si feceritis (ut minimè dubito) ad maiora aspirandi calcar mihi addideritis, & indies meliora & sublimiora, Deo Opt. Max. vires suggerente, à me expectabitis. Valete Viri Prudentissimi & rem benè gerite, Deo actiones vestras fortunante. Augustæ Trebocorum, ex Musæo meo, pridiè Epiphaniæ, anni 1610.*

VV. Ampl. & Prud.

Addictiss.

Joachimus Cluten Parchimensis Megalopolitanus.

IN NOVAM CLAUDII COTERAEI DE IURE ET *Privilegijs militum editionem à* Joachimo Cluten Megapolitano *adornatam.*

FErro publica res tuenda & armis:
Legum publica res regenda nervo:
Sic leges coëunt & arma in unum:
Ut quanquam illa aliena ſint ab iſtis,
Et leges ſileant apud Gradivum:
Communi tamen illigata vinclo,
Sint concordia publicę ſaluti:
Et ſanctæ tueantur arma leges,
Et ſanctas tueantur arma leges.
Hanc rerum *Coteræus* inſecutus
Naturam, Themidos gravis ſacerdos,
Martis præcipuum atque ſingulare
Jus totum explicat, Hercules, diſertè.
Quod Clutenius impiger, ſuetus
Ferre ac vincere maximos labores
Grato munere reddidit. beatos
O nos, ſi liceat frui quietis
Sancto hoc fœdere Martis ac Themiſtos,

Alterna auxilia invicem petentûm
Communique bono invicem ferentûm.

Iustus Meierus I.V.D. & Professor Publicus in Academia Argentinensi.

MILES togatæ militiæ impiger
Cluteni, in aulâ nate Heliconiâ
Ad dissipandos, gloriosæ
Vocis ope, ambiguos tumultûs
Caussarum: honoræ qui penitralia
Tutaris Astrææ & Themidos domum:
Qui publicis privisq; rebus
Ingenio potis es mederi.
Certè dolendum est carmine flebili;
Quàm multa, quàm præclara volumina
Scientiarum, seu Pelasgum
Seu Latium videas ad ortum.
Iniuriosi temporis armiger,
Aut mollitudo ignobilis otij
Fugârit ad Lethes baráthrum,
Cordolio Aonidum inquieto.
Quis angulorum absorbuit Aeschyli?
Quis Accij, quísve Archilochi, quis &
Anacreontis, quis Philetæ,
Quis vel Aristophanis libellos

Cla-

Clathris recondit? Galli elegídia
Sub quo latescunt carcere? quis locus
Tragœdias Comœdiásve
Aut Satyras habet Ennianas?
Luget peremtos Pythius incola
Ad Hippocrenes flumina Rhetoras.
Vix mellilingues Tulliani
Eloquij Veneres redundant.
Evanuerunt historiographi.
Quidquid relictum est, fracta cadavera,
Semustulatos & lacertos,
Membraq́ dilacerata monstrat.
Cladem hanc levarunt Scaligeri *Enthei,*
Et Lipsiani *robur Apollinis.*
Redintegrat vi pertinaci,
Quod reliquum, Genius Gruteri.
Iam-nunc Cluteni *te quoq́ fervido*
Titillat œstro, & Iuris aculeo
Pollex Themistæ, COTERAEI
Eximium revocare Librum:
Qui militaris Jura peritiæ
Explanat. Istis macte laboribus!
Sic fulcifrontem olim senectam,
Sic maciem & niveos capillos
Cadaverosi dispulit Aesonis
Medéa. Cressâ sic Epidaurius
Demortuos quondam medelâ
Restituit patrias ad oras.

cla-

Perge ô Cluteni *perge! nec æstima,*
Quid Zoilorum vipera avernica,
Blennive plebis bucculenta
Insipidis blaterent labellis.
Indulget alas Fama tibi; arduum
Queis elevabis te super æthera:
Et audies plausu insolente
Arbiter Eunomiæ Dicesq;.

Modulabar Argentorati, Calend. Ianuar. Anno M D C X.
L. Mqs,

JANUS HEERmannus ex Elysiis
Rauténas, P.L.Cæs.

Quàm

QUàm Pallas Bellona olim cognomine vero
Dicta sit, hoc clarè testificatur Opus.
Nimirum ut præter Literas, aliquando potenti
Marti jungatur, belligerosq; regat.
Dum tuba terribili ciet agmina densa tumultu,
Accēdat Mavors tunc fera corda suis.
Hîc Pallas Bellona docet, quo milite bella
Legitimo præstans Induperator agat.
Militibusq; suas leges, & jura recludit.
Num sua sic belli munia Pallas habet?

Stephanus Doletus.

ARGV-

ARGUMENTA CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

XXII.

LIBRI SECUNDI.

IX. De

LIBRI

ARGVMENTA CAPITVM.

LIBRI TERTII.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, AC D. DOMINO JOANNI BELLAJO Titu. Sanctæ Ceciliæ Præsbytero Cardinali, Pariſienſi Epiſcopo Claudius Coteræus S.

QUICUNQUE PERfectum Reipublicæ ſtatum rectè conſtituere meditantur R. P. magno primùm ſtudio providere illi debent, ut & armis, & legibus, tanquam benè jactis fundamentis, eximiè ſit ea ſtabilita. Leges enim armis junctæ non ſolùm Reſpublicas amplificant, ſed etiam præcipitantes ſuſtentant, inclinatas erigunt, & ab interitu revocatas eò loci demum ponunt, ut ad honores non vulgares producantur. Quare quiſquis eas aliquo in ſtatu, quem omnes optare debemus, collocare deſiderat, & immortali poſteritatis memoria cohoneſtari cupit, tum pro-

priis, non aliunde accersitis armis tueri, tũ antiquis legibus, statutisq; easdem temperare oportet. Jam verò si Majorum leges, & exempla in consilium adhibemus, sunt illi nobis quidem diligenter imitandi, qui suis militibus, non auxiliaribus, aut mercenariis copiis Respublicas defendi debere docuerunt. Quod consilium cum gravissimorum Imperatorum, atque etiam Philosophorum summa autoritate nititur, tum perpetua, atque constanti ratione facilè corroborari potest. Nimirum dum rudem rei militaris exercitum ad bella, propositis stipendiis, comparas, non vides, quàm in apertum, imminensque periculum te ipse conjicias? quantam hostibus victoriæ occasionem præbeas? quantam cladis inferendæ facultatem relinquas! Ea namque pecunia, quæ ob hoc tantùm tibi collata est, ut aliquam disciplinam tractes, & exerceas, non potest non pessimè collocari, si disciplinæ à te expectatæ rationem ignoraris. Qui autem militarem artem probè, & exactè tenent, eos si ad bellum constituta mercede evocas, non inter caligatos, infimique ordinis milites consenescere, sed ad amplissimos honores, atque adeo (ut fert ingenui animi celsitudo) ad Imperatoris gradum aspirare omni impetu

impetu contendent. Virtutis nempe ſtudium, quod in excellentiſſimo quôque milite inſidet, animos noctes, dieſque addit, ſpiritus generoſos attollit, ut non ſemper jacêre, ſed in ſummas dignitates tandem aliquando efferri impotenter aveat. Hinc Imperatores ipſos paulò minus gloria militari celebres à militibus laudis amore inflammatis opprimi: Reſpublicas item per vim nefariè occupari videas. Quòd ſi fœderatorum, & ſociorum auxilia in exercitu expetis, ac illorum virtute fractis, profligatiſque hoſtibus victoriam conſequare, vide quæſo, ne, ſi te id temporis æquent viribus, autoritate quoque æquare velint: ſi à rebus bello neceſſariis paratiores ſint, imperare, & primas tum victoriæ, tum prædæ parteis ſibi vendicare conentur. Sin autem cum auxiliaribus copiis profligabere, ecquod tibi præſidium comparaſti? quid profuit extraneorum arma ex tam loginquis locis petere? Putáſne illos ob numerata ſtipendia tot pericula, laboreſque æquo animo ſubituros? &, ſi neceſſe fuerit, mortem inſigni animi alacritate oppetituros? Hos verò tam parvi, anguſtique animi eſſe credas, ut, cùm uſque ad victoriæ adeptionem tantos labores pro ſe quiſque viriliter exantlarint, maximumq́;

auxilium attulerint, non nomen, & gloriam, non laudem sempiternam, non summa denique omnia sibi debita arbitrentur? Itaque prudens Imperator Mercenarios omneis Milites, perinde atque Auxiliarios (qui suapte natura ambitiosi sunt, discordes, perfidi) vel in summo tantùm Reipub. discrimine accerset, vel confestim amandabit. Num meministi apud Bysantium Advenas in perniciem, & exitium Civium conjurasse? Tancleos à Samiis, quos in suam Rempub. receperant, civitate exturbatos? Syracusanos post Tyrannorum expulsionem, cùm mercede numerata Milites fecissent, in prælium, & discrimen maximum incidisse? Amphipolitas, receptis Chalcidensium colonis, pulsos tandem, & oppressos? Gothos denique, qui mercede data conducti fuerant, Romano imperio gravissimas ruinas substruxisse? Probentur licet ab omnibus non solùm Gallorum vires in bellis, sed & diligentia, & audacia, & fides: veruntamen nihil tam infirmum, nihil tam instabile comperias, quàm dispersi rumores virtutis, quæ neque propriis armis, neque nativis viribus fulcitur. Nam simul ac primùm rumores, nec satis illi quidem constantes, excepti sunt, ac latè vagantur, levissima eos aura illico commutat, labe-

labefactat, & extinguit. Est igitur prudentis Imperatoris officium, se totum ad militiam convertere: nihil præter arma, bellumque in animo habere: militarem artem non negligere, si mòdò virtutum suarum aliquam effigiem exprimere, si specimen aliquod edere, si honores assequi concupiscat: nisi demum in omnem memoriam deleri reformidet. Laudatus est sanè ab Antiquis Philopomenes Achæus, quòd inter amicorum colloquia pacis tempore ad rem militarem, ad Majorum stratagemata, resque gestas memorabiles totum animum intenderet. Et quidem prudens ille Imperator suos cives excitabit ad militiam, laboribus assuefaciet, sitis, & frigoris reddet tolerantiores, fluviorum, paludumque naturam docebit: tum quid in montibus, quid item in convallibus sit faciendum, tradet: ac illis Scipionem, Alexandrum, Cyrum, Cæsarem, optimos duces, quos imitentur, proponet. Nam quicunque Scipionis divinos conatus noverit, is quandam Cyri, qui est apud Xenophontem, imaginem recognoscet. Enimuero in qua civitate sunt homines, illic fortissimos milites deesse non facilè credidero: quos Imperator prudentia, diligentia, & exercitatione taleis efficiet, qualeis & quærimus, &

optamus. Id ex Spartanis disce: qui quanquam nihil minus, quam militiam amarent. eamque prorsus aversarentur, Epaminundas tamen Dux sapientissimus, ubi ab eorum cervicibus jugum Thebanorum repulisset, militiæ imperitos militiam ita edocuit, ut tandem Thebanos vicerint. Tullus quoque Rex Romanorum Samnites, qui ad arma erant paratissimi, in auxilium non advocavit: sed suos tam studiosè instruxit ad prælia, ut, quamvis illi quadraginta paulò minus annis sine armorum usu vixissent, bellicosi tamen statim evaserint, ac plurimas sint victorias consequuti. Ergo Princeps optimus torpescentes cives suos invitabit ad gloriam, obdormientes animos excitabit ad militiam, & juxta illud Virgilij:

——Residesque movebit
Tullus in arma viros.

Altera pars Reipublicæ militaris consistit in legibus, quas nullum Centurionem, nullum Tribunum, nullum denique Imperatorem ignorare arbitror. Veruntamen cùm res militareis à multis sæpius tractatas, jura autem militaria à nemine adhuc congesta animadverterem, hæc aliquando libuit in unum volumen compilare. Quod nomini tuo inprimis dedicatum volui, cum propter singularem tuam in conservanda, confirman-

confirmandaque Republica prudentiam, tum ut ſtudiorum meorũ fructum aliquem aliquando percipias. Quem ſic apud te aliquo in numero eſſe cognovero, ac majora audenti faveris, & à quibuſdam hominũ peſtibus nos tuebere, facies quidem diligentis Patroni officium: ego autem in id dies, noctesque incumbam, ut non cum vitæ tempore nominis tui commemoratio terminetur, ſed ſcriptis, & prædicatione fiat ſempiterna. Quare R. P. jura noſtra militaria ſic accipe, ut ea tibi grata eſſe intelligam, & in manus Imperatorum veniánt potius, quàm obtrectatorum maledictis oppreſſa, lucis uſura perpetuò careant. Illa autem pro tua conſuetudine tibi ita probatum iri ſpero, ut nihil non in bonam partem accipias ab eo, qui in tanti Patroni familia aliquod jam annos ſe educatum, non parum ubique gloriatur. Valè Lug. Cal. Novemb. anno à Chriſto Mortaleis luſtrante 1538.

Debita nonnulli nequeunt persolvere: multi,
Cùm poßint, munus vix meminere datum.
Ast ego si nequeo benefacta rependere factis,
Attamen hæc memini, nec reticere volo.
Idcirco ingrato nil conceßisse putabis,
Si me, dum vivam, præstitero memorem.
Sed ne te fallam promißis plenus, alámve
Spe vana, confestim hoc leve munus habe.
In quo Iustitiam junctam cum Marte videbis,
Sit licet insignis Virgo pudicitiæ.
Quem talem nexum fortè admirabere (Libro
Perlecto) nec sic non coiisse voles.
Ac laudabuntur tam stricta ligamina, si tu,
Sub cujus vivent nomine, fautor eris.

PRO

PROOEMIUM AD EUNDEM.

CUM Leges divinitùs inventas, atque institutas nostri quondam Majores sine proœmiis & scripserint, & ediderint, miraberis fortè, quòd in recensendis majorum legibus, quibus ipsa Natura videtur ademisse proœmium, insolitum stultè agam, & in principio tam apertè proloquar. Omnes enim, qui immutabilis Antiquitatis memoriam scriptis mandant, & excolunt, quiq; totos se Philosophiæ studio addixerunt, non solùm providere debent, quid negotii suscipere conentur, sed etiam antiquos Legislatores in magistros, ac duces sibi deligere. Atque eò magis, si Respublicas cum benè gerendo, tum leges sapienter interpretando instituerint, institutasq; diutius conservarint. Nam cui deliberatum est, eos inprimis imitari, quibus bona Civium, fortunas, Deos Penates, libertatem, salutem denique, & vitam Antiqui committebant, quis huic ignoscat, si, vel scriptis demendo, vel adjiciẽdo, ab eorum norma declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus laudandus, probandusq; est, qui maximis in rebus, ac difficillimis statuendis

morem illum ſumma cum diligentia obſervaverit, & nulla verborum adhibita ſupellectile, ad fontes ſolum digitum intenderit. Talium ſuſpicio doctrinam, revereor ſanctitatem, miror in ſcribendo diligentiam, qui ſummis ingenii dotibus præmuniti, ad imperitam multitudinem, & inconſtãtem, ferociaq́; ingenia domanda ſeverius imperium plùs poſſe, quàm perſuaſionem, non minus ſcitè, quàm prudenter, judicaverunt. Atque ideò in ferocioribus Reipubl. morbis curandis ad vim ſolam, terroremq́; reſpicientes, perſuaſionem unà cum verboſis Oratorum prooemiis Legislatoribus illis reliquerunt, qui, cùm in mitiores animos incidiſſent, eos, religione legis adempta, facilius perſtringi poſſe videbant. Quibus dum nonnulla ob oculos ponere, ac ſtimulos ad Virtutem, resq́; perfectiſſimas ſubijcere ſtatuimus, ut eſt Gallorum ſingularis humanitas, ita mitius brevi quodam prooemio, benigniusq́ue ad perfectam militiam manu ducere viſum eſt. Neque verò is non modò Legumlator, ſed ne compilator quidem vituperandus eſt, qui eos, quibus cum illi eſt agendum, natura leniſſimos, & manſuetos eſſe intelligens, omnem vim, ac ſeveritatem mutuæ familiaritatis officiis dimoverit.

verit. Eam ob rem aut Romanorum ſumma ſeveritas, ſeveriuſculáve humanitas nobis prædicanda eſt, aut Pandectarum, quas præ manibus habemus, compilatores non mediocriter ſunt accuſandi. Nam dum ſingularis comitatis, ſuaviorumq; morum viris Digeſtorum Libri relinquendi erant, proſpiciendum diligenter fuit, ne certum immanitatis, nulla præfatione facta, veſtigium appareret. Ac etiam potiſſimùm, ſi turbæ politioris vitæ, humanitatisque experti leges, quæ coërceant, ponendæ ſunt, cavendum cenſeo, ne qua in re aſperiores, aut inhumaniores fuiſſe videamur. Etenim ſi nihil præfamur, quod & benevolum, & attentum reddat populum, vulgus, cui crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum eſt commutatio, non ſolùm præcepta noſtra non laudabit, ſed pro arbitrio reſcindet. Eſto: minis tantùm, & terroribus rudis populus retineatur: ſit ipſa vi ſola coërcendum Vulgus ignobile: Juſtinianus *de novo C. faciend. §. quibus.* leges ſine præfationibus conſcribi debere ſtatuat: Sapientis tamen intereſt, in recenſendis legibus rem prudenter conſiderare, impedimenta ſummovere, in mentes hominum ſenſim irrepere, pedetentim animos allicere, tum demum prohibenda vetare:

juſta

justa autem omnia, æquaq; præcipere. Proinde cùm duo diversa sint lex, & legis exordium, quorum alterum sine altero firmum esse non potest, exordia quædam, & præludia ad instituendas arteis gravissima, comparandas certissima, adjuvandas fortissima, & necessaria non immeritò judicavi. Idcirco non possum non summopere Platonem *Dialog.4.de Legib.* laudare, qui legi cuilibet exordium præponi debere censuit. Ita enim fiet, ut Legislatoris mente facilius, & certius intellecta, disputationes nullius frugi, quibus dies, noctesq; involvimur, facilè dirimamus. Ita etiam multa præclarè legibus constituta, Jurisconsultorum hujus temporis ingeniis forsan corrupta, tum prudenter constituta, tum æqui, boniq; plenissima videbuntur. Et herclè si in foro caussas dicentibus nefas est, nulla præfatione facta, Judici rem exponere: si id etiam informe est (ut ait Cajus *l.1.ff.de orig.iur.*) quod suis omnibus partibus non constat, leges sine procemiis, ac velut illotis manibus Justinianum rectè, & ordine tulisse nemo existimarit. Atque ut ea de caussa Imperatorem aliquantum vituperari facilè patior, ita etiam laudo, quòd civilis juris scientiæ finem mirabilem adjecerit, *in epi.in præfat.fforum.* Enimverò, si, cui finis imponitur, eidem principium

pium extitiſſe neceſſe ſit, in hac noſtra juris, cui finem ſe dediſſe Juſtinianus commemorat, inſtitutione pauca admodum me non inutiliter proloquutum profiteor. Neq; ea finis adjectio difficilis mihi videri poteſt, maximè cùm juris ſcientia perpaucis, & minimè obſcuris literis contineatur: nam quę de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia, neque tamē quicquam tam anguſtè ſcriptum eſt, quò ego non poſſim, qua de re agitur, addere. Ideoq; Cicero *in Orat. pro Murena* in nobiliſſimo conſeſſu, & frequenti ſe triduo factum Juriſperitum citra ſtomachum profeſſus eſt. Dicet aliquis armorum, & militiæ, quam inſtituimus, nullam artem, nullam diſciplinam reperiri: quòd ſi diſciplina non eſt, vel diſciplina quidem, ſed haud multi pretii: quid in hanc adhibitis etiam prooemiis incumbere vel neceſſe, vel opportunum fuerit? Adeſt Lacedæmoniorum exemplum: quorum ſpectata virtus non ſolùm natura, ſed etiam diſciplina corroborata putatur: qui ſoli toto orbe ſeptingentos annos amplius unis moribus, & nunquā mutatis legibus vixerunt: qui, cùm cæteris bello fortiores extiterint, bellicis rebus diligēter incubuere, ac toti Græciæ ſeſe communes armorum magiſtros præbuerunt. Illi tamen hanc armorum diſciplinam, velut

tem-

templum quoddam inacceſſum, ne ſummo etiam pede auſi ſunt attentare. Exiſtimabant enim nullum, qui his armorum ludis incubuerit, nullos item hujus ludi magiſtros quaſi dedita opera in bellis illuſtres evaſiſſe: quamvis in reliquis artibus ij maximè proficiant, qui frequentes ſe exercuerint. Ego contrà hanc exercitationem, equeſtremq; diſciplinam libero homini, ſi virtutum culmen aſſequi percupit, & commodam, & neceſſariam aſſerere audeo. Cõferet namq; adultis, cum in ipſa acie ſingulari certamine vel repugnantem inſequi, vel invadentem repellere oportebit: pueris autem, & junioribus, quòd majoris diſciplinæ ſtudium animis eorum inſigat. *Plato Dialog. de Fortitudine.* Nam dum armis pugnare didicerint, ſtatim acies ordinare, Præfecturam appetere, deniq; Imperatoriam dignitatem adipiſci ſummo ſtudio contendent, & annitentur. Quare quid, quæſo, melius, quid dignius militibus contingere poteſt, quàm ad honores invitari, allici, adduci, atq; aſpirare? quid nobilius, quàm caligatum aliquẽ militem ampliſſimis tandem honoribus abundare? quid dulcius, quàm (in perpetuæ virtutis præmium) ſummum honoris gradum aſſequi, gloriaq; circunfluere? Etenim qui bellorum ſubiere peri-

pericula, & dies, noctesq; multas inſomneis pro Republica traxerunt, ut aliquando corpora dent quieti, & ex labore ſeſe reficiant, maximis honoribus cumulatos in editum locum provehi oportet, & collocari. Quos hîc docere non inſtitui, neq; armorum, aut militiæ diſciplinam, cujus (ut verum fatear) imperitior ſum, pertractare: ſed tantùm militum jura ex omnibus legum civilium voluminibus, additis hiſtoriis, ita congerere placitum eſt, ut, etſi non ad unguem digeſta ſint omnia, neq; in nonum annum preſſa, tumultuarium tamen hoc Opuſculum te pro tua dignitate, ac ſapientia non improbaturum ſperem. Atq; ideò feci diligẽtius, ut, quod antehac à nemine factum ſcio, primùm per me milites intelligant, jura ſua innumeris penè fulciri legibus: reliquique omnes juris pulchritudine, ac privilegiorũ copia ad militiam non accendantur ſolùm, ſed & relictis patria, liberis, foco, cõjugibus Regi Chriſtianiſſimo totos ſe devoveant, & ad extremum uſq; ſpiritũ in Martis Caſtris glorioſè commorentur. Prætereà non hic à me expectari velim plebiſcita, aut ſenatuſconſulta, de ſocietate, de fœdere, de privilegiis. Qualem librum & pulcherrimum, & vetuſtiſsimum ab urbis exordio confeciſſe dicitur Veſpaſianus; *Tranquil. in vita Veſpaſ.*

non

non militum res memorabiles, quales C. Cæſar, quales Auguſtus ſuis temporibus conſcripſere. *Appianus in Illyrico.* Sed id à nobis expecta tantùm, quod tempori aptum fuerit, & accommodatum: militibus etiam perutile, & propè neceſſarium. Id quod ſpretis Doctorum gloſſematis, & Juriſconſultorum nugis, ita quidem præſtabo, ut autoritatibus Juris tantummodo innixus, Philoſophiam cum hiſtoriis aggregaſſe, gloriari citra invidiam poſſim. Hippodamus Mileſius, *Ariſtot. Politico. 2.* cùm in Republica nuſquam verſatus eſſet, tamen Naturæ diligens perſcrutator cœpit de optimo civitatis ſtatu nonnihil dicere, atq; conſtitutam civitatem in treis parteis diviſit, Milites, Artifices, & Agricolas. Socrates autem ita diviſa, & conſtituta Republica, revocavit in dubium, deberéntne Agricolæ, atq; Artifices arma poſſidere, & prælio cum hoſtibus decertare: quod tamen Romulus liberis ſuis edicto præcepiſſe, tantum abeſt, ut addubitaverit, memoratur. *Dio. Halicar. libro 2.* Cùm enim illis duo tantùm ſtudia relinqueret, non alteris ſubigendam humum, alteris belli munia ſeparatim reliquit, ut lex erat Lacedæmoniorum: ſed eoſdem ad militarem ſimul, & ruſticam vitam ita inſtituit, ut utrumque conſequi totis nervis contenderent, etiamſi aſ-

ſi aſſequi nequirent, aut ſecundum naturam adipiſci. Porrò qui ab initio Rempublicam Romanorum conſtituerunt, *Novell. conſtit.38. de Decu.* illud in rem ſuis fore ducentes, per Municipia nobiliores congregavere, per quos Reipublicæ ſumma tractaretur, recteq́: omnia fierent, & ordine. Quę res ab initio ita effloruit, ac commoda viſa eſt, tamq́; grata, & accepta poſteris Seculis accidit, ut nihil mihi dubium ſit, atq; Agricolas, atq; Artifices ad militiam vel currentes (quod dicitur) incitare, vel nolentes protrudere. Sunt igitur Reipublicæ partes, Agricolæ, Artifices, & Milites. Quorum quidem militum jura, ac privilegia levi tantùm brachio his Libris perſtringere, nobis in animo eſt.

DE JURE ET PRIVILEGIIS MILITUM LIBER PRIMUS.

CLAVDIO COTERAEO TVRONENſI Clariſſimo Iuriſconſulto Authore.

CAPUT I.

Iuris, & militiæ coniunctio.

DE re aliqua qui ſapienter ſcripturus eſt, non ſolùm videre debet, quid oneris in præſentia tollat, ſed etiam ne quid dicat, quod omnium mentes reſpuāt, & aſpernentur. Nam apud omneis ea ferè invaluit conſuetudo, ut, quæ non probantur in vulgus, abſurda ducamus, & abſona. Sed nihil tam horridum videri poteſt populo, quod non aliqua ratione excoli poſſit, & tandem cum intelligentia tradi. Ideóque imprimis conjungenda eſt nobis Juri Militia. Namque qui hoc agit, ut de jure militiæ diſſerat, quis huic veniam dederit, ſi ulla ratione illa duo conjungere neſciat? Atq; eò magis mihi elaborandum video, ut duo, quæ diverſa omnino eſſe, & nūquam videntur

tur

tur inter ſe poſſe conjungi, Jus inquam, & Militiam quadam cognatione cohærere, & ſcopum eundem ſpectare oſtendam. Sed qui fieri iſtud poteſt, ſi juris, & bellorũ non eadem ſint principia, variiſq; finibus terminentur? Si juris, & belli capitales ſunt inimicitiæ? Si inter æquitatem, & armatos homines ſempiterna ſunt odia? Etenim leges, & jura, quæ ad pacem, & facilem hominum convictum pertinent, ex igniculis rationis, qui à natura nobis inſiti ſunt, ſuſcitari perſpicimus: ex animi autem perturbationibus, ira, furore, ſimiliumq; affectuum colluvie, quibus alter alterum in vitia trudimus, bella oriri conſtat: *Verg. 2. Æneid.*

—— Nec ſat rationis in armis.
Sed glomerare manum bello, & cõcurrere in Arcem
Cum ſociis ardent animi: furor, iraq; mentem
Præcipitant.

Ergo, qua perficies via, ut leges, quæ pacis amicæ ſunt, atque ocii, tot armatis militibus, audacibus, & temerariis viris, tot, tamq; magnis bellorum periculis conjungamus? Eſt tamen exquiſitus legum conditor ex Philoſophorum ſententia, *Plato. 1. de leg.* qui de bello potius, gratia pacis, quàm de pace, gratia belli, leges conſcripſerit, ac res bellicas pacis cauſa ſtudioſè diſpoſuerit. Ideoq; pacis, atq; ocii nomine juri militiam conjunximus, ut

ex armis jus vires colligat, & armata cohors legibus condecoretur. Quod si per te consequi potero, quis non laudabit, probabit, ac reverebitur simul in unum leges, & arma coire, quorum alterū altero corroboratur, stabilitur, & vires accipit? Justinianus quondam apud Pisidiam unum spectabilis Prætoris officium consultò statuit, quod idem militare esset, & civile. *Novell. consti. 24. de præside Pisidiæ.* Romani quoque suos Imperatores Prætores appellabant, *Novell. constit. 25 de Prætore Lycaoniæ.* eratq; magistratus temperatus quasi ex duobus, ut tam in instruenda acie robur, quàm in ferendis legibus rectum, ac decentem ordinē ostentaret. In hunc etiam modum non Prętores tantùm in Lycaonia, & Thracia, *Novell. constit. 26.* sed & Proconsules in Cappadocia, *Novell. constit. 30.* pluribusq; locis magistratum inibant. Tu autem si in omni militia vel legis, vel juris mentionem prætermittendam censeas, cedo, quo consistet, firmabiturq; modo militia sine eo vinculo, sine fundamēto, atq; æquitatis fonte? Nam profectò ut corpora nostra sine nervis, sine sanguine, sine membris deniq; non consisterent: ita & militia sine lege nullam satis habilem partium functionem haberet. Quamobrē cùm militaris res legibus in tuto sit collocata, *de Iusti. C. cōfirmando in pr.* & ipsę

leges

leges armorum præſidiis conſervẽtur, alterum alterius auxilio indigere, nemini eſt dubiũ. Antiqui ſapientes, qui rerũ convenientiam curioſiùs inquirebant, ſapientiã potẽtiæ, velut duo quædã, quæ mutua conjugatione ſeſe amplexarentur, nuſquam nõ copularunt. Etenim, ut Horat. *3. Carm. Ode 4.* ait,

Vis conſili expers mole ruit ſua:
Vim temperatam Dii quoq; provehunt
In maius: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Laudabant quippe Crœſum cum Solone, Pauſaniam cum Simonide, Periclem cum Anaxagora. Poëtæ quoq; illos imitati Creontem, & Tireſiam ſimul inducunt: Agamemnonẽ, & Neſtorẽ: Palamedem, & Ulyſſem: ac ea fortè de cauſa priſci illi homines Jovi Prometheum conjunxerunt, id unum tantùm animo volvẽtes, ut potentiam ſapientiæ, militiã legibus, & jura bellis permiſcerent. Et quidẽ apud Lacedæmones memoriæ eſt proditum, *Plutar. in vit. Lycurg.* Reges ipſos, cùm prælium inituri eſſent, prius ſacra Muſis perſolvere, utpote quas diſciplinæ, judiciorumq; præſides admonitas vellent, ut faciles, promptæq; periculis adeſſent, & præliantium facinora memoratu digna in omnem poſteritatem tranſmitterent. Similiter Terpander, ac Pindarus, quos ex Lace-

dæmoniis laudavere, hos & Musica eruditissimos, & bellicosissimos extitisse comemorant. Qui si sumo cum honore Musas Marti copulatas decantarunt: cur non rectius fecisse videbuntur Romani, qui anno ab Urbe condita quadringētesimo quinquagesimo nono publicis declamationibus laudarunt Q Fabium Maximum Rollianum quintum, & Pub. Decium Murem quartum Coss. gnaros militiæ, callidos, scientesq; juris, & eloquentiæ? *Livius lib. 10. Decad 1.* Ita laudatus est quondā in Sicilia Dion Hipparini filius (qui Syracusanos, aliasq; Siciliæ urbes invicto animo in libertatem asseruit) quòd Philosophiæ studio percelebris, rei militaris scientia longè omnibus antestaret, *Diod. Sicul. lib. de gest. Philip.* Quid igitur impediet, me sequi, tum quæ ad conjunctionem hominum, & tuendam societatem pertinent, tum quæ nulli non probabilia videri possunt? Ista me hercle tam bellè conveniunt, ut alterum sine altero stabile futurum non videatur: ut utrumq; disrūpatur sine mutuo complexu, & communi conjunctione. Hinc mea quidem sententia pulchrè dixit Plutarchus *in vit. Æmyl.* bellum esse tyrannum, sed legem omnium Reginam. Itaq; si milites consiliis suis legem, quæ fidem, æquitatem, religionemq; conservat, ut par est, adhibuerint:

libi-

libidinem autem, vimque omnem amoverint, gloriam immortalem, quam à benè gestis rebus accipiunt, optimorum consiliorum, factorumq; testem summo cum honore assequentur: neque id tantùm, quod libuerit, sed, quod ipsa lex, & religio postulat, perpetuò cogitabunt, & facient.

CAPUT II.

De iure militum.

POSTQUAM igitur jus cum militia conjunximus, maxima nunc diligentia nobis efficiendum est, ut tam aptè coagmentata copula legibus confirmetur. Quod etsi difficillimum videam, tamen si, juris rationem considerantes, civilis disciplinæ studiũ exerceamus, id quidem perfacilè fiet, quod animo jamdiu proposuimus. Atque ut ad id jam aggrediar, dico: Jus militare esse juris gentium, cujus maximè interest, vim, atque injuriam propulsare. *l. 3. ff. de just. & jur.* Nam jure evenit, ut, quod quisque ob defensionem corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. Cumq; jus gentium, quod solis hominibus inter se commune est, *l. 1. §. Ius gentium. Eod.* bruta animalia non compræhendat, nemo rectè dixerit arietes, vel boves, qui commissi essent, & alterum alter occidisset, id jure gentium fecisse, *l. 1 §. cum arietes*

11. ff. Si quadrup. paup. fecisse dicatur : quin potius naturali, quo ſolo reguntur, & agũtur. Nam quamvis eluceat in brutis imago quædam ingenii, & rationis, & humanæ prudentiæ: ea tamẽ neq; cum cogitatione, neq; cũ electione (tantum abeſt, ut cum intellectu) quicquam perficiunt. Excitantur autem illa partim ab habitudinis temperaturá, partim à ſenſuum perfectione, partim à ſpiritus ſubtilitate, ſeu impetu naturæ, ac inſtinctu. Prędicet aliquis formicas, alius hirundines, alius Rhœbum Mezentii equũ, quem blandiente domino mœrentem inducit Virgilius *Æneid. lib. 10.* quid tum? certè cùm nullius rei veritatem, vel falſitatem ſentiant: ſed geſtu tantùm, motu, ac voce, quaſi quædam ſigna accipiant, nullam rationis perfectionem habere creduntur: atq; ideo jure gentium nihil agere. Jus itaq; gentium à rationis participibus animantibus hoc expoſtulat, ut citra injuriam cum unoquoq; verſemur; ne inde injuriarum naſcatur occaſio, unde jura ducunt originem, *l. meminerint. C. unde vi.* ne, quod ab omnibus eodem modo cuſtoditur, nonnullorum arbitrio corruptum ſit. Furat licet inter mortaleis Mavors, qui Reſpublicas, ut videmus, evertit, leges commutat, cœlum terra miſcet: ſit multorum annorum importuna, ac incommoda tem-

tempeſtas: ſit ſumma quædam penuria, quibus jura omnia innovare cogimur: hoc tamen jus gentium idem perpetuò viget, & permanet. Exclament Philoſophi, mortalium neminem leges condere, humanaque omnia viciſſitudine rerum, ac fortunis agi, conſtitui, gubernari: nihilominus ab omni uſque memoria tam altè radices egit juris ſcripti æquitas, ut, ſi augeri poſſit, immutari tamen, ac convelli nequeat. Cujus generis ſunt jura militaria, quippe quæ ita perſonis militum inhærent, ut nemo divellat, nemo diſtrahat, *l. deniq́. §. Si quid minori 7. verſ. ſed & ff. de min.* XXV. *annis.* Quare in ſpem adducor, milites in hoc conſervando tam ſedulos, pertinaceſque futuros, quàm in colligendo tum perſpicax, tum diligens, aſſiduuſque fuerim.

CAPUT III.

Qui ſint milites.

IAM JAM pedem velut ab incunabulis paulò longius efferamus, & milites ſenſim in campum producamus. At, quis miles appellatur? Juſtinianus *l. fin. C. de loca. & conduc.* milites eos appellat, qui ſub excelſis militum magiſtris militiam tolerare noſcuntur: nec non eos, qui ſub diverſis optio-

nibus fœderatorum nomine sunt decorati. Hanc autē definitionem, si, Philosophorū more, paulò accuratius expenderis, non dubito, quin imperfectam, aut duriusculū aliquid in ea reperias: nam & Jureconsultus *l. uni. §. 1 ff. de bono. pos. ex test. mili.* asserit remiges, & nautas milites esse: nauarchos item, & trierarchos. Ego verò cùm nō disputare sed docere proposuerim: neque ignorē definitionem omnē in jure periculosam, censeo verbi ipsius etymon inspiciendum esse. Ulpianus, *l. 1. §. 1. ff. de milit. testam.* à malitia, id est duritia, quā pro nobis sustinēt: aut à malo, quod arcere solent, milites vocari contendit. Græci à verbo χίλιοι unde χιλιάρχησ, χιλιάρχου appellant Romulus verò mille pugnatores delegisse commemoratur, quos à numero mille milites appellavit, *Eutrop lib. de gest Roma.* Verùm ista Gramaticis relinquamus, atq; longius progredientes, videamus quæ militi, quem tanquam serere, atq; excolere, & (ut verius dicam) in inculto, & deserto solo venari volumus, sint necessaria: quo perfacilè unicuique patebit, qui sint milites. Primùm ergo si quis militiæ suum nomen dare cupit, offerat se oportet his, qui probandi jus habent, *l. 1. C. qui mil. pos. lib. 12.* Probare autem potest Imperator, & nonnunquam pro tempore Magistri militum spe-

spectabilesq; Duces: si mòdo supplere numeros necessarium putaverint, *l. penult. C. de re mili. lib. 12.* Debet enim Imperator certior esse, qui, quanti, & quē ad numerū debeant subrogari, si quando urgens, ac necessaria caussa emerserit, qua tū utilitati, tū publicæ tranquillitati sit consulendū, *l. Milit. C. de offi. Magi. mil.* Nemo sanè est, qui milites suos melius nosse possit, & debeat, quàm Princeps, si modò Alexandri Severi exemplum non negligit, qui milites sic ubiq; scivit, ut in cubiculo haberet numerū, & tempora militantiū, semperque, cùm solus esset, rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recēseret, ut esset ad omnia instructissimus. *Aelius Lampri. in vit. Alexan. Severi.* Deniq; cùm inter militares aliquid ageretur, multorum referebat nomina, de promovendis etiā se hortabatur, & perlegebat cuncta pyctatia diebus quoq; adnotatis. Princeps autē admittere debet ad militiæ privilegia nō eos, qui cupidè ambierint, ut melioris fortunæ sint participes, sed qui adipiscendi honoris gratia expetendam bellorū fortunā crediderint, *l. Ad splendidiorū. C. de diver. offi. li. 12.* Et si quis militē constantē affirmaverit, non rara quædā gravitas, & constantia, qualis in philosopho præfinitur; si laboriosum, & vigilem, non continuus labor dies noctesque exigi debet, *l. si quid. ff. de Aedilit. edicto.*

Quin potius naturæ dictamine moderanda sunt omnia. Nam si quis fortem dixerit eū qui ordinem nō deserens adversus hostem viriliter pugnaverit, quid de Scythis, qui non minus fugiendo, quàm insequendo, dimicare consueverunt, judicaturus est? Quid de Aenea, quem Homerus metuendi, fugiendique dixit peritum? quo tamen

— Justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis:

Cognoscant igitur Imperatores militum suorum animos: ac videant, quid iis à natura sit insitum. Nam si invita ingenia ad opus minimè congruum, tanquam in aliquod pistrinum, detruseris, atque compegeris, omnia sinistrè cedent. Itaq; perspecta corporis constitutione, ex qua potissimùm affectus nascuntur, vel in numeros recipient, vel receptos jam aliquo munere, ac honore donabunt: est enim vel plebi rudi usitatum proverbium, dignitates, & honores coticulas animorum esse. Hæc itaque omnia Imperatorem oportet pro sapientia, ac dignitate prænoscere, atque idoneos in militiam asciscere: quos ut neque excellentes, ac valdè industrios: ita neque rei militaris penitus rudes quærimus.

Ca-

CAPUT IV:

Milites cincti.

SUis nunc inſignibus, atque ornamentis militem probatum augeamus: quorum iſtud eſt vel præcipuum, quòd cingulo militiæ illuſtrari debeat. Nam ſcriptum eſt, *l. penul. ff. de teſt. milit.* militia exornatos confeſtim cingi debere. Sic à Carolo ſeptimo Francorum Rege edictum eſt, ne quis miles in numeros referatur, qui non cinctus ſit, armiſque ita munitus, ut probum decet militem. Cingulum enim primum eſt armorum inſigne, ac militiæ ornamentum. Velites apud Romanos tripedalem parmam habebant, & dextera haſtas quibus eminus utebantur: gladio Hiſpanienſi erant cincti. Quòd ſi pede collato pugnandum erat, translatis in lævam haſtis, ſtringebant gladium, *Livius lib. 8. Decad. 4.* Porrò miles, ubi primùm cinctus eſt, jure militari teſtabitur, *l. Titius, & l. Quod dicitur. ff. eo. tit.* nondum cinctus eo jure teſtari non poteſt, cùm non militum teſtamenta, ſed quæ à militibus facta ſunt, ut infrà docebitur, conſtitutionibus Principũ confirmentur. Fieri itaq; nõ poteſt, ut is militum privilegiis gaudeat, qui non omnibus, nedum primo militiæ ſigno

ſigno, ac monimento ornatus fuerit. Quod non tantùm militi id tribuit, ut militari jure teſtetur: ſed præter id, fori affert præſcriptionem, ſi coram non ſuo judice in jus vocetur, *l. Si quis C. de pactis.* is tamen ſi quid illicitè impetraverit, quamvis cingulo militiæ, quávis etiam dignitate ſit ornatus, impetratis carere debet, *l. Si quis C. de offi. Rect. pro.* Cumque militi cingulum unum ſatis eſſe imperator perſpexiſſet, ſcitè admodum prohibuit, *l. His quidem. C. qui milita. non poſ. lib. 12* ne quis duas, pluréſve militias affectet, néve quis dignitatem aliquam cingulo alterius militiæ conjungat, niſi conjunctæ ſint, ac ſociali nexæ conſortio.

Caput V.

Milites in numeros relati.

PRobatum militem, & cinctum in numeros referri neceſſe eſt: quod ut minimè negligendum, ita etiam atque etiam diligenter obſervandum commoneo. Nam militum omnium commemoratio, atq; in breviario ipſo ſub aſpectum penè ſubjectio in exponenda acie plurimùm valet, & ad intelligendum, quod exponitur. Idq; tam neceſſariũ eſt, ut, qui nondum in numeris ſunt, licet ipſi lecti ſint, vel Tyrones, & publicis

ex-

expenſis iter faciant, nondum tamē milites habentur: debent enim in numeros referri, *l. Ex eo tempore. ff. de teſt. mili.* Supplere autē, vel implere numeros, ut modò diximus, ſoli Principi convenit, *l. Neminem. C. de re mil. li. 12.* qui tranſferri milites prohibet, nominaque numerorū, in quos iidem milites referuntur, cauſſa non adjecta iñutari, *l. Milites. C. de offi. Mag. mil.* Nimirū qui probat militem, idē cingere, ac in numeros referre debet. Erat namq; conſuetudo Romanis, ut, dum Tribunus ſignum ab Imperatore peteret, illi ſimul breviarium, ac diurnaliū rerum librum afferret, quo totius exercitus numeri continebantur, ut militū ſuorum numerū & recenſere poſſet, & intelligere, *Appianus lib. 5. de bel. civili.* Militem igitur probatū, cinctum, & in numeros relatum nihil impediet militari jure teſtari. Sed ſi fingamus militē ex alio numero translatū in alium, quamvis & hinc ſit exēptus, & illò nondū pervenerit, potuit tamen jure militari teſtari: eſt enim miles, quā vis in numeris nō ſit, *l. Vni. §. 2. in fi. ff. de bo. poſſ. ex teſt. milit* Quod ſi verū concedimus, ſequetur forſan, nō eſſe neceſſariū in numeros referri, ut militari jure teſtetur. Veruntamen mihi placet Pauli Juriſconſulti deciſio, cui humanius viſum eſt, valere teſtamentum quaſi conjuncto munere militiæ, *l. Quod dici-*

dicitur. §.1. ff. de testam. milit. Qui enim intra annum, quo desiit esse in numeris, in aliam militiam assumitur, posteriorem militiam priori adjunxisse censendus est. Nam sunt ita militibus adhærentes, ac colligati numeri, ut, si quis vel humana sorte, vel quávis alia de caussa gradum amiserit, eundem, si modò revertatur, juxta breviarij veritatē obtinere debet, *l. fin. C. de Offic. præf. Vrb.* neq; expungi potest numeris, nisi & ipse consentiat. Nam Romanis ab Urbe condita anno quadringentesimo duodecimo lex sacrata militaris lata est, ne cujusquam militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur, *Livius lib.7.Decad.1.* Hanc M.Valerius Corvinus Dictator tulit: dictaque est sacrata, vel quòd plebs in monte sacro eam sciverit: vel quòd Deorum alicui sanctū est, quicquid adversus eam fiat, Proinde non tantùm milites in numeros referri oportet, sed & Grammaticos, Sophistas, Rhetores, & Medicos, si modò immunitate juris perfrui voluerint, *l. si duas. §. Est autem. ff. de excu. tuto.* Neque etiam, qui in collegiis pistorum sunt, à tutelis excusantur, priusquam in numerum sint relati, *l. fi. ff. eo. titu.* Est tamen, quod nemo justê negaverit, quoddam imaginarię militiæ genus, quod vocatur super numerum, quo absentes, & titulo tenus tantùm muneribus mi-

militiæ funguntur: Hanc imaginariam militiam Claudius Imperator inſtituiſſe commemoratur. *Tranquill. in vit. Claud.*

CAPUT VI.

Sacramentum militare.

TANDEM à militibus ſacramentum exigendum eſt velut inter diſciplinæ præcepta neceſſarium, & non Reipublicæ tantùm, ſed & ipſis militibus utile. Cùm autem antiquitùs ipſis militibus eſſet voluntarium, primum L. Flacco, & C. Varrone Coſſ. neceſſarium factum eſt, *Livius lib. 22. ab Vrbe cōd.* Illi quidem delectum paucos dies morati, dum ſocij ab nomine latino venirent nunquam quod antea factum erat, jurejurando à *Tribunis* militum adacti ſunt milites, juſſu Conſulum conventuros, neque injuſſu abituros. Nam adeū diem nihil præter juramentum voluntarium fuerat, & ubi ad Decuriatum, & Centuriatum conveniſſent, ſua voluntate ipſi Equites decuriati, centuriati Pedites conjurabant, ſe fugæ, atque formidinis cauſſa non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtes feriendi, aut civis ſervandi cauſſa: idq; ex voluntario inter ipſos fœdere ad Tribunos, ac legitimam jurisjurandi adactionem tranſlatum eſt. Cincius autem libro quinto

de re militari hanc fuisse tradit sacramenti militaris formam. Cùm delectus fieret, & milites scriberentur, in jusjurandum eos Tribunus militaris adigebat in hæc verba. *In Magistratu C. Lalij C. filij Cos. L. Cornelij. Pub. filij Cos. in exercitu, decemq́; millia passuum propè furtum non facies dolo malo solus, neque cum pluribus. Extra hastam, hostile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerísve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium Cos. L.úe Cornelium P. filium Cos. sive ad quem eorum jus erit, proferas: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris sustulerísve dolo malo: aut domino suo, cujus id censebis esse, reddes: uti ne quid non rectè factum esse voles.* Militibus quoq; scriptis dies præfiniebatur, quo die adessent, ut & citati Consuli responderent. Ita concepto solenniter jurejurando ea solùm exceptio addebatur: *Nisi absentiæ aliqua caussa erit.* Petreius item longo posteà tempore milites Pompeianos in Prætoriū vocans, postulavit, ut jurarent, omneis se exercitum, ducesq́; non deserturos, neq; prodituros, neque sibi separatim à reliquis consilium capturos, *Cæsar lib.* 1. *belli civil.* Princeps tum in hæc verba juravit: ad idem jusjurandū adegit Afranium: subsequuti sunt Tribuni militū, Centurionesq́; centuriatim: producti quoq; milites idem juraverunt. Debent itaq; ad sacramentū adigi milites, tum ut vetus disciplina observetur, tum ut à signis suis

sine

ſine perjurij periculo diſcedere non poſſint, *l. milites 45. ff. ex quib. cau ma.* Memoratur enim C. Cæſar ſacramento dicto Domitianos milites, ut ſuos, habuiſſe, atq; ad Corfinium iis uſus fuiſſe, *Cæſar lib. 1. bel. civil.* Dicuntur quoq; ſacramento aſtricti milites auctorati, quaſi obærati, hoc eſt ære ſtipendiario devincti, ac jam nõ ſui arbitrij, *Veget. lib. 2. c. 5.* Planè apud nos ex ſtatutis Regum Franciæ nullus miles in numeros refertur, aut cingulo militiæ decoratur, qui non prius Regi, aut Magiſtris Equitum, ſi Eques eſt: Præfectóve Legionis, aut Cohortis, ſi Pedes eſt, fidem ſacramento obſtrinxerit. Tanta autem fuit apud Romanos ſacramenti & gravitas, & autoritas, ut Julius Cæſar ſanxerit Romæ, ne quis Civis, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet, *Tranq. in vit. Iul. Cæſa.* Senatus etiam Romanus inchoantibus primoribus jusjurandum concipiebat, ac certatim omnes Magiſtratus, cæteriq;, dum ſententiam ſuam rogabantur, Deos teſtes advocabant. *Cornel Tacit. lib. 2.* Enimvero vel jurabant milites per Deos, quemadmodũ Rhadamanthus cauſſas omneis juramẽto neceſſariò decidi volebat, *Plat. Dial. 12 de ll.* vel per vẽtũ, & acinacẽ (quòd ille vitæ, hic verò mortis autor eſſet) ut Scythę jurabant, cùm amicitiã vel fœdus inituri erãt, *Lucianus. in Toxar.* vel per Jovem, & Martem, & Palladem, *Ariſt. Polit. 6.*

vel ut Imperatores nonnunquam per ſceptri elevationem juraſſe commemorantur. Nos autem eas ſacramenti ceremonias arbitrio Imperatorum, Ducumque, & Præfectorum relinquimus: habent enim hîc propoſita exempla, quæ, ut libebit, ex æquo tamen, bonoque imitentur. Adde tamen, Chriſtianos Chriſti numine, aut ſacrorum Evangeliorũ religione, poſthabitis Ethnicorum ceremoniis, ſua ſacramenta debere confirmare. Jam verò ſi quis ſacramento militari ſolutus eſt, denuo admitti in aliam militiam ſine Imperatoris mandato non poterit, *l. 2. C. de diver. offi. lib. 12.* quod & Conſtantinus prohibuit, idque ab Antiquis Romanis obſervatum eſt. Nam Pompilius Imperator, cùm teneret Provinciam, in cujus exercitu Catonis filius Tyro militabat, viſum eſt illi, unam dimittere legionem: Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. *Cicero offi. 1.* Sed cùm amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo obligaret militiæ ſacramento: quia priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. M. quidem Catonis ſenis ad filium extat epiſtola, in qua ſcripſit ſe audiſſe eum miſſum factum eſſe à Conſule, cùm in Macedonia bello Perſico miles eſſet: monet igitur, ut caveat, ne bellum ineat: negat enim

jus

ʃus eſſe ei, qui miles non ſit, cum hoſte pugnare. Credebat quippe Cato, eum militem non eſſe, qui ſacramento non eſſet adactus ad militiam. Quamobrem ut certam regulam conſtituamus, probatos milites primùm cingere oportet: deinde cinctos in numerum referre: demum ſacramento addicere.

CAPUT VII.

Quomodo quis probabit ſe militem.

SED incidunt plerumque cauſſæ, quibus quis cogitur probare ſe militem, ſi modò militum privilegiis frui volet. Nam ſive fuerit fortis Achilles, ſive ſapiens Neſtor, ſeu verſutus Ulyſſes, is tamen nullam veniam expectet, nullam excuſationem, nullam omnino vacationem, niſi prius ſe militem eſſe demõſtraverit: *l. 1. C. de apparitor. Magiſt. milit. libr. 12.* cùm non turpe ſolùm, ſed & periculoſum ſit, hunc pro milite ſe gerere, qui miles non ſit. Hoc modo ſapientiſſimi Coſſ. Craſſus, & Scævola legem tulerunt, ne quis, qui Civis non ſit, pro Cive ſe gereret, *Cic. offic. 3.* Militi autem tres viæ per jura civilia relictæ ſunt ad id probandum, ne quid durum, indignum ve aliquod onus illi præter rationem imponatur. Primùm itaque id probare poteſt per litteras, ac teſtimonia Tribunorum, vel Præfecto-

fectorum, nec non eorum, qui Chartularij numerorum vocantur, *Autent. ut lic. mat. & aviæ. §. quod autem. In novel. constit.* 117. Carolus quippe septimus Francorum Rex neminem voluit militarem præfecturam assumere, qui non à Principe publicas literas acciperet signo, sigillóque regio munitas, quæ delatum illi honorem, gradúmque militiæ publicè testarentur. Deinde si bonus miles antè habitus fuit, propè est, ut adfirmationi ejus credatur *l. Non omnes. §. à Barbaris. ff. de re militari.* nam longa commoratio in militia, meritorumque illustris explanatio, ac periculorum non injucunda enarratio multùm commovere videtur. Ideoque quemadmodum milites vitandi, feriendique rationem tenent, qua inimicis possint resistere, ita & res suas gestas, tot noctes insomneis, tot labores, tot vigilias maledicis possunt opponere, quibus dicacitatis, & convitiorum argumenta præcludentur. Ad extremum, si descriptus est in numeris, facilè est, ut credamus eum esse militem: id quod suprà annotavimus. Ipsa namque Breviarij scriptura eam autoritatem habet, ut non militari tantùm judici, sed & cuilibet alij fidem factura videatur.

CAPUT VIII.

Negociatores non militare: & milites non negociari.

LAUDETUR verò hic miles, qui magnitudine conſiliorum, & rerum tolerantia, virtutibusq;, ut mœnibus, ſeptus id tantùm agat, moliatúrve, quod ad militiam pertinet. Quomodo enim militiæ omnem navabit operam, qui pluribus negotiis occupatus animum huc, illucq; diverterit? Poteritne aliquis militare, ſimul & negociari? Quapropter Leo Imperator, *l Milites*, & Juſtinianus *l. ſi. C. locati.* ſapienter prohibuerunt, milites aut alienarũ rerum conductores, aut procuratores, aut fidejuſſores, aut mandatores fieri, ne omiſſo armorũ uſu in aliud opus ſeſe conferant. Illi quidẽ armis tantùm, nõ privatis negotiis, ſunt occupandi, ut numeris, & ſignis inhærẽtes Rempublicã, qua aluntur, ab omni bellorũ calamitate defendant. Sanè ſi occupatis in alio quodam negotio, occaſio operis vel opportunitas præterit, ejuſdem perire actionẽ fatendum eſt. Atq; ſi ſæpiſſimè, quod faciũndũ eſt, facientis ocium nõ expectari ſinit, ſed plerumq; neceſſitas cogit, opus ipſum obſervata ſemper occaſione perſequi, quî fieri poteſt, ut & negotiẽtur milites, ſimul & inimicis reſiſtant? rationes ſuas, ſimul & excubias agant? de inſtitorum cauſſis, ſimul & ca-

ſtrorum munitionibus ſint ſolliciti? Philoſophi quidem in bona Republica ſingulos ſingulas arteis exercere voluerunt, *Plato de Repu. Dialog. 2.* neque enim Agricola, etiam ſi id commodum ei futurum eſt, aratrum, ligones, raſtróſve cõficiet. Neque iidem Rapſodi, ſimul & Hiſtriones eſſe poſſunt, Tragœdíve, & Comœdi? *Plato ibidem Dialog. 3.* Sit licet memoriæ proditum, Mamercum Conſulem, cui Gallicum bellum obvenerat, ex omnibus promiſcuè ſcripſiſſe exercitum ſine ulla vacationis venia: quin etiam opificum vulgus, & ſellularij (minimè militiæ idoneum genus) ab eodem in conquiſitionem admiſſi dicantur, *Livius lib. 8.* Quamvis etiam Senatus Romanus bello Hetruſco nuntiato juſtitium indici, delectumque omnis generis hominum haberi juſſerit, nec ingenui modò, aut minores ſacramento adacti, ſed & ſeniorum etiam cohortes contractæ ſint, *Idem lib. 10. ab Vrbe.* Juſtinianus præterea eos, qui arma cudunt, à militia profeſſioni illorum congruẽte minimè prohibuerit, *l. unic. C. Negociat. ne milit. lib. 12.* Nihilominus militibus negotiatione perpetuò interdicemus, quòd illa à Romanis urgente neceſſitate (qua leges omnes pervertuntur) facta ſunt: hoc verò ab Imperatore Juſtiniano ea forſitan de cauſſa prohibitum non eſt, quòd exiſtimaret habiliores ad arma milites eos futuros, qui artem

armo-

armorum conflandorum tenerent. Sed tamen utrumq; opus nullo omninò modo simul exercere, cuiquam permittitur. Nam argenti distractoribus, aut nummulariis speciatim conceditur, relicta tamen negotiatione, unam aliquam sortiri militiam, & in ea ætatem exigere, *d. l. uni.* Militiam verò armatam intelligo: nam armatos milites & privilegiis, & muneribus ab aliis distinguimus, *l. un. C. in quib. caus. milit. non utunt. for. præ.* Negotiatores autem sunt, qui in commerciis versantur, & aliquid dant, aut accipiunt, ut majora recipiant, & lucrentur, *ca. Forus. extra de verb. signif.* Quos ego, ut à militia prorsus arceantur, sordidos appellare audeo: *Cicero offic. 1.* nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur: ideoque nihil ingenuum habere potest opificina. Negociatores quoque dicuntur, qui annonę urbis præsto sunt, & serviunt: *l. Semper. §. Negociatores 3. ff. de iure immunit.* quorum labores præmiis remunerandi sunt, ne destituatur annonæ præbitio: *l. 2. ff. de nund.* & nec istis ad nobilis militiæ gradum ascensus per nos patebit. Attamen milites negociatores jure dixerimus, quibuscum Respublica negotium habet, veluti cum iis, quos operibus præstituit, *l. 2. §. 1. ff. de oper. publ.* aut velut curatores operum cum redemptoribus negotium habere dicuntur. Ergo procul sint à militibus illiberales, & sordidi quæstus mercenario-

rum omnium, relinquantque plebejis, ut ignobilioribus, emendi, vendendiq; commercia, *l. Nobiliores. C. de commer. & merca.* Demum nihil agant nisi in publicam utilitatem, *l. Milites. 15. C. de re milit. lib. 12.* militiæ tantùm insudent, & Rempub. pro virili tueantur. Cujus exercitationis nobilitatem si negligent, & ad civilium curarum sordes animum abjecerint, militia omni non abs re orbandi sunt, *l. Militares. C. Eod. d. l. unic. C. neg. ne mili.* Qui verò eos privatis negotiis implicarint, & Reipublicæ subtraxerint, Justinianus *Novell. 116. c. 1.* edixit facultatibus omnibus, quæ statim publico ærario addicãtur, sine exceptione spoliandos. Illi siquidem privatis simul, & publicis negociis incumbere nequeunt, quorum virtutibus & Barbarorũ petulantiæ frœnum injicitur, & Reipublicæ commoda non mediocriter amplificari videntur. Sic illi tantùm Reipublicæ adsint, incursus hostium prohibeant, in officio se exerceant suo: & ut Horatius *Episto. 1.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:
Quam scit uterq;, libens, censebo, exerceat artem.

Caput IX.

Causidicos non militare.

CAusidicósne militare dicemus? egóne eos, quorum illiberales operæ nescio quid sordidi quæstus habent, in militiam advoca-

vocabo? quid enim discriminis ponimus? quam caussam intelligimus? Opinor hîc tantam esse differentiam, ut miles Reipublicæ utilis: ille verò inutilis existimetur. Claudius quondam Imperator jussit, ut sine Patrono quisq; vitæ suæ ratione redderet, *Tranq. in vita Claudii.* Philosophi illos sua Republica ejecerunt. Epicurus Jurisprudentiam illam forensem inter arteis malas annumerans κακοτεχνίαν appellavit. Ctesias autem suasionis opificem. Patererísne militiâ his titulis infamari? Fierine potest, ut forenses isti Rabulæ, quorum libertatem temeritas, constantiam præceps audacia, eloquentiam inanium verborum cumulus absorbet, in excelsos illos militares numeros asciscam? Quis æquo ferat animo, eos, qui rem plenā solicitudinis, ac stomachi sint sequuti, ac multorū perpessi stultitiam, ad aliorum vixerunt arbitriū, libertati militum, atq; dignitati ascribi? Hos Gallus è plumis suscitat, *Cicero pro Murena*: at militem Buccina, & Classicum: hic actiones instruit, miles aciem: hic de regundis finibus tractat, miles de finibus propagandis: hic cavet, ne consultores sui, miles ne urbes capiantur: hic arcet aquam pluviam, miles hostes. Quis unquam hūc verè dixerit militem? quis suffragiorum corruptorem, litiū, & verborū concinnatorē militū puritati conjunxerit? At n. Imperatores Leo, & Anthemius patronos caussarū, qui labo-

laborantium ſpem, vitam, poſteroſq; defendunt, non minus, quàm noſtros milites militare aſſeruerunt. *l. Advocati. C. de advo. diver. Iudiciorum.* Sint illis licet, quanta volet Imperator, conceſſa privilegia, munera, immunitates: habeant apud ſe neſcio quam mercenariam militiam: nihil tamen illis cum armata militia commune erit. Atqui Henricus Saxonum Princeps victo Obotritorum Duce regionem omnem militibus ſuis poſſidendam dedit, & in arce Kiſſim nobilem quendam Cauſidicum Ludolphum nomine pro præſidio collocavit. *Albertus Krantz Saxon. lib. 6. c. 9.* Ego verò de Juriſconſultis non loquor, qui exemplo Tuberonis à cauſſis agendis ad Juris civilis Philoſophiam ſe converterunt, *l. 2. ff. de orig iuris*, feliciter (quod ajebat Zeno) naufragium paſſi, ut philoſophentur. Indignam mehercule Juriſperito forenſem eloquentiam ſemper exiſtimavi, putoq; multò ſatius eſſe legendo, ſcribendoq; juri dare operam, quàm cauſſas peſſimas ſpecie honeſtatis defendere, *gloſ. l. Quòd ſi. §. ſi mancipia. ff de ædil. edict.* At verò Tribonianus Pamphylius, qui & excelſus, & eximius appellatur, *l. 2. C. de veter. iur. enucle.* qui diebus ſingulis leges aliquas aut condebat, aut antiquabat, poteritne militiæ noſtræ gradus aſcendere? At illum Imperator ob res malè geſtas magiſtratu moviſſe legitur, ne quid in poſterum in ſuo Pandecta-

rum

rum compilatore Jurisconsulti gloriari possint. *Procop lib. 1. de bello Persico.* Nihil hîc proderit Demosthenem proferre, nihil Hyperidem, Aeschinem, Dinarchum, & Antiphonem illum Rhamnusium, qui primus omniũ ob patrocinium mercedem accepisse perhibetur: quorum elegantia non Tribunalia solùm ornabantur, sed ingeniis, & fide civitates florebant. Nam citius aliquis (ut est in Græcorum ore) cadens in navim ligno destituetur, quàm hic, quòcunq; aspexerit oculus, Causidicum desideret. *Lucianus in bis accusat.* Itaq; si temporibus Claudii Imperatoris nihil tam venale fuisse Romæ, quàm Advocatorum perfidiam, memoriæ est proditum, *Corn. Tacitus libro 11.* si Tuberoni, qui non ad quæstum agebat, fori commentatio displicuit, quis laudabit istorum iniquas aucupationes? quis eos probabit, qui nihil aliud, quàm Ulpianum, Trebatium, Alphenum spirantes, vultus gravitate ad Philosophiam composita id ipsum venditant, quòd oscitantur? qui tantis modis homines occæcant, ut dies, menses, & annos cedere sine fructu non videant? Memini quendam, à quo illi non minimum vectigal acceperant, dicere solitũ, Vulcano esse progenitos, quòd quicquid tetigerint, subitò adurant. Alius quidam omnibus horis inserendos putabat, quòd ubique, ac omni tempore plus satis accrescant.

crescant. Quò fit,ut militare eos prorsus negemus,tantum abest,ut militibus nostris aliqua in parte conferre velimus, quibuscum nihil omninò est commune: *l. Militaribus 42. C. de decur. libro 10.* Atque ideò Constantinus Imperator eos, qui relicta Curia, ac foro militaverint, confestim revocari præcepit. *l. Qui derelicta. 17. C. eod. titu.* Quamobrem illos, qui rerum ordinem turbant, & quietem, fora inficiunt, judicibus illudunt, hoc maximè quæstu pascuntur, si clientum frugem depascantur, non magis, quàm negotiatores, in militiam admittemus.

Caput X.

Colonos non militare.

Permirum quidem videri debet,aliquos esse in Republica, quos urgente necessitate ad supplendos militares numeros in militiam accersamus. Levis autem culpa erit, Fabritios, Cincinnatos, & plerosq; alios ex agris in militiam evocasse. Necessitas enim, quam,ut Philosophi ajũt, nec Deus ipse violat,nullis coërceri potest legibus: *Plato Dialo. 5. de legibus.* tum scriptum est, ex agris viros fortissimos, & milites generosissimos gigni: *M. Cato de re rustica.* fortior enim miles ex fragoso venit, nullumq; laborem detrectant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur.

Sene.

Senec. Epi. 18. Veruntamen Valentinianus Imperator *l. Colonos. 19. C. de agric. & cenſit. lib. 11.* prohibuit colonos ad ullũ quamvis humilioris militiæ locûm admitti, quòd implicatos coloniis, ac hujuſmodi ruſticis functionibus, quæ vel totam hominis operam deſiderãt, ad caſtrenſe ſtipendium tranſiiſſe minimè decens videatur, *l. 1. C. de fugit. colo. lib. 11* Hinc edictũ eſt, *l. fi. C. de manci. & colo. patri. ibidem.* eos, qui, cùm ſolum colerent, ad militiam convolaverunt, ad propria jura, prioresq; conditiones revocandos eſſe. Nam in optima Republica non conſervationi tantùm civitatis, ſed & dominorum, & fundorum utilitati conſulendum eſt. *l. Originarios. C. de agric. & cenſit.* Quid prodeſſet, civitatem in milites, artifices, & agricolas diviſiſſe, ſi non alios ab aliis diſcerneremus? Si quis in benè conſtituta civitate poſſit ſe in omneis formas vertere, artifices imitari, terram fodere, vel arare, militiam exercere, probabitúrne ab omnibus? Is quidem Platoni *Dialog. 3. de Republ.* & ſacer, & admirabilis videbitur: at unguento caput perunctus, lanaq; coronatus mittetur in aliam civitatem. Itaque neceſſarium eſt, alios eſſe, qui Rempublicam defendant: *Ariſtot. Politic. 2.* alios item, qui privatim agros habeant, & colant. Nam quis militibus commeatum parabit? quis civitati annonam neceſsariam miniſtrabit, ſi eoſdem, qui agrum colunt, Rempublicam defen-

defendere oporteat? Non igitur agrorum ſordes cum decôre militiæ conveniunt, *l. 2. C. de Præpo. ſacri cubi. libro 12.* ideoq; Imperatores illos fundis, & poſſeſſionibus reddi voluerunt, etiamſi armatæ militiæ ſacraméto fuerint alligati, *l. Servi. C. de agri. & manci domi. lib. 11.* Sint licet illorum obdurata corpora, ſint ad omnem laborem probè inſtructa: ego tamen ex noſtris colonis, qui dies totos tum æſtate, tum hyeme terram verſant, & fodiunt, nullum militem faciam: ac multò minus ex Anglorum colonis, quibus lex præſcripta eſt, ut citra ſudorem laborent, aréntve, ullos in milites eligam. *Polyd. Vergil. lib. 1. hiſt. Anglicanæ.* Arbitror autem Imperatores, *d. l. 1. C. de fugit. colo.* colonos, qui ad caſtrenſe ſtipendium tranſierant, à caſtris avocaſſe, ac ſtipendia illis prorſus abſtuliſſe, ea tantùm de cauſſa, quòd ut innocentes illi, ita & quieti eſſe debeant, ac neglectis militaribus occupationibus, in agris, ac ſedibus ſuis permanere, *l. 3. C. de defen. civita.* Atque licet laudetur Iccius ab Hor. *Car. lib. 1. Ode 29.* qui à Philoſophia ad militiam ſe contulerat, & coëmptos undiq; nobiles libros Panætii, Socraticam & domum mutaverat loricis Ibêris, Jura tamen (ne terminos tranſiliamus) colonos ad militiam admitti prohibuerunt, *l. 3. C. qui milita. non poſſunt libro 12.* Verùm licétne ex veteranis colonos, ac agricultores facere? Ne iſtud quidem

dem. Nam irreligioſum videtur, eos, qui caſtrenſibus ſtipendiis ocia quieta meruerunt, tela ſua in uſum vomeris, aut ligonis convertere, *d.l.fin.C.de Mancip.& colon.patr.* Cujus quidem rei admonet nos Prob⁹ Imperator, qui dum militem ruſtico opere fatigaret, indignitate rei motus miles, Imperatorem oppreſſit. *Alber. Krantz hiſto. Saxo.lib.3. cap.3.* Ergo: *Hor.Serm9.lib 1.Satyr.1.*

Militia eſt potior. quid enim? concurritur: hora
Momento cita mors venit, aut victoria læta.

CAPUT XI.

Servos non militare.

PRÆTEREA ſervos ab omni militia Martianus Juriſconſultus repulit, *l. Ab omni.ff. de re mili.* quòd illi ignobiles ad nobilem illam militiæ artem non accendantur. Sed quos, inquies, ſervos dicimus? poteſtné aliquis contra naturam dominio alieno ſubjici? *§.2. Inſtitut. de iure perſon.* Illéne, qui potentia præcellit, & vim afferre poteſt, ſervum ſuum me efficiet? Ego quidem ut exiſtimo vim abſq; virtute nullam omninò eſſe, ita & id, quod ſuperat, in boni alicujus excellentia conſtituo. Virtus enim conjuncta potentiæ vim maximam afferre poteſt. Itaque cùm ſtudioſum hominem negligentioribus dominari oporteat, non immeritò capta bello, eorum,

qui ceperunt, fieri dicuntur, *l. Et servorum. §.1. ff. de stat homin.* Similiter congruum est, eos, qui res longè retrò prævident, & præcognoscunt, indormientibus, ac somnolentis imperare, & dominari. Apud Barbaros servus, & fœmina, quos Natura non formavit, ut dominentur, sunt in eodem gradu. Hinc dixerunt Poëtæ Græcos Barbaris dominari, quòd idem sit natura servus, & Barbarus. Igitur qui sui ipsius non est secundum naturam, sed alterius homo, hic natura est servus: neq; servitus præter naturam cuiquam videri debet, cùm imperare & parêre non solùm necessariorum sit, sed & utilium: nam & in his, quæ sunt vitæ expertia, instar harmoniæ quoddam est imperium. Atqui, cur servos nostros milites non facimus? Istud quippe absurdum videretur, nisi Jurisconsulti liberos tantùm homines ad civitatum, & provinciarum defensionem instituissent: noluerunt enim ad id honoris infimæ sortis vulgus assumere, *l. Generali C. de tabul. lib. 10.* Nos quoque, si fieri potest, ex Diis progenitos esse volumus, ut erat Theodecti Helena, quam nemo servam jure appellaverit. Atque ideò Metellus, cùm in Numidiâ cum exercitu venit, omnia adjumenta ignaviæ sustulit: *Sallustius in Iugurth. bello.* edixitq;, ne miles gregarius in castris, néve in agmine servum, aut jumentum haberet. Sed neq; servi tantùm à militia rejiciuntur: at &

at & qui de libertate sua litigat, miles esse non potest, *l. Qui de libertate 29. ff. de liberali caussa.* Scripsit enim Ulpianus, *l. Qui status. ff. de re mili.* eos, qui in status controversia versantur, licet revera liberi sint, non debere tamē per id tempus nomen militiæ dare, sive ex libertate in servitutem, sive contrà petantur: ac ne ii quidem, qui ingenui bona fide serviunt, sed ne qui ab hostibus redempti sunt, priusquam se luant. At quam pœnam infligemus servis, qui in militiam se ascribi passi sunt? Trajanus rescripsit, sumendum esse capitale supplicium: *Plinius Episto. libro 10.* referre autem hoc videlicet modo. Si voluntarii sese obtulerint, animadvertendum in illos erit: si electi sunt, Inqsitor peccavit: si vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederūt: nihilq; interest, si per numeros nondū distributi sunt. Ille enim dies, quo primùm probati sunt, inspici debet, etiamsi nondū in numeros sint relati. Sic est mehercule servitus omnis & imbellis, & misera, atq; ea de caussa omninò à militia arcenda: bellorū tamen necessitatē excipio. Nā Marcus Antoninus Imperator servos, quemadmodum bello Punico factū fuerat, ad militiā paravit, quos voluntarios exēplo Volonū appellavit. *Iul. Capitol. in vita Antoni.* Sextus Cæsar, cùm civilia prælia essent inter Italos, & Romanos, ex Acherris exercitū educēs, civitates adversantes obsedit, & multos servos militiæ ascripsit.

Appianus, lib. de bello civili. Post cladem Cannensem eò redacti sunt Romani, ut ne liberandorum quidem servorum facultas daretur: *Valeri Maxi. libro 7.* antea tamen servus, nisi deposita servitute, nullus militaverat. Servi quidem, si ignorantibus dominis militiam meruerint, spoliati militia ad dominos pertrahentur: si verò dominis scientibus, ingenui facti videbuntur, dominiq; omni patronatus jure decident. *l. super servis. C. qui mili. poss. libro 12.* Quod Romanorum exemplo adnotare possumus: nam L. Aemilio Paulo, & Terētio Varrone Coss. servi, quod non antea factum fuerat, primùm manumissi, facti sunt milites: & quicunq; sceleribus, aut ære alieno obligati erant, exoluti sunt, numerusque pervenit ad sex millia: manumissi autem, ac ingenui facti erant, antequam militiam sortirentur. *Eutropius libro 3. de gest. Roma.* Libertini itidem tunc primùm militare cœperunt, cùm Pompejus Strabo Picentes bello superasset: quem modum & deligendi, & comparandi exercitus posteà Romani Principes imitati sunt. *Tit. Livius, lib. 24. ab Vrbe.* Atq; Augustus libertino milite, dum tumultus gravitate annonæ timebatur, & incendiorum caussa Romæ usus est, *Tranq. in vit. August.* ac semel ad præsidium Coloniarum Illyricum contingentium: iterumque ad tutelam ripæ Rhodani. Insuper cùm Thyrreni, & Umbri à Romanis

manis defeciſſent, veritus Senatus Romanus ne hoſtibus ingruentibus Urbem minùs tueri poſſet, mare omne à Cumis ad Urbem uſque libertis communivit. *Appianus libr. 1. de bello civili.* Addemus etiam bellum ſervile fuiſſe aliquando Romanis & terrori, & formidini: ac illud maximè, cujus initium extitit in Sicilia Euno ſervo natione Syro Duce, qui ſolutis ergaſtulis juſti exercitus numerum implevit. *L. Florus epitomat. lib 56.* Cleon quoque alter ſervus ſeptuaginta millia ſervorũ contraxit, & contra populum Romanum duxit exercitum. Illi tamen, ut ſervitutem neſciebant, ita ingenua quadam animi celſitudine ad ſervile jugum propulſandum excitabantur.

CAPUT XII.

Reos criminis non militare.

TAM ſanctum, tamque nobile eſt militiæ nomen, ut non criminoſos tantùm, ſed & criminis reos militia prohibeamus. Criminoſis quidem ſatis omnibus innotuit non dignitates, ſed pœnas debere imponi, *l. ne quis. 38. C. de decurio. lib. 10.* ideoq; adulterii, vel aliquo publico judicio damnati nullo pacto inter milites recipiendi ſunt. *l. Qui cum. §. adulterii. ff. de re milit.* Nemo enim quantumvis irreligioſus infames aliquos in milites eligeret: mi-

les autem lege Julia de adulteris damnatus ita infamis eſt, ut etiam ipſa ſententia eum ſacramento, ignominiæ cauſſa, ſolvat, *l. 2. §. miles. ff. de his, qui not. infam.* neque ſolùm damnatum abjiciemus: ſed & is, qui cum adultero uxoris ſuæ pactus erit, ſolvi ſacramento, deportarique jubetur: *l. Miles, in princip. ff. ad leg. Iul. de adulter.* qui verò ignominia miſſi ſunt, poſteà non ſunt recipiendi militare volentes, licet fuerint abſoluti, *d. l. Qui cum. §. ignominia*. Caveamus igitur, ne perfectam noſtram militiam criminoſo nomine inquinemus: atque, quò longius criminis nota repellatur, eum, qui metu criminis, in quo jam reus fuerat poſtulatus, militiæ nomen dedit, ſacramento ſolvemus: *l. final. ff. de re militari.* cùm ſæpiſſimè ab Alexandro Imperatore reſcriptum ſit, *l. unic. C. de reis poſtulat. libr. 10.* reos criminis poſtulatos novos honores appetere non debere, priuſquàm ſe purgaverint. Accedit Arrii Menandri reſponſum: *l. Qui cum, § ad tempus. de re militari.* ad tempus relegatus, ſi, expleto ſpatio fugæ, militiæ ſe dedit, damnationis cauſſa inquirenda eſt, ut, ſi contineat perpetuam infamiam, militia expellatur: ſi non perpetuam, & in ordinem redire poteſt, & honores petere militiæ non prohibetur. Neque enim conceditur, ut is ullo tempore ſe purget, qui

qui perpetua infamiæ nota inuſtus eſt. Exautoratur præterea is miles, qui eo animo militiæ ſe dedit, ut ſub obtentu ejus preciοſiorem ſe adverſario faceret: non tamen omnes, qui litem habuerunt, & ideò militaverunt: ſiquidem eo nomine exautoratus non utique infamis erit, nec prohibendus lite finita militiæ ejuſdem ordinis ſe dare: alioquin etſi relinquat litem, vel tranſigat, retinendus eſt in ordine. *d.l. Qui cum. §. non omnis. & ſeq ff. Eod.* Itidem ſanxerunt Severus, & Antoninus AA. *l. 1. C. qui militare non poſſunt. libr. 12.* eos, qui litis cauſſa militiam appetierint, ſolvi ſacramento: ideoque illi omnes in militiam noſtram, quam undique collucere volumus, neutiquam aſſumentur.

CAPUT XIII.

Eunuchos, & membris debilitatos non militare.

CUM militibus duo ſint maximè neceſſaria, quorum in altero venuſtas eſt, in altero viriditas, venuſtatem probitati jam cõjunximus: viriditas autem robori aſcribenda eſt. Ergo dum robur, ac vires in milite deſideramus, virum inter viros conſtituamus oportet: cui multus adſit ſanguis, plurimus ſuccus, vires valentiſſimæ, ac, ut uno verbo

finiam, fit ille, velim, membrofus, & benè mentulatus. Nam fi exectis membris auferatur ab eo illa viriditas, quæ homini naturaliter infita eft, quantum virium, vel roboris in bello habiturum exiftimas? Quo modo autem lacertis, ac viribus pugnabit, cui teftes, à quibus diffunditur, eliciturq; virilis pars hominis, ablati funt? Eam ob rem Domitianus, & Nerva Imperatores fapienter legem tulerunt, ne ullo pacto mares caftrarentur: *Tranq. in vit. Domit. Dion in vit. Nervæ.* voluitq; Conftantinus, *l. 1. C. de Eunuchis*, ut, fi quis in orbe Romano Eunuchos feciffet, capite puniretur: aufertur enim vis illa naturalis ingenita, quæ maximè omnium decet militem. Ac licet Ariftoteles Ermeam Eunuchum Atarne oriundum Tyrannum fit ita admiratus, ut illi perinde atque Diis facra fecerit, *Lucianus in Eunucho*: attamen Eunuchum effe animal quoddam varium, atque anceps, non aliter quàm Cornices, quæ neq; inter Columbas, neq; inter Corvos numerantur, procul dubio afferemus. Lucianus in Rhetoris officium Eunuchos eligi poffe negat. *Lucian. in Rhetore.* Suidas refert Antiocho Præpofito edictum propofitum effe per Theodofium Imperatorem, ne inter Patritios effent Eunuchi. Qui tamen cum uno tefticulo natus eft, quíve amifit, jure militabit, fecundum Divi Trajani refcriptũ, *l. qui cum. in pr. ff. de re mil.*
nam

nam duces Sylla, & Cotta produntur eo habitu fuiſſe naturæ. Nempe qui unum tantùm habet teſtem, neque morboſus, neque vitioſus debet cenſeri, cùm generare poſſit, *l. Pomponius. 6. §. fi. ff. de ædil. edicto*. Eunuchos igitur ut in militiam aſcribi nolumus, ita non negamus Spadones multos milites ſtrenuos extitiſſe. Nam Narſes Juſtiniani temporibus, qui Gothos Italia expulit, fuit Spado. Euterius Conſtantij Cæſaris cubiculo præpoſitus, miles egregius Eunuchus erat, *Ammia. Marcel. lib. 16*. Baiazethes ſecundus Turcarũ Imperator Halis Baſſę Eunuchi, ac militis laudatiſſimi opera Dalmatiã vaſtavit, ac Perſas inſequutus eſt, *Paulus Iovius lib. de reb. Turcicis*. Selimus Turcarum Imperator virtute Sinami Baſſę Eunuchi Perſas fudit, Aladulum Cappadociæ Principẽ vicit, Alcairum cepit. Cyrus cum Babilona expugnaſſet, ad Corporis ſui cuſtodiam, Spadones tantùm adhibuit, dicebatq; eos robore corporis non carere, exemplo ſumpto ab equis, qui exſectis teſticulis à morſu, & calcibus nõ retardantur, nihiloque minus ſunt bellicoſi, *Xenophon in pædia Cyri, libro ſeptimo*. Tauri itẽ caſtrati nihil minus agros aratro ſulcãt: Canes ad cuſtodiam, & venationẽ nihilo ſunt deteriores. Meminerunt Antiquorũ hiſtorię Bagoe mille militũ Præfecti Spadonis bellicis rebus tractandis mirificè idonei, *Dio. Sicul. lib. de geſt. Alex*. Theobaldus Spoletinorũ,

nec nõ Camerinorũ Dux Beneventano Principi adversus Græcos auxiliũ ferens, captivis omnibus virilia abscidit, ac Imperatori Græcorũ remisit, quibus nihil utilius Spadonibus erat, *Luitprand. li. 4. de reb. per Europã gestis.* Ad extremũ, qui mẽbro aliquo debilitati sunt, illi ne militẽt, si modò ea corporis pars ad tegẽdũ, vel nocendũ est necessaria. Ideoq; eũ, qui uno oculo caret, nõ rejiciemus. Zischa Eques strenuus Bohemus, qui Hussitanarũ partium fautor fuit, egregiusq; miles, altero oculo in prælio amisso plurimis potit⁹ est victoriis, ac tandẽ utroq; orbatus, castrensem laborẽ, reique militaris curã non abiecit, Sigismundũ Imperatorẽ fugavit, oppidum Brodam vi captum incẽdit, & magna fugientiũ præda non mediocriter ditatus est, *Aeneas Silvi⁹ c. 44. in hist. Bohe.* Si quis autẽ debilitaverit filiũ delectum propter bellũ, ut inhabilis militiæ sit, præceptum Divi Traiani deportari eum jubet, cùm inhumanũ sit, alicui vitium, & detrimentum afferre, quo honores adipisci prohibeatur, *l. Qui cum §. Eum qui filium. ff. de re mil.* Est quoque gravius delictum, detrectare munus militiæ, quàm appetere: nam qui ad delectum olim non respondebant, ut proditores libertatis in servitutẽ redigebãtur, *d. l. qui cum. §. gravius. d. t.* Et quidem Octavius Augustus rectissimè fecisse commemoratur, qui Equitis Romani, quòd duobus filiis adolescentibus caussa de-

trectandi

trectandi sacramēti pollices amputasset, bona hastæ subjecerit: nam ut viro forti optanda est militia, ita nihil refugiendum, faciendúmve, quò ab ea discedamus, *Tranquillus. in vita Octa.*

CAPUT XIV.

Generaliter, qui militare non possunt.

HIs adjungi possunt nonnulli, quos omnino jura militare prohibuerunt: cujusmodi Imperatores Valentinus, & Martianus voluêre, nullum Apollinaristam, vel Eutichianistam hæreticum ad aliquam aspirare militiā: qui, si inventi fuerint, militari cingulo soluti, honestorū hominum & palatij communione priventur, *l. Quicunq; C. de Heret. & Manichæis.* Infamia enim, ac indignitas hos à militia repellit. Sunt itē nonnulli, quibus ex privilegio cōcessum est, ne cogantur ad militiā, quo modo Romulus sacerdotes constituit, quos per omnē vitā militaribus solutos esse officiis voluit, atq; civilib⁹ molestiis, *Dio. Halic. lib. 2.* Julius Cæsar apud Gallos idipsum Druidib⁹ est impertitus, ut à militia vacationē haberent, rerumq; omniū immunitatē, *Cæs. lib. 6. de bello Gall.* Idē munus Monachis nostris concessum nō ausim asserere, tū quòd egregiè adipati illi ventres, si quando è cavea prodeāt, aptissimi ad arma ferēda censebūtur: tū quòd inclusos carcer, & imaniores, & asperiores efficiat. Atq;

Atq; eam ob caussam Valens Imperator legem tulit, ut Monachi militarent, ac repugnantes interfici jussit, *Paulus Diaco. lib.* 11. *de gest. Romæ* quod tamen in contemptum religionis factum perfacilè existimavero. Adde, fieri non posse, ut Romana non fatiget militia assuetum græcari, *Hora. Sermo. lib.* 2. Verùm certum est, Constantinum Imperatorem Constantem filium è monacho Cæsarem fecisse, atq; in Hispaniam cum Barbaris quibusdam, qui quondam in fœdus recepti, posteaq; in militiā allecti fuerant, misisse: tuncque vastatæ sunt bello Hispaniæ, *Paul. Orosius lib.* 7. Bisetislaus Pragensis Episcopus regnū Bohemorum, ac Episcopatum decem & sex annis tenuisse commemoratur, ac militari scientia prudenter ab hostium furore conservasse, *Aeneas Sylvius cap.* 25. *Histo. Bohe.* Paulus Tomoreus Collocensis Episcopus, ac monachus Franciscanus Hungarorum copias contra Solimannum, qui hodiè Turcis imperat, duxit, ac propè Budam in prælio occubuit, *Paul. Iovius lib. de reb. Turc.* Joannes Carvail Hispanus, vulgò Cardinalis sancti Angeli dictus, cum Joanne Capistraneo monacho ad Bellogradum in Mahumetem Turcam exercitum duxit, & fugavit, *Blondus lib.* 3. *Romæ triumph.* Henricus Cardinalis in Anglia Romani Pontificis Legatus magnum numerum militum coëgit, atq; in Bohemos duxit: infelicis-

licissimè tamen dimicavit *Poly. Vergil. lib.23. histo. Anglic.* Is Henricus à Martino Quinto Pontifice Romano, Basiliensi concilio præfectus est, *Aeneas Sylvius cap. 65. histo. Bohe.* Hæc libuit adjicere, ne Monachorum honori quicquam detractum videatur. Addemus hîc præterea decrepitos, & senes militare non posse. In quo laudandus est Gordianus Junior Imperator, qui nullum senem militare passus est, ac nullum puerum annonas accipere, *Iul. Capitol. in vita Gordiani.* Nam ut militia imbecillitatem non recipit, ita neq; admodum juvenes, & adhuc teneræ ætatis admittemus. Et hîc placet C. Gracchi lex, qua sanxit, ne minores decem, & septem annis ad militiam cogerentur, *Plutar. in vita Graccho.* Legimus tamē Julio Flacco, & Appio Claudio Coss. propter juniorum inopiam, &, ut supplementū veterib⁹ scriberetur, Tribunis plebis permissum, si his videretur, ad populum ferre, ut, qui minores septem, & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem, & viginti annorum, aut majores, milites facti essent, *Livius lib. 5. Decad. 3.* In summa: non ita claudenda est nostra militia, ut eam latius aperire non possimus: neq; ita reseranda, ut omnibus pateat. Ea tantùm referre volo, quę à Majoribus observata sunt, ne quis nos dedita opera nonnihil prætermisisse, aut adjecisse calumnietur.

Equites

CAPUT XV.

Equites.

CUM genus universum in species certas ita dividi debeat, ut nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, militiam omnem in duas tantùm parteis distribuimus, Equites, & Pedites. Hujus certissimum argumentum subministrat nobis Imperatorum Valentini, Valentis, Gratiani, & Theodosij rescriptum, *l. 1. & 2. C. de Apparit. mag. mili. lib. 12.* quo manifestè ostenditur, eos ordinis esse militaris, qui apud magistros Equitū, & Peditum militiam sortiti sunt. Sumpserunt autem illi exemplū à Romulo, qui tres Equitum Centurias instituens, quas suo nomine Ramnes, à T. Tatio Ticienses, à Luci cōmunione Luceres appellavit: Equites item armatos trecentos, qui celeres vocarentur, tum pace, tum bello, ad sui corporis custodiam ordinavit, & Tribunum, qui his præerat, nuncupavit. Reliqua verò multitudo Regem in bellū euntem sequebatur pedes: universos autē milites appellabat, *Livius lib. 1. ab Vrbe.* Hîc ego ordinē, dignitatem, militiamq; equestrē compræhendo. Ac primùm quidē de his, qui equestri militia exornati ejusdem splendore relucent, & excoluntur. Horum bona pars in Romanorum exercitu armis tota obsepta erat: & hinc Catafra-

ctorum

fractorum nomen: qui non solùm sua corpora, sed etiam equos lorica undique muniebant, *Aelianus de instru. acieb.* Partis verò non catafractæ alij Hastati erant, qui manus conserebant, & cominus hasta decertabant: alij Ferentarij, qui eminus solebant dimicare: quorum alij jaculis, alij arcu utebantur. Invaluit autem apud Romanos Equitum Græcorum mos: nam cùm prius thoraces non haberent, ac sæpissimè in subligaculis periclitarentur, licet ad descendendum, ac celerius insiliendum habiliores essent, ut tamen securius pugnarent, Græcos imitari maluerunt, *Polybius lib. de Roma. castramet.* Atq; anno ab Urbe condita tricentesimo quinquagesimo primo, quo tempore per Tribunos militum Respublica Romana regebatur, primùm Equites merere equis inceperunt, *Livius lib. 5 primæ Decad.* Quibus etiam, si sint filijfamiliâs, hoc privilegium à jure cōcessum est, ut, ubi primùm equestri militia exornati fuerint, & in comitatu Principum retenti, & cingi confestim jussi, testamentum de castrensi peculio facere possint, *l. penult. ff. de test. mili.* Etenim cur non illi summa commoda ab Imperatoribus consequentur, quibus firmum sibi præsidiū constituunt? quos aliquando fesso pedite ex equis descendisse, & pugnam capessisse, ac ruinæ similem stragem, quàcunq; pervaserant, effecisse notū est? *Livius libro 2. ab Vrbe cōdi.*

Quis

Quis non summopere probabit, amabitq; Hippocentauros (si modò uspiam fuerint) qui tum hominis prudentia, manibusq;, tum equorum velocitate, & viribus uterentur? qui fugientes facilè capiebant, expectantesq; facilius vertebant in fugam? *Xenophon lib. quarto in pædia Cyri.* Hujus generis Hippocentauris quos rectius comparare queam, quàm Equites, non habeo, qui nunc Equitis, nunc Peditis vicem sustinent, ubiq; strenuè dimicantes. Horum Sabinensi prælio præcipua gloria fuit, cùm utrinq; a cornibus positi, pulsa jam media Peditum suorum acie, ita incurrerunt à lateribus, ut non sisterent modò Sabinas Legiones ferociter instantes cedentibus, sed subitò averterent, *Livius lib. 1. ab urbe cond.* Qui soli Numidarum Regem in bello Jugurthino sequuti sunt, *Sallust. in Iugurtha.* qui C. Cæsari tam firmo fuere præsidio, ut in primis equitatui studuisse commemoretur, *Cæsar lib. 7. de bel. Gal.* Hos itaq; quorum virtute nomen Romanũ gloriam possedit cum laude conjunctam, dum ab equestri militia mittebantur, in equestrem ordinem, dignitatemq; assumptos nihil mirabimur: neq; eos tantùm gradum aliquem post clarissimos Consules obtinere, sed & ordini Senatorio dignitate proximos extitisse dicemus, *Cicero pro A. Cluentio.* Equestris autem ordo medius quidem erat apud Romanos inter plebem, &

Sena-

Senatores: neq; ob bellicæ virtutis præmiũ tantùm illud inſigne dabatur, ſed & Senatoribus, licet ordine Senatorio minor eſſet. Atq; tanta affinitate Senatorius ordo cum Equeſtri junctus erat, ut C. Gracchus Tiberij frater, ac non multò pòſt Livius Druſus Tribunus plebis utrumq; confundere decreverint. Sed de hoc Equeſtri ordine, cùm ad militiam equeſtrem parùm admodum pertineat, pauca dicemus. Proinde licet is, qui inter Equites meret, dignitatis, ac ordinis equeſtris nomine compræhendatur, *l. Reſtituendæ. §. 3. C. de aduo. diver. judicum.* ea tamen, quæ equeſtri ordini à jure conceſſa ſunt, non tam ob virtutes bellicas, quàm civilem Reipublicę adminiſtrationem conceſſa intelligimus. Sint illis aureorum annulorum jura, in Senatu ſententias tulerint, atq; ideo Pedarij ſint vocati: Cæſares illis laticlavum ornamentũ honoris tradiderint, ſecundum gradum poſt clariſſimos Conſules obtineant: *l. uni. C. de equeſt. digni. lib. 12.* hæc tamen nihil ad equeſtrẽ militiam. Nam cuicunq; equeſtri ordini quis ſit annumeratus, negari non poteſt, id ex indulgentia Principis, non bellicę virtutis gratia conceſſum eſſe, *l. Nuper. ff. de dona. inter vir. & uxo.* Cur, quæſo, Sabinus jam grandis natu, ac quinquaginta ferè annorum in equeſtrem ordinem aſcriptus eſt? *l. 2. § poſt hunc. 47. de orig. jur.* Illéne cum hoſtibus dimicaverat? erátne

armis, viribusq; Rempublicam tutatus, dies totos, nocteisque in studio litterarum delitescens? semper cum mutis Magistris versatus? buccinarum clangore, armorum fremitu, equorumq; strepitu nusquã excitatus? Huic equestri ordini simile est apud Anglos Commilitonum institutum, quòd vulgò Garteriã vocant, *Polyd. Verg. lib. 9 hist. Angli.* in quo sex sunt, & viginti Equites, aliusque in demortui locum per electionem cooptatur. Utuntur pallio cæruleo: crus sinistrum parum infra genu loro fibulato cinctum est. His certæ leges dicuntur: atque hæc imprimis, ut in præliis sese mutuò juvent, ac nusquam è bello turpem fugam faciant. Idem penè est ordo regius apud nos, quem divi Michaëlis dicimus.

Caput XVI.

Pedites.

Iucundum aliquando fuit Scipionibus, & Maximis non bella gesta solùm, triumphosq;, sed & pedestres primùm pugnas recordari, *Cicero de Senectute.* idcirco nos nulla facta Peditum mentione pertransisse nefas fuerit. Sunt namque Pedites militiæ nostræ pars altera. Prima quidem Respublica apud Græcos ex his constituta est, qui bellum gerebant, *Arist. Polit. li. 4.* ab initio sanè ex Equitibus:

bus: nam tunc robur belli in Equitibus erat: peditatus enim nisi ordo, ac disciplina adsit, fermè semper inutilis est. Ordo autem, ac disciplina militaris illis temporibus nondum erat: qua inventa, Peditatus ita Equitatui adjunctus est, ut separari nequeant. Equites ergo Peditibus tã conjuncti sunt, ut si quis Magistrum militũ vocet, & Equitum, & Peditum intelligamus, *l.1. C. de offi. Magi. mili.* Rescripserunt enim Imperatores, *l.1. & 2. C de Apparit. Mag. mil. lib. 12.* utrosq; ordinis esse militaris, in nullo alteros ab alteris separantes. Neq; video, quantum ad privilegia, quid discriminis habeant. Ea tantùm differẽtia in desertionis crimine reperitur, ut, dum Eques gradu pellendus est, Pedes militiam mutare debeat, *l. Non omnes. §. Qui in pace ff. de re milit.* de quo infrà. Hîc Equites Peditibus, Peditésve Equitibus præferre nolo, neq; utrorumuis commoda, incommodáve enarare: id tantùm monebo, Francos Theodiberto Duce in Italiam venisse ad millia centum contracto exercitu, qui omnes propè Pedites erant, nec arcus, nec tela gestantes, sed hastam, & clypeum, securimque: cujus ferrum crassius erat, & utrinque acutum: hasta verò brevior admodum, *Procopius libro 2. de bello Gothor.* Frotho autem Danorum Rex legem tulit, ut is reus capitis esset, qui alia de caussa equi usum expeteret, quàm ad trajiciendum amnem:

non enim Equitibus in bello utebantur. *Saxo lib. 5. hist. Danorum.* Proinde Servio Sulpitio, qui & majorum continentiam diligebat, & sui seculi vituperabat insolentiam, gratior visa est ænea statua, eáque pedestris, quàm equestris inaurata: *Cicero Phili. 9.* istorum tamen nullam differentiam, aut parvam admodum statuimus. Præthereà pedestres ordines in treis parteis distribui certum est: in Armatos, Velites, & Peltatos, *Aelianus de instr. acieb.* Armati gravissimis armis utebantur, scutum amplissimũ, & rotundum gerebant, & hastam longiorem. Velites omnium levissimè armabantur, non loricam induti, non ocrea muniti, non clypeum, aut scutum grave gerentes, telis tantùm, aut sagittis vtebantur, jaculis, lapide aut ex funda, aut ex manu. Peltati locum inter Armatos, & Velites tenebant: armaturæ genus levius, quàm Armati: & gravius, quàm Velitis: pelta enim scutum parvum, & leve erat: Conti eorum longè Sarissis erant breviores.

Caput XVII.

Principes, & Principia militaria.

IAm verò, cùm in hac nostra Equitum, Peditumq; militia Principes esse comperiamus, ne quid prætermissum sit, quod ad jura militum pertineat, hîc declarandum est, Principes

cipes apud Romanos in secunda acie fuisse: in prima Hastatos: in tertia Triarios, *Livius lib. 8 ab Vrbe condi.* Principes autem Antepilani dicebantur, & robur erat exercitus. Itaque in acie nullus tutior locus erat, quàm post principia, quæ Principum militũ loca erant. Officium autem Tribunorum est, principiis militum frequenter interesse, ut querelas Commilitonum audiant, ac valetudinarios inspiciant, *l. officium. § fi. ff. de re milita.* Nam Imperatores locũ dirimendis litibus inter principia assignabant. Ideoq; ab Anastasio Imperatore rescribitur. *l. Iubemus § super his. C de erog. milit anno. lib. 12.* si qua inter actuarium, & militem super pactione, vel negotiatione emerserit dubitatio, caussam ipsam apud principia terminari. Ibi namq; litibus militum finis imponebatur, ubi præcipuũ erat robur, & præsidium exercitus. Ad ista principia constat Othonem Imperatorẽ omissa mora succollatum, & à præsente comitatu Imperatorem consalutatũ inter faustas acclamationes, strictosq; gladios devenisse, quò tutius illi esset præsidium, illisq; debitũ honorem pręstaret, à quibus potiores vires expectabat, *Tranq. in vita Othonis.* Principibus autem erat gravior armatura, ac præter Catafractas, & Galeas, Ocreas etiã ferreas in dextris cruribus gestabant: quæ rei militaris Scriptoribus exponẽda relinquimus. Hoc solũ satis sit, Principes

reliquis ætate, & viribus priores extitisse, ut, si Hastati comisso prælio ab hostibus deturbati retrocederent, ad principes, & gravioris militiæ viros tutum foret se recipere, qui integris adhuc viribus urgentes fessos adorirẽtur, & impressionem facerent.

Caput XVIII.

Voluntarius Miles, & Datus.

Cum prima hominũ commendatio ad gloriam ex bellicis rebus comparari debeat, hi maximè laudandi sunt, qui se ad præclara militiæ onera cõtulerint, quiq; propria animi inductione viam illam delegerint, qua cunctas excitari virtutes arbitramur: quam ut indigno perdifficile est, ac nefandum appetere, ita digno & decorum est, & honestũ, necessarium etiam ausim dicere: nam voluntario milite numeri plerumq; supplendi sunt. *l. Qui cũ §. gravius. ff. de re mil.* In hunc modũ Luc. Valerius, & Mar. Horatius Consules, cùm cognitum esset, Equos, Volscosq; sum̃a vi bellum apparare, partiti Provincias ad ea bella delectum edixerunt: ac favore plebis non juniores modò, sed etiam emeritis stipendiis pars magna voluntariorũ ad nomina danda præsto fuere, eoq; non copia solùm, sed genere etiam militũ Veteranis admixtis firmior fuit exercitus, *Livius lib. 3. primæ Decad.* Vitellius

Im-

Imperator tāti fecit volūtarios milites, ut delectum ea conditione in Urbe habuerit, ut illis non modò miſſionem poſt victoriam, ſed etiā Veteranorū, juſtæq; militiæ cōmoda polliceretur, *Tranq. in Vitell.* Scipio, poſtquàm in Siciliā trajecit, voluntariorū militum ſeptem millia ordinavit, centuriavitq;, *Livius lib. 29. ab Vrbe.* Auguſtus Cęſar in Germaniis, & Illyrico cohortes libertinorū complureis legit, quas voluntarias appellavit, *Tranq. in vit. Octavij.* Romani anno ab Urbe condita trecenteſimo quinquageſimo primo voluerūt æs dari ōnibus voluntariam extra ordinē profeſſis militiam, *Livius lib. 5. primæ Decad.* Itaq; non neglecti ſunt ab Antiquis voluntarij milites: quinimò in militiā vocati, & aſcripti. Parū autem differt datus miles à voluntario: nā ut eſt apud Arriū Menandrū, *d. l. Qui cū uno. § Non omnis.* qui ſe militiæ dediſſe perhibētur, nónne voluntarij ſunt? Nōne legitur M. Antonius Servos ad militiā paraſſe, quos voluntarios exēplo Volonū appellavit, *Iul. Capitol. in vita Anto.* Dicitur tamen etiā aliquis datus eſſe ab alio in militiā ut eſt apud Juriſconſultos, de eo, qui requiſitus à patre, ut belli tempore militia ſubtraheretur, poſteà ab eo exhibitus eſt, *d. l. Qui cum §. Qui filium. Eod.* aut de deſertore, qui à patre ſuo fuerit oblatus, *l. Milites §. fin. eod. titu.* de quibus infrà dicemus. Ferè tamen ſemper voluntarius, datúſve confunduntur.

Neque putes propter voluntariam illam militiam plus juris habere, vel privilegiorum. Nam reus capitalis criminis etiam voluntarius miles, ſecundum Divi Traiani reſcriptũ, capite plectendus eſt, *d. l. Qui cum. §. Reus. Eod.* Ac voluntario militi, ſecundum jura, non minus, quàm alij, temporariũ exilium, vel inſulę relegatio aſſignatur. Demum hic admonitos velim milites, grave crimen eſſe, dare ſe militem, cui non licet, *l. 2. §. 1 ff. de re militari.* veluti ij, qui armis victi hoſtibus ſe dediderunt, *l. Poſtlimin. 17. ff. de captivis, & poſtlim.* aut qui malo conſilio, & nefario animo patriam relinquentes, ad hoſtes transfugerunt, *l. Poſtliminium. §. transfugæ. ff. Eod.* quæ in criminibus latiſſimè demonſtrabimus.

Caput XIX.

Miles electus.

PRudentis Imperatoris officium eſt, probatiſſimos, & optimos quoſque ad militiam deligere: quorum viribus, & conſilio tota res bellica conſtituatur, & regatur. Atque illi maximè eligendi ſunt, qui Tyronibus proponant imitandam ſuam induſtriam: qualeis Homerus Achillem, & Pallantem Virgilius nobis proponunt. Hîc tamen, qualis ſit eligendus, docere non propoſui: id unum cenſeo, eligendos eſſe milites,

quo-

uorum nota sit militaris peritia. Rectè Galba Imperator, cùm milites in verba ejus absentis jurassent, & donativum grandius solito pronuntiassent, neq; rem ratam habuit, & subinde jactavit, se legere militem, non emere consuevisse: nam illi erat in animo milites eligere, *Cornel. Tacit. lib. 17.* Sunt præterea in jure milites, qui se eligi patiuntur, neque, cum militiam exercuerint, urgente necessitate, Reipubl. sese offerunt. De quibus, licet voluntaria munera quandoq; privilegiis nihil derogent, *l. Voluntaria. C. de excu. tut.* scriptum tamen est, exactores tributorum constitui posse, si in militiam, vel ordinem se legi passi sint: *l fin. ff. de Vetera*; quamvis Veterani exactores tributorum constitui nequeant. Sunt & alii, qui dissimulant se eligi, qui voluntario militi comparantur in eo, quòd datus ad bestias, si profugerit, inde passus fuerit, vel dissimulaverit se in militiam legi, capite mulctandus est, veluti is, qui se ultro dedit militiæ, *l. Qui cum. §. ad bestias. ff. de re milit.* Item deportatus in Insulam, si effugiens militiæ se dedit, lectúsve dissimulavit, capite puniendus est, *d. l. Qui cum. §. In insulam.* In hoc tamen differt à voluntario, quòd in temporarium exilium condemnatus, si profugiens ultrò se militiæ dedit, in insulam debet relegari: *d. l. Qui cum. §. Temporarium.* si dissimulaverit, perpetuum exilium illi est assignandum.

Caput XX.

Legiones, & Auxilia.

MACEDONES, Græci, & Dardani in præliis Phalanges habuerunt. Celtiberi Catervis utebantur. Romani Legionibus: quas apud nos paucis ab hinc annis Franciſcus Rex Chriſtianiſſimus in uſum retulit, atque in expeditionibus eſt uſus. Legio quidem ab eligendo dicta: *Veget. libr. 2. de re milit.* quod vocabulum deſiderat eorum fidem, & diligentiam, quibus milites probantur. Conſtat autem Legio, ut Pomponius ait, *l. Rerum. ff. de uſucap.* ex pluribus diſtantibus corporibus, non ſolutis, ſed uni nomini ſubjectis. Et habet Legio Pedites ſex millia, ſexcentos Equites: quam primus Romulus conſtituit, idque aucta civitate adventu Sabinorum, & creſcēte imperio. *Plutarchus in vita Romuli.* Nam prius trecentos armatos tantùm ad cuſtodiam ſui corporis elegerat. *Livius lib. 1. ab Vrbe.* Non tamen uno ſemper, eodemq; numero facta eſt Legio: ſed pro robore, ac militari multitudine modò major, modò minor eſſe conſuevit. Nam C. Marius adverſus Cymbros pugnans Legionem ſex millium ducētorum Peditum, ac trecentorum Equitum deſcripſit. Scipio Africanus, cum in Africam trajiceret, eodem numero Legionem conſtituit,

tuit. Camillus quatuor Legiones quaternum millium ſcripſiſſe legitur: *Livius lib. 7. ab Vrbe.* ſic ſæpiſſimè in his deſcribendis apud Romanos variatum fuit. Cùm autem apud eos Legionum delectus habendus erat, congregatis omnibus in præſtitutum diem Tribuni deligebant minimos ætate, ac fortunæ pertenuis in Pilanos: iis adultiores in eos, quos Haſtatos vocant: robore, ac ætate præſtantes in Principes: natu maximos in Triarios: tot enim apud Romanos, ac tales erant differentiæ tam ætatum, quàm appellationum. *Polybius de Romanorum caſtrametat.* Imò & arma dividebant, ut infrà oſtendemus in Capite de armis. Eos verò talem in modum partiebātur: provecti ætate, ac iidem Triarii numero ſexcenti erant: Principes mille ducenti: iis pares Haſtati: reliqui ætate minimi Velites, Pilanive: & ſi majore numero conſtaret Legio, pro portione dividebant, Triariis exceptis: quorum idem ſemper eſt numerus. Hîc forſan non abs re fuerit, aliquot Legionum cognomina recenſere: quæ vel fortuitò indebantur, vel plerumque Imperatorum arbitrio. Spartianus ſcribit legionem primam Minerviæ nomen habuiſſe. Secunda Legio Italica, Germanica, & Parthica eſt dicta. Tertia, Augusta, Cyrenaica, Prætoria, Gallica. Quarta Macedonica. Quinta Martia. Sexta Ferratenſis, & Gallicana. Septima

Clau-

Claudia, & Geminia, Gamilensis. Nona bis Augustalis. Decima Fretensis, Geminia. Undecima Apollinaris. Decima tertia, & decima quarta Geminia, & quandoq; Germanica. Legio vigesima, Victrix. Vigesima secunda, Primigenia. Legio una & vigesima Tacito *lib. 18.* Rapax dicitur. Aliarum nomina nō memini me legisse. Prætereà in Legionibus hic ordo servabatur, ut miles Cēturioni subesset: Centurio Tribuno: Tribunus Præfecto castrorum: Præfectus legato: Legatus Consuli parêret. Hic habes Legionis numerū, formā, & ordinem: quibus auxilia jungenda sunt, neq: tamen Legionibus annumeranda, cùm Jurisconsulti Legionarios ab his, qui quovis alio modo militant, segregaverint, *l. Sed & milites. § qui autem. & §. Veteranus. ff. de excusa. tut.* Accedit Ulpiani responsum, *l. Quod ait. §. exercitum. ff. de his qui notan. infam.* Exercitui præesse eum, qui Legionem, vel Legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat. Quo manifestè patet, non solùm Legiones diversas fuisse ab auxiliis, sed & auxilia illis adjuncta extitisse. Siquidem Auxiliares conducuntur ad prælium è diversis locis, qui nec disciplina inter se, nec notitia, nec affectione consentiunt. Unde si quando discrepant, necesse est ad victoriam tardius pervenire. Illi autem jungebantur Legionibus tanquam principali subsidio in adminiculum.

Enim-

Enimverò potiores ſunt Legionarii, cùm pari conſenſu caſtra muniant, acies inſtruant, prælium gerant. Ideoq; quantamlibet hominum multitudinem diſſipare, frangereq; poſſe videntur.

CAPUT XXI.

Caligatus miles.

QUI in omni militia viliores ſunt, & obſcuriores, Caligati milites appellantur à Juriſconſultis, *Novell 74. quib. mod. nat. effic. legit. cap. illud 4. §. quiſquis 3. verſ. ſed neq;*. Nam Imperatores Theodoſius, & Valentinus Baſſo Præfecto prætorio ſcribentes, *l. A caligato 21. C. de nuptiis.* dum omnibus militibus liberam cum ingenuis mulieribus contrahendi conjugii permitterent facultatem, dixêre, à Caligato milite uſq; ad Protectoris perſonam id concedi: quaſi dicerent, ab infimis militibus ad majores uſque: & Ulpianus *l. 2. ff. de his qui not. infam.* dixit, à Caligato ad Centurionem, vel Præfectum, hoc eſt, à minore ad majorem. Laudatus eſt autem ab Antiquis, nec immeritò, Vitellius Imperator, quòd tota via caligatum quemq; militem obvium exoſcularetur, infimi ordinis militibus familiarem ſe præbens, ac benevolum, *Tranq in Vitellio.* Cæſar quoq; Caligula Vitellium imitabatur in crepidis, & cothurnis, modò in ſpeculatoria

cali-

caliga inter milites: *Tranq. in Calig.* ideoq; militari vocabulo Caligulam eum appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur, *Cornel. Tacit. libro primo.* Caligas exiſtimo tegmina fuiſſe pedum ferreis clavis multiplicibus munita. Plura, ſi voles, è rei veſtiariæ Scriptoribus potes excerpere: hoc tibi ſit ſatis, manipulariorum militum Caligam fuiſſe, ac eorum, qui inferiori loco caſtrorum erant. Hinc caligatas militias Modeſtinus appellat viles, & obſcuras. *l. Non ſolùm ff. de excu. tut.* Ac in ſocordes, & inſulſos immodicæ proceritatis caliga Maximini vulgò jactatur, qui cùm eſſet pedum octo, ac propè ſemis, calciamentum ejus quidã in Luco, qui eſt inter Aquilëiam, & Aritiam, poſuerunt, quod conſtat pede fuiſſe majus hominis veſtigio. *Iul. Capitol. in vita Maxi.* Cicero quoque *Epiſt. ad Attic. libro 2.* Epicratem laſcivum, & dementem fuiſſe cõmemorat, quòd caligæ ejus, ut faſciæ cretatæ, non placerent. Verùm iſta nihil ad rem militarem: ad quam nobis properandum eſt.

Caput XXII.

Primipilarius, & Primipilum.

Caligatorum militum nemo prorſus eſt, qui ſemper in pulveribus, ac infimo loco conſiſtere velit: qui non promo-

veri cupiat, ac tandem ad Primipilarios provolare. Quos ideò hîc attexui, quia quemadmodum inferiores ſunt caligati, ita & Primipilarii ſummo in honore habentur: nam magno honori ducimus primæ exercitus parti præfici: eſtque ea de cauſſa inter maximos Duces nonnunquam ad necem uſque decertatum. *Hector Boëthius lib. 14. hiſtor. Scot.* Primipilarios autem appellãt Juriſconſulti, qui exercent Primipilum. *l. Sed & milites. §. fin. ff. de excuſ. tuto.* Primipilus quidem primus eſt Centurio dicente Livio, *lib. 7. ab Vrbe.* quòd anno ab Urbe condita quadringenteſimo duodecimo Claudio Martio Rutil. quartum, & Q. Servilio Hala ſecundum Coſſ. lex Romæ lata eſt, ne quis, ubi Tribunus militum fuiſſet, poſteà ordinum ductor eſſet. Idq; propter P. Salonium poſtulatum eſt, qui alternis propè annis & Tribunus militum, & primus Centurio erat: quem nunc Primipilum appellant. Vetus autem conſuetudo erat, ut ex primo Principe Legionis promoveretur Centurio Primipili: qui non ſolùm aquilæ præerat, verùm etiam quatuor Centurias, hoc eſt, quadringentos milites in prima acie gubernabat *Veget. lib 2. cap. 8.* Hic tanquam caput, totius Legionis merita conſequebatur, & commoda. Pilum autem, ne quid omittamus, miſſile majus erat ferro triangulo, unciarũ novem, haſtili pedum quinq; & ſemis:

nunc

nunc ſpiculum dicitur, quod ſcutatos Pedites, & loricatos Equites ſæpè tranſverberat. Ego tamen Primipilum apud Juriſconſultos in hac ſignificatione non reperi. Eſt verò illis Primipilum militaris annona, quam Primipilarius exercet. Qui cùm in Legione primus eſſet, ac totius Legionis commoda conſequeretur, militarem quoq; annonam per capita militum dividebat: quod tamen gloſſatores non intellexerunt. Facit, ut Primipilum annonam eſſe dicam, Valentinus Imperator, qui ſcripſit ſpeciebus primipilaribus adærandis eandem pretii taxationem ſervari, quæ in venalibus publicis poterit reperiri. *l. Speciebus. C. de cohortal. & princ. lib. 12.* Accedit Diocletiani, & Maximiani reſcriptum, *l. 3. C. de Primipil. lib. 12.* utilitatem publicam præferendam privatorum contractibus: & ideò ſi conſtiterit, fiſco ſatisfactum eſſe ob cauſſam Primipili, poterit mulier obligatam poſſeſſionem titulo dotis petere. Quòd ſi aliter intelligatur, omni prorſus ratione carebit reſcriptum: & facilè fiet, ut in multas, ac nodoſas difficultates collabamur. Dicamus itaque privatæ utilitati publicam præferendam eſſe: ideoq; Primipilum ita adminiſtrari debere, ut nihil omitti debeat, quod neceſſarium Reipublicæ videatur, *l. Officiales. C. de Epiſc. & cler.* Hinc mirum videri non debet, non prius ſatisfieri doti mulieris, quàm fiſco conſtiterit

rit ſatisfactum ob cauſſam Primipili. Si tamen bona mariti ob adminiſtrationem primipilariam à fiſco occupata ſunt, res, quas mulier ſuas eſſe liquidò probaverit, ab aliis ſeparari debent, ac ei reſtitui, *l. 1. C. de privil. fiſci.* Bona quidem dotalia earum, quæ iis nuptæ ſunt, obligantur neceſſitati maritorum, hoc ſcilicet ordine, ut tunc ad mulieris patrimonium periculum perveniat, cùm univerſis viri, ac nominatorum facultatibus exhauſtis, nihil reſiduum invenietur, *l. Satis. C. in quib. cauſ. pig. taci. contrah.* Tunc enim res in dotem datas, vel poſſeſſiones dotis titulo obligatas petere fiſcus poterit. Eſt verò multò durius, quod divus Aurelianus ſanxit, *l. fi. C. de Primipil. lib 12.* ex ſola cauſſa Primipili liberos etiam, ſi patribus hæredes non exiſtant, teneri, licet eum, qui paterna hæreditate abſtinuerit, Procurator Cæſaris prohibeat ex perſona patris conveniri, *l. 1. C de repud. hæred.* A paternis enim creditoribus, ſi neq; patri ſucceſſerunt, & nihil ex ejus bonis habent, conveniri nequeunt, *d. l. fin. C de Primipilo.* Verùm multò gravior eſt cauſſa Primipili, è qua totius exercitus robur, ac nervi, nec non Reipublicæ ſalus dependeat: atq; ideò ſancitum eſt, *l. 1. C. de Primipil.* non ſatis graviter animadverti poſſe in eos, qui in Primipilatu deliquerint. Quod autem ad præmii expectationem attinet, quia ubi majus impendet peri-

culum, ibi debet esse major emolumēti spes, idcirco commoda Primipilatus statim post administrationem deberi incipiunt: & si is, qui ea percipere debuerit, prius ab humanis excedat, hæredibus petitio integra manet. Quapropter sicut erogator omneis pecunias, quæ mortuis militibus usque ad diem mortis debitæ sunt, liberis eorum debet tribuere, *l. His scholaribus 14 C de erogat. milit. anno. lib. 12.* ita & filiis Primipilariorum: illos namque paternam sequi conditionem oportet. *l. filios 2. C. de fil. offi. mil. lib. 12.* At verò ne quis existimet minima esse Primipili commoda, intelligat Primipilarios constitutionibus Imperatorum tutelarum omnium excusationem habere: excepto, quòd filiorum Primipilarii tutores erunt: nam incongruum non est, filiorum Primipilarii Primipilarios tutores existere. *d. l. Sed & milites. § fin. de Excus. tut.* Veruntamen qui primipilum explevit, si, cùm tutelam suscepisset, & filium Primipili, rursus in militares necessitates est assumptus, deponet curationem tutelæ: *l. Non solùm. §. qui primipilum. ff. de excus. tut.* Præterea Primipilarius munerum omnium, ac maximè tutelarum per annum, postquam est reversus, vacationem habet. *d. l. Non solùm. in prin.* Atque cùm eos publicis utilitatibus in perpetuum subjectos esse oporteat, ob eā caussam securi ministrare Ecclesiis non possunt, cùm tamen omnes

omnes milites emenſis militiæ ſuæ ſtipendiis in earum miniſterio manere cogantur. *l. Quiſquis. C. de Epi. & cle.* Etenim nõ poteſt quiſquam ex Primipilaribus ad aliam militiam aſpirare, vel dignitatem, qua priori damnum afferatur. *l. Nullum. C. de cohortal. libro 12.* Veruntamen non poterit obtentu nominis Primipili civiles actiones ad alios judices transferre. *l. 2. C. de primipil.* Utique licet ratione Primipili fiſco ſim obligatus, non tamen debitores meos coram alio judice, quàm illorum, in jus vocare poſſum: *l. 1. C. de condi. ex lege.* atque ille Præſes provinciæ commonebit debitorem meum, ſi ſolvendo eſt, ut fiſco, cujus ob publicas neceſſitates potiorem cauſſam eſſe oportet, debitam pecuniam perſolvat: privilegia namque Primipilariis conceſſa non eò uſque protenduntur, ut illis præter jus quicquam moliri, agerévé ſit conceſſum.

CAPUT XXIII.

Tyrones.

HERCULEM Prodicus refert, cùm primùm pubeſceret, exiſſe in ſolitudinem, atq; ibi ſedentem diu ſecum, multumq; dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi præſtaret, *Xenoph. libr. 2. memorab.* Ego verò has electiones junioribus, & adhuc tenera ætate

viris permitti nolo, tum quòd id sibi genus ætatis degendæ constituant, quod maximè adamaverint: tum quòd tunc est maxima imbecillitas consilii, & ineuntis ætatis magna inscitia: libidinum quoq;, & voluptatum non mediocris intemperantia. Propterea cogendi mihi videntur ad virtutem: ad quam sine dubio omne vivendi studium conferendum est: quæ inprimis armorum exercitatione, ac in ipsa militia comparatur. Atque eam ob caussam juvenes, nulla facta electione, primum suæ ætatis tyrocinium in militia exercere volumus. Ad quam ut oculos, animumq; diligentius adjiciant, intelligant velim, ut grave crimen est, detrectare munus militiæ, *l. Qui cum. §. Gravius. ff. de re milit.* ita tyrocinium evitare, gravissimum. Etenim Diocletianus, & Maximianus Imperatores rescripserunt, *l. 3. C. de condict. ob turp. cau.* Dizonti militi restituendum, quod evitandi tyrocinij caussa dederat: neq; judex militaris memor censuræ publicæ post pecuniæ restitutionem tam fœdum concussionis crimen inultum pati debet: quod maximè à Præsidibus Provinciarum coërcendum est. *l. 1. ff. de concuss.* Ac ne quis miretur juniores ad bellum deligi, legat Romanorum historias, & perpendat. Olim dum in Lavicanos, & Equos Q. Servilius Tribunus plebis consulari potestate exercitum ducturus esset, delectum haberi ex

toto

toto populo non placuit: decem Tribus ſorte ductæ ſunt: ex his ſcriptos juniores duo Tribuni in hoſtes duxerunt, *Livius lib. 4. ab urbe cond.* Item poſteà Dictator Camillus cum magiſtro Equitum Servilio Hala, juſtitio indicto, delectum juniorum habuit. *Idem libr. 5.* Deinde Conſulibus Appio Claudio Craſſo, & L. Furio Camillo, bello Gallico Senatus non urbana tantùm, ſed & agreſti juventute decem legiones ſcripſit quinum millium, & ducentorum, Equitumq; trecentorum. *Idem libro 7.* Nonnunquam etiam apud Romanos Magiſter Equitum delectu edicto minores ab annis decem, & ſeptem, & quoſdam prætextatos ſcripſit: quatuor ex his Legiones, ac mille Equites confecti. *Idem lib. 22.* Statorius quoque ex multa juventute Pedites conſcripſit, ordinatoſq; proximè morem Romanum decurrendo ſigna ſequi, & conſervare ordines docuit, & operi, aliiſq; militaribus inſtitutis aſſuefecit. *Idem lib. 24.* Neque tantùm adoleſcentes militare oportebat, ſed etiam, ſi ſe non obtuliſſent, aliquando damnatos legimus: & qui decem, & ſeptem annos nati erant, neque militaverant, omnes ærarios factos fuiſſe. *Idem lib. 27.* In prælio, quod ad Trebiam geſtum eſt, duodeviginti millia Romanorum erant: ſociorum nominis Latini viginti millia: auxilia viginti quinq;: & Conſules delectum cùm ægrè conficerent

inopia juniorum, Senatus Triumviros binos creari jussit, alteros, qui circa, alteros, q ultra quinquagesimum lapidem in plateis, forisq; & conciliabulis omnē copiam ingenuorum inspicerēt, & si qui roboris satis ad ferēda arma habere viderētur, etiamsi nondū militari ætate essent, milites facerent: Tribuni plebis, si eis videretur, ad populum ferrent, ut, qui minores septem, & decem annis sacramento se addixissent, his perinde stipendia procederent, ac si majores natu milites essent. *Idem lib.22.* Quamobrem Tyrones, ubi in numeros relati sunt, possunt verè milites appellari: *l. Ex eo. ff. de test. milit.* suntq; eadem militum, & Tyronum jura. Attamen cùm is non debeat celsiorem gradum obtinere, cui laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas non suffragantur, Tyrones posteriori loco semper ponendi sunt. *l. fi. C. de Tyro. lib. 12.* Nam prius in albo describi debent nomina eorum, qui dignitates judicio Principis sunt consequuti: *l. fi. ff. de albo scribendo.* atq; cùm unusquisque secundum merita locum obtinere debeat, posteriorem prioris locum ambire minimè decet. *l. Vnicuiq;. C. de proxi. sacr. scri. lib. 12.* Ergo prudens Imperator Senes, & Veteranos junioribus præficiet: fragile namque & infirmum est hujusmodi ætatis consilium, multisq; captionibus obnoxium. *l. 1. ff. de min. 25. ann.* Ideoq; prius juvenilis ætas exercenda

cenda est in labore, & patientia tum animi, tum corporis, ut tandem in Veteranorum locum inscribi possit. Nam primùm juventus simul ac belli patiens erit, in castris per laboris assiduitatem discet militiam, fietq; ut tandẽ cursu temporis cæteris longè præponatur. Etenim malumus exercitatum juvenem caussari ætatem nondum advenisse pugnandi, quàm dolere præteritam. Itaque quemadmodum militibus præceptum est, militiæ suæ jugiter incumbere, *l. Milites. 13. ff. de re milit.* ita & Imperatores nullum Tyronem longius à signis evagari voluerunt: *l. 1. C. de Tyr. lib. 12.* absurdum quippe esset, illam militiæ perpetuitatem, quam vixdum elegerunt, nullo inchoato negotio tam citò relinquere. Illi autem, quò ab aliis discerni possint, in brachiis notam ferre consueverunt: *l. 3. C. de Fabric. lib. 12.* neq; id vitio verti debet, vel dedecori: etsi apud nonnullas gentes frons stigmatibus compuncta servi fugacis indicium fuerit. Nam apud Thraces id erat nobilitatis insigne, cujusmodi Alexander Pheræus Barbarum habuisse fertur, quem, cùm ex epulis ad Theben uxorem in cubiculum veniret, districto gladio jubebat antëire. *Cicer. offi. 2.* Servi quidem non tantùm, ut dictum est, militia prohibentur: sed etiam, qui alieni juris mancipiũ in tyrocinio militiæ scribi curaverit, librã auri fisco cogitur inferre. *l. 2. C. de Tyr. lib. 12.*

Deniq; Tyrones in hac noſtra militia id privilegium habent, ut illis, ſi quid erraverint, facilius ignoſcatur: debent enim Judices partim ætati, partim imperitiæ nõnihil condonare. *l. Qui cum. in fi. ff. de re milit.* Et licet plures, qui ſimul primò deſeruerint, deinde intra certum tempus reverſi ſint, gradu pulſi, in diverſa loca diſtribuendi ſunt, tamen Tyronibus in hoc parcendum eſt: qui ſi iterato hoc admiſerint, pœna vitio digna adficiẽtur. *l. Deſertorem. §. ſi plures. Eod.* Præterea in hoc etiam jura favent Tyronibus, ut, quamvis arma alienare grave crimen militare cenſeatur, attamen Tyroni in hoc crimine facilius parcatur, ut prudentiores aliquando, & validiores effecti Rempublicam, à qua aluntur, cautius tueantur, & diligentius conſervent. *l. Qui commeatus. in fi. Eod.*

Caput XXIV.

Veterani.

Mature nunc Veteranis ſuos honores, & privilegia tribuamus. Sed de iis Veteranis non intelligo, qui vili miniſterio addicti ſunt: cujuſmodi Martianus *l. fi. §. quoties. 3. ff. de Publi. & vectig.* Veterana mancipia vocat, quæ anno continuo in Urbe ſervierũt: novitia autem, quæ nondum anno ſervitutem ſubierunt: quo modo etiam Ulpianus

l. Præ-

l. Præcipiunt. ff. de ædil. edict. Veterana mancipia, & trita difficilè esse reformare ajebat. Nos autem hîc Veteranum cum Modestino *l. Sed & milites. § Veteranus. ff. de excusa. tuto.* non solùm eum esse dicimus, qui Legionarius est, sed & eum, qui qualitercunq; militavit, & honestè est ipse absolutus. Huic tamen priusquam à muneribus oneribúsve personalibus jure vacatio concedatur, Imperatores voluerunt vicesimum annum in Legione, vel Vexillatione militasse: *l. fin. C. de his. qui non imple. stip. lib. 10.* existimabat enim Antoninus *l. 2. C. de re milit. lib. 12.* neq; æquum, neq; decorum esse, i sordida munera indici, qui viginti stipenlia impleverat. Quare Veteranum eum esse ire dixero, qui viginti annis in militia perianserit: quo expleto tempore, miles emetus appellabitur. Veteranorum igitur in re tanta sunt commoda, tanta privilegia, Imperatores certatim illos muneribus imulasse videantur. Et sanè cur non à Prinbibus majore in modum honorandi sunt, i solum Virtutis præmium, honorem esse cunt? Is namq; non est honoribus adorndus, qui nihil boni Reipublicæ præstite-, cùm publicus honor à publica utilitate bendeat. *Arist. Ethic. 8.* Hos si quis Impera- honoribus dignatos nolit, meminerit, eso, Labieni: *A. Hirtius lib. 5. bell. Afric.* qui, oibus Cæsaris Legionariis ab hostiũ equi-

tatu circumventis, militem ita allocutus est: Quid tu, inquit, miles Tyro tàm feroculus es? Vos iste verbis infatuavit, in magnum periculum impulit: misereor vestri. Tum miles: Non sum, inquit, Tyro, Labiene, sed de Legione decima Veteranus. Tum Labienus: Non agnosco, inquit, signa Decumanorum. Tum miles: Jam, qui sim, intellige: simul Cassidem de capite dejecit, ut agnosci posset, atq; Pilum viribus contortum in Labienum mittere contendit, & ait: Labiéne, Decumanum militem, qui te petit, esse scito. Planè non mediocriter laudandus videtur Kanutus Danorum Rex, qui statuit, ut, dum milites ad mensam cœnaturi accederent, priorem locum ij tenerent, qui antiquiorem militiæ locum erant sortiti. Nam militiæ vetustatem honore mensæ rependi volebat. Enimuero qui cœna incepta tardius supervenisset, inter cōsidentes excipi voluit, &, qui ejus loco sedebat, exurgere: ac proximum locum occupare: ita omnes invicem assurgendi officio sese venerabantur, donec laxato totius mensæ ordine, mensa excederet, qui postremus residebat. Qui autem cedere jussus non paruisset, amotis stipendijs, ignominia mittebatur, & soli Regi hanc culpam remittere jus erat: atq; id tantùm ternis vicibus: nam si quis quater in id crimen incidisset, militia rejiciebatur: ter enim veniam experto ulterius ignoscendum

non

non putabat. Ita Veteranos milites priores convivis aſſidere juſſos ſummis proſequebatur honoribus, *Saxo hiſtori. Dano. lib. 10.* Conſtantinus autem Imperator, qui Veteranorum virtute non minimam utilitatem conſequutus erat, ijs ut redderet, quantū jure poterat, non quantum videbat eſſe ex dignitate, vel merito, fortunam magis augere voluit, quàm minuere: atq; cùm imperium iniit, Veteranis publicè conceſſit, ut in nullo munere civili, nec in operibus publicis convenirentur, *l. 1. C. de Vetera. lib 12.* Ita immunitatem habuerunt ab exactione tributorum, hoc eſt, ne Exactores tributorum conſtituantur, *l. fi. §. 1. ff. de Vetera.* Ita divus Magnus Antoninus cum Patre reſcripſit, Veteranos à navium fabrica excuſari. Ita quibuſcunq; nundinis interfuerint, nihil ob propoſitam venditionem, expoſitáſve merces dare debent: quinimò Publicanos, qui, ut ſolent, negociantibus ſemper adſunt, Veterani à ſe repellere poſſunt, ut quieto poſt ſuos labores ocio perfruantur, *l. 1. C. de Vetera. lib. 12.* Itaque licet eis emere, vendere, & pecuniam tractare, agitare mercimonia, atque interim ſuis uti beneficijs. Denique, ut ſummatim omnia complectar, Imperatores Diocletianus, & Maximianus, *l. Veteranis. C. Quando provocare non eſt neceſſe.* Veteranis, qui in Legione, vel Vexillatione militantes poſt viceſima ſtipendia honeſtam, vel

cauſ

caussariam missionem consequuti sunt, onerum, & munerum personalium vacationem concessêre. Personalia autē munera ea sunt, quæ corporibus cum labore, solicitudine animi, & vigilantia fiunt. Patrimonialia verò sunt, in quibus sumptus maximè postulatur. *l. 1. §. Illud. ff. de muner. & honor.* Ab his quidem milites non immunes sunt, *l. 3. C. de vect.* cùm patrimoniorum onera solennia sustinere oporteat. *l. 2. §. 1. ff. de Veteran.* Ab illis verò omninò liberi sunt. Munera tamen quædam sunt, quæ rei ipsi tam arctè cohærent, ut neque merita militiæ, neque ullum quodvis privilegium jure tribuat excusationem: ut est prædiorum collatio, viæ sternendæ, angariarúmve exhibitio, *l. Sunt munera. ff. de vacat. mun.* Angarias intelligo omnia munera, quæ à militibus fiunt, etiamsi vilia non sint: cujusmodi sunt vigiliæ, itationes, ac gestationes: in usum belli publica quidem, & necessaria munera. *Veget. lib. 2.* Sic Julio Sossiano Veterano rescriptum est, *l. Viæ. ff. de Veteranis.* viæ sternendæ immunitatem non habere: item itinerum, pontiumq; instructionis: quę, ut inter sordida munera numerari nequeūt, ita etiam præter id necessaria censentur. *l. Ad instructiones. 7. C. de sacrosan. Eccles.* Naves itaque eorum angariari posse Aelio Firmo, & Antonino Claro Veteranis rescriptum est, *d. l. Viæ. §. 1. ff. de Veteranis.* cùm neque etiam ab intributioni-

tionibus, quæ in possessionibus fiunt, excusentur. Neque tamen temerè velim Veteranos gravari in his, quæ à jure illis concessa sunt: cujusmodi diximus de præstatione vectigalium, si commerciis interesse voluerint. Atqui si, cùm Veterani possint immunitate concessa se tueri, Decuriones fieri in patria sua maluerint, tum redire ad excusationem, quam reliquerunt, non possunt. *l. 1. C. de his, qui spon. publ. mun. sub. lib. 10.* Hinc Paulus *l. fi. ff. de Veteran.* voluit Veteranos, qui in Decurionũ ordinem se eligi passi sunt, muneribus fungi debere, atq; ita à navium fabrica non excusari. Ergo suis tantùm privilegiis fruentur Veterani, si, ut emeritos decet, permanserint: neq; vacationem munerum ad filios eorùm extendo, nisi quantum in jure expressum est. *l. In honoribus. §. Vacationum. ff. de vacat. mun.* Succedit aliud Veteranorum privilegium, ut scilicet illi tantùm filiorum conveterani, seu militis unam quidem tutelam eodem tempore administrare compellantur: *l. Sed & milites. §. Veteranus autem. ff. de excu. tut.* q & Gordianus Imperator Celeri Veterano rescripsit. *l. fin. C. de excu. Vetera.* Atque si aliis dati fuerint tutores, satis erit intra solennia tempora caussas excusationis ad competentem Judicem deferre. Enimverò illis durum videri non debet, à filiorum commilitonum tutela non excusari, cùm ita à natura comparatum

ratum sit, ut paria paribus respondeant, mutuo quoque se juvent auxilio. Proinde aliud privilegium habent, ut quamvis propter honorem, & merita militiæ delatores esse prohibeantur, non secus ac milites propter honorem stipendiorum, *l. Deferre. §. Veterani ff. de jure fisci.* tamen milites, licet velit adversarius, Procuratores dari non possunt: Veterani autem possunt: *l. Filiusfamilias §. Veterani. ff. de Procuratoribus.* his namq; post emerita stipendia majus ocium tribuitur, quàm militibus, qui nunquam non militię, & armis dant operam. Porrò sequitur aliud privilegium in testamentis: de quibus etsi latissimè infrà disseremus, hîc tamen, dum Veteranorum privilegia persequimur, meminisse non pigebit. Quod ab initio jus speciale testandi militibus tantùm datum est ex autoritate divi Augusti, & Nervę, nec non optimi Imperatoris Traiani, posteà verò subscriptione Divi Hadriani, etiam Veteranis concessum est. Itaq; si fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum, quem hæredem reliquerint: si intestati decesserint, nullis Liberis, vel fratribus superstitibus, ad Parentes eorum jure communi pertinebit, *in pr. Inst. Quibus non est permiss. facere. testamentum.* Sed eatenus hoc illis conceditur, quatenus militant, vel post missionem intra annum tantum, *Instit. de test. mil. §. sed hactenus.* Si autem Veteranus decesse-

rit,

rit, Marcellus libro decimo Digestorum scribit, *l. Idem est §. 1. ff. de test. milit.* universa bona etiã paterna ad hæredem Castrensium pertinere. At Veteranos, qui tempore militiæ peculiũ sibi acquisiverunt, militiam autem deposuerunt, licito modo, & communi testari oportet, *l. fi. C. de inoff. testa.* Nam contra Veterani Patrisfamiliâs testamentum inofficiosi querela esse potest; licet ea sola bona habuit, quæ in castris quæsierat, *l. Papinia. §. Papin ff. de inoffi. testa.* Sed hæc aliquando pluribus exponentur. Ad extremum, hoc privilegium habent Veterani, ut neq; illi, neq; Liberi eorum in metallum, opúsve publicum, vel ad bestias damnentur, nec fustibus cædantur, *l. Veteranis. ff. de Vetera.* quod etiam Decurionibus concessum est, *l. Divo. C. de Quæst.* Verùm ea est differentia, ut Decurionibus, Liberisque eorũ omnibus usq; etiam ad Pronepotes id datum intelligamus, *l. mortis. §. Parentes. §. Liberos & seqq. ff de Pœnis.* Veteranis verò, eorumque Liberis usq; ad primũ gradum duntaxat: quod Imperator Antoninus Senatui rescripsit, *l. Hon. 5. C. de Pœnis.* Præterea Veterani in delictis hoc habent prærogativum, ut cùm nec ad bestias dentur, nec cædantur fustibus, pœnas habeant à cæteris separatas, *l. 1. ff. de Vetera.* Ac ne quis miretur tam multa præmij loco Veteranis attributa esse, intelligat præterea nonnunquam illis possessiones præmij loco

per

per Imperatores assignatas: *l. Lucius. ff. de evi-ctio.* nonnunquam agros honoris gratia, perinde ac si honorum omnium cumulos illis adjicere voluissent. *l. Item si verberatum. §. 2. ff. de rei vendicat.* Sanè Constantinus, *l. 2. C. de Veter. lib. 12.* ubi multis præmiis eos donasset, sedulò providit, ne incongruis pulsarentur injuriis, præcepitq́; Provinciarum Rectoribus, in eos animadvertere, qui injuriarum in eos fuissent autores, cùm indignum esset pati illos injuriis affligi, quibus à Principe tanta data est immunitas. Si tamen vel inertia, vel otio, vel vitæ negligentia latrociniis sese dediderint, pœna legitima afficiendi sunt, & omnibus Veteranorum privilegiis exuendi. *l. 3. Eod.* Caveant igitur, ne, dum diurnis, nocturnisq́; vigiliis, ac castrensibus stipendiis ocia quieta meruerint, ex militibus pagani, ex decoratis infames evadant. *l. fin. C. locat.* Existimo autem admodum difficilè esse, ut à suo statu, in quem summo cum honore collocati sunt, vel deducantur, vel discedant.

Caput XXV.

Qui tempora militiæ compleverunt.

PRoximi sunt Veteranis, qui militiæ tēpora compleverunt: qui & Reipublicæ ita servierunt, ut perpetuo ocio frui debeant. De quibus pauca admodum dicemus, cùm

illi

illi iidem ſint, qui & Veterani. Habent tamen apud Iuriſconſultos locum ſpeciatim annotatum: quò fit, ut eos præterire nolim. Itaq; qui in certam militiam aſſumptus eſt, is ea finita tempus militiæ compleviſſe dicetur, *l. 2. C. de ijs, qui non imple. ſtipend. lib. 10.* quem mox ſacramento ſolutum vocabimus, etiam ſi viginti ſtipendia non meruerit. Qui autem viceſimum annum militiæ exegit, etſi à militiâ nondum receſſerit, tamen quantum ad privilegia, perinde habetur, ut ij, qui completo militiæ tempore, à caſtris ſe ad ſuos receperunt. Hinc Modeſtinus Libr. 2. excuſationũ, *l. Sed & milites. §. quandoq; ff. de excu. tut.* dixit eos remiſſionem tutelarum habere, ut ij, qui rude donati ſunt: diverſum ſentiens de eo, qui intra viginti annos dimittitur. Neque tamen conſuevit miles dimitti, niſi viceſimo militiæ anno completo: quod Tiberius publico edicto prohibuit, *Cor. Taci. lib. 1.* Veruntamen Caligula memoratur in exercitu recenſendo pleriſque Centurionum maturis omnino, & nonnullis ante pauciſſimos, quàm conſummaturi eſſent, dies pilos primos ademiſſe, cauſatus ſenium cujuſq;, & imbecillitatem, *Tranq. in Caligula.* nam ſenectus, niſi ea viridis ſit, cauſſa eſt ſufficiens, ut quis honeſtè mittatur: quid enim prodeſſet Reipublicæ? Nos igitur intelligimus eũ militiæ tempora compleviſſe, qui viginti annos in ea perdurarit:

G atq;

atq; eã ob caussam Antoninus ei nulla sordida munera indici voluit, *l. 2. C. de re milit. lib. 12.* Et sanè nihil sordidum, nihil ignobile decet militem. Id verò non tantùm armatis militibus conceditur, sed etiam ijs, qui in spectabilium Ducũ officijs militant: quos post completam suam militiam Imperatores, *l. nemo C. de offic. mili. judi.* prohibuerunt scholæ Agentiũ in rebus sociari, cùm illos post exacta sua munia ad ea rursus revocari minimè deceat, *l. Nemo. C. de asses. & dome.* aliter in decem auri libras condemnari debent: tũ ita ferè usu venit, ut munera, non secus ac honores, continuanda non sint. Hîc ego vellem nullum militẽ tempus militiæ suę complevisse, usquedum laboribus, ac senio debilitatus, ac propè jam intermortuis artubus missionem coactus peteret. Nam si milites tamdiu Reipublicæ prodesse possunt, quamdiu nihil pertimescunt, quamdiu fortunas omneis despiciũt, quamdiu nihil, quod homini accidere possit, intolerandum ducunt: quis eos justè militia absolvet? quis sacramento liberabit?

Caput XXVI.

Sacramento soluti.

Solent aliquando milites post completa militiæ tempora, aliquando etiam antequam compleantur, solvi sacramento per eum,

eum, cui sacramento obligati erant: convenit enim, ut, quo quidque vinculo colligatũ est, eodem quoque dissoluatur. Admonuit nos Modestinus, *l. Sed & mili. §. Quandoq. ff. de excu. tuto.* completæ militiæ tempora viginti añis terminari: noñullos tamen ante id tempus solui sacramento. In quibus ea est differentia, quod immunitatem continuam, & civilium munerum remissionem non habeant. Nam qui intra quinq; annos militia solutus est, nullam sibi vendicabit immunitatẽ: qui autem post quinq; annos, unius anni habet immunitatem: qui post octo, biennij: qui post duodecim, triennij: qui post quindecim, quadriennij: qui post viginti, in perpetuum absolvetur. Sed nos sacramento solutos bifariam dividimus: aut enim honestè solvuntur, aut ignominiosè. Honestè solvuntur post honestam, vel caussariam missionem: ignominiosè, post ignominiosam. Cùm itaque servanda fides est, cui præstatur, nemo à signis recedere poterit, priusquam sacramẽto soluatur per eũ, cui alligatus erat, *l. penult. ff. ex qui caus. ma.* Atq; hujus missionis solent confici literæ, quas etsi contigerit deperdi, nihilominus tamen, si liquidò veritas probari potest, Veteranorum privilegia usurpare poterit is, qui honestè sacramento erit solutus: quod & ab Imperatoribus rescriptum est, *l. Si solennibus. C. de fide. instrument.*

Hîc pauca admodum de utroque solutionis modo dicemus, licet alio loco diffusius à nobis tractentur. Qui honestè soluti sunt, prohibentur denuò sine mandato Principis sacramentum assumere, *l. 2. C. de diversis offi.* neq; enim illis facilè datur instauratio, cùm neq; temerè, neq; inconsultò dimitti consueverint, *l. Semel. C. de re milit. lib. 12* Hinc Theodosius Imperator sanxit, *l. si C. de Vete. lib. 12* nullum, qui sacramentis inhærere desierit, vel volentem permitti, vel invitum cogi militare. Ignominiosa caussa solutionis est, cùm quis propter delictum sacramento solvitur, *l. Milites §. 3 Vers ignominiosa ff. de re mil.* veluti is, qui metu criminis, in quo reus jam fuerat postulatus, nomen militiæ dedit, *l. Qui metù. ff. eod. tit.* non enim possunt (ut suprà diximus) rei criminis militare. Item ille, qui lege Julia de Adulteris damnatus est, ita infamis est, ut eum ipsa sententia ignominiæ caussa solvat, *l. 2. §. Miles 3. ff. de ijs, qui not. infa.* nam militiæ nobilitas infamiam nullã subit. Item desides, & ignavi ignominiosè solvi solent sacramento: cujusmodi exemplum est apud Marcellinum, de Juliano Imperatore, qui cùm audisset Surenam Persicum Ducem tres turmas suorum aggressum, ac nonnullos trucidasse, & vexillũ Tribuno eripuisse, residuos duos Tribunos ut ignavos, & desides sacramento solvit: decem quoque milites ex ijs, qui

qui ſugerant, exauctoratos capitali addixit ſupplicio. Reliqua latius ſuis quæque locis explicabimus.

CAPUT XXVII.

Miſſiones: honeſta, & cauſſaria.

AEMYLIUS Macer ſcripſit, *l. Milites. §. miſsionum. ff. de re milit.* miſſionum generales cauſſas eſſe treis. Honeſtam, quę tempore militiæ exacto datur. Cauſſariam, cùm quis vitio animi, vel corporis, minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominioſam, cùm quis propter delictum ſacramento ſolvitur. Addit & Ulpianus, *l. 2. §. 2. verſ. Eſt & quartum. ff. de iis, qui notan. infa.* quartum miſſionis genus, ſi quis evitandorum munerum cauſſa militiam ſubjiſſet: quod genus exiſtimationem non lædit, neq; ideo infamiam inurere cenſebitur: cujuſmodi is eſt, qui litem habuit, & idcirco militavit, ut ſub obtentu militiæ precioſiorem ſe adverſario faceret. Exautoratus eo nomine non utique infamis erit, nec prohibendus, lite finita, militiæ ejuſdem ordinis ſe dare, *l. Qui cum. §. Non omnis. & verſ. exautoratus. ff. de re mili.* Hanc miſſionē, quæ non infamat, honeſtam appellabo. Hercules fertur paucis annis poſt Archades claſſe Græca in Italiam adveniſſe, poſtquàm Hiſpaniam totam ad Occaſum uſque ſubegit:

atque honestam missionem suis militibus dedisse, qui invento colle commodo, in eo loco remanserunt, qui nunc Capitolinus dicitur, *Dion. Halicar. Libro primo*. Honestè igitur sacramento soluti immunitate alijs concessa frui debent in ijs etiam civitatibus, quas incolunt: nec labefactatur ea immunitas, si quis eorum sua voluntate honorem, aut munus susceperit, *l. 2. ff. de veter.* Ergo non tantùm, ubi nati sunt, privilegijs utentur, sed etiam in loco, in quo commorantur, etiam si Biblij sint: incolæ autem apud Berytios, *l. 1. C. de muni. & orig. lib. 10.* Caussaria verò missio, quæ utique honesta est, fit, cùm quis vitio corporis vel animi minus est idoneus militiæ. Aequissimum namque est, homini, qui non sibi soli se natum meminerit, sed & suis, & patriæ, eoque animo aliquot annos nihil timens, nemini cedens, semper invictus, in militia perstiterit, dum senio, & tempore edaci absumitur, perexiguam partem honestatis relinqui. Ob id, Imperatores Diocletianus, & Maximianus, *l. 2. C. de ijs, qui non impleto stipend. libro 10.* cuidam militi rescripserunt, neminem ambigere honestam missionem esse consequutum eum, qui ob provectæ ætatis molestiam sit dimissus. Isto modo Alexander Macedo nono anno sui regni decem millia Seniorum è suo exercitu selegit, atque his vacationem militiæ tribuit, *Diod. Sicul. de gest. Alexand.* Octavius

Cæsar

Cæſar poſt Philippenſe, & Mutinenſe bellum viginti millia ſacramento liberavit, qui miſſionem ab eo antiquiores jam facti depoſcebant, *Appianus lib. 5 de bel. civil.* Qui autem ita miſſi ſunt, à civilibus muneribus habent vacationem: non tamen ea privilegia, quæ illis certa ſunt, qui pleno ſtipendiorum numero funguntur, uſurpare poterunt: ſed ita demum, ſi poſt viceſimum annum militiæ honeſtam, vel cauſſariam miſſionem conſequuti eſſe oſtendantur, *l. fin. C. eod. titu.* Itaque conſtat eos, qui cauſſaria miſſione ſacramento poſt viginti ſtipendia ſolvuntur, integram famã retinere, & privilegijs, quæ Veteranis conceſſa ſunt, gaudere, *l. 1. C de excuſ. Veteran. & l. cauſſaria C. de re militari.* cùm illis pręmia præſtari ſolere, juxtà ac ſi Veterani eſſent, Macer Juriſconſultus reſcripſerit, *l. Milites. §. Illud conſtat. ff. de Re milit.* Præterà, ſi qui cauſſaria miſſi ſunt, non facilè inſtaurari ſolent prætextu recuperatæ valetudinis, cùm non temerè dimittantur, niſi quos conſtet Medicis denunciantibus, & Judice diligenter examinante, vitium contraxiſſe, *l. ſemel cauſſaria 6. C. de re milita. lib. 12.* Nimirum non debet miſſio immodeſtè poſtulari, ſed tantùm ob cauſſam, exemplo Octaviani Auguſti, qui eam importunè poſtulantes citra commoda emeritorum præmiorum exauctoravit. *Tranquillus in vita Octaviani.*

Honestè, vel caussariè missorum privilegium est, quod eis præmij loco tanquam merentibus, non item ignominiosè missis, tribuitur, *l. testamenta. ff. de test. mili.* ut scilicet eorum testamenta militiæ tempore facta etiam intra annum post missionem valeant, *l. Quod constitutum. eo. titu.* quod & Imperator Justinianus, *Institut. eod. § sed hactenus,* confirmavit. Surdus quidem, & Mutus, cùm in numeris manent, jure militari testamentum facere possunt ante caussariam missionem, *l. Iure militari. ff. de test. mili.* & quod in castris fecerint testamentum, post missionem intra annum tantùm valebit, *Insti. eo. §. quinimo & seq.* Sed in hoc differt testamentum missi militia ab eo, quod quis Miles confecerit: nam quomodocunq; testamentum fecerit miles, novissima voluntate rescindetur: quoniam voluntas quoque militis testamentum est: militia autem missus si intra annum testamentum facere cœpit, neque perficere potuit, solutum est testamentum, quod in militia fecit, si jure militiæ fuit scriptum: si jure communi, non rescindetur, *l. Ejus Militis. §. 1. ff. de testa. milit.* quæ tamen circa militem non adhibetur distinctio. Hæc infrà latius, Capite de testamentis.

Cap.

CAPUT XXVIII.

Medici Militum.

SEQUUNTUR nunc ea, quæ militibus Jurisconsulti necessaria putaverunt: ac primùm quidem de Medicis: quos tamen nescio an necessarios ausim asserere. Nam non videtur illis ocium esse ad ægrotandum, quibus præstat ad Reipublicæ tuitionem militiam exercere, quàm medicamentis vitam protrahere. Hinc non immeritò rei militaris periti plus quotidianas armorum exercitationes ad militum sanitatem prodesse putaverunt, quàm Medicos. *Veget. libro 3. cap. 2.* Itaque cùm malè cum his agatur, quibus necessitas & belli incumbit, & morbi, si quis Militi, qui brevem à Medico curationem exigit, nescio quot capitis suffumigationes, & diuturnam victus observationem præcipiat, quid facturum militem existimas? num ille respondebit, si modò virtutis studiosus est, se nolle militiam relinquere? longè malle vitam cum honore terminare, quàm eam medicamentis diutius conservare? Si enim spreto Medico convalescat, Rempublicam diligentius tuebitur, accuratius custodiet, ac majori cum cura fovebit: sin autem morbo extinguatur, vita functus liber erit à negociis. Qua re quid, quæso, melius? Et quidem pla-

cere mihi non poteſt valetudinarius; cui non ſupereſt aliud ocium, quàm ut per omnem vitam in corporis cura verſetur. Planè Perſæ in ſuo exercitu opera nulla Medicorum indigent. Nimirum ea eſt illis conſuetudo, maximè ſi infimæ ſortis homines, intereà dum rem militarem exercent, graviſſimo morbo acrius urgentur, ut ſpirantes adhuc efferant, ac eminenti loco collocatis panem, & aquam, baculumq; juxtà adponant, ut quandiu cibum deguſtare poterunt, & virium aliquid relinquetur, eo baculo ſe à beluis tueantur, & accedentes arceant: ſi verò ſpirantes vis morbi abſumpſerit, neque manus movere queant, miſeri, & ſemimortui à canibus devorantur: & qui celerrimè mortuus eſt, eum beatum, ac felicem ducunt, ejuſq; animam Deo ſimilem faciunt, dignamq; putant, quæ in campos Elyſios deferatur. *Agathias lib. 2. de bell. Gotho.* Eſt præterea literis proditum, Orcades Populos medicinas ignorare, & longævos eſſe, licet ſint bibaciſſimi. *Hector Boeth. lib. 3. hiſt. Sco.* Veruntamen morbis in exercitu graſſantibus, fieri non poteſt, ut Medicorum ope non plurimùm egeamus: qui, ſi militiæ medicinam conjunxerint, & ad utrumque ſint eruditi, ii multò plauſibiliores erunt, & magis laudandi. Neq; id mirum videri debet: nam narrant hiſtoriæ, filios Aeſculapii & rebus bellicis claruiſſe,

ruisse,& medicinæ studio. *Plato libr.3. de Republ.* Hi enim Menelao Pandari manibus vulnerato cruorem vulneris absterserunt, & unguentis eum unxere. Illi tamen à Medicis nostris longè differebant, præscribentes tantùm legem circa cibos, & potus: medendis enim iis naturam sufficere existimabant, qui firmo corporis habitu, & victu moderato essent. Sed poculum Patrocli jussu Eurypilo saucio oblatum non damnarunt, quamvis esset in eo farina vino permixta, & attritus caseus: quæ pituitam augent. Ista medicinæ facilitate, de qua nũc loquimur, Aesculapii sectatores ante Herodicum neutiquam usi sunt. Herodicus verò, cùm valetudinarius esset, miscuit Gymnasticam medicinæ: ac dum morbum subsequebatur, medicinæ studio occupatus, vitam in corporis indulgentia conterebat, malè affectus, si à consueto victu discederet: atque ita sapienter vivens, senex decessit è vivis. At multò dissimiles sunt illi, qui passim cursitant, omnibus in triviis nusquam non volitant, prima quâque portione morbum auferre se jactitant, ut quisque morbus difficillimus est, ita sese diligentius curaturos offerunt. Nihilominus debet in benè constituta Republica Medicorum certus numerus constitui, quorum probitas, ac eruditio omnibus diligenter exploratæ sint. *l. 1. ff. de decretis. ab ord. faciend.*

Quo

Quomodo enim ægrotis medicinam faciēt, si nullam unquam medicinam tot morbis reperire nesciunt? quomodo denunciabunt judici, Milites vitium contraxisse, si morborum rationem ignorant? *l. Semel.6. C. de re mil. lib.12.* Volumus igitur militares nostros Medicos, si perfecti non sunt, eos tamen esse, qui cuncta in medendi facultate, prout ratio dictat, operentur. Neq; minorem probitatem in illis desidero, maximè si Archiatri sint: similes illis, quos Zeno Imperator nihil differre à Comitibus primi ordinis statuit. *L. unic. C. de Comit. & Archiat. libro 12.* Archiatros non summos Medicos, sed Principis Medicos intelligo: qui hoc ipso excellentes censendi sunt, quod Principis valetudini præesse meruerint: quibus licet Principem fatigare jejuniis, & contra desiderium, ac voluntatem ad salutem usque excruciare. *Cassiodorus Variorum lib. 6.* Hoc consilium damus, Caroli Calvi Francorum Regis exemplo, qui sæpius cum exercitu Italiam repetens, scelere Sedechiæ Judæi, quo medico utebatur, haustu veneni è medio est sublatus. *Michael Ritius lib. 1. de Regib. Neapol.* Venit etiam mihi in mentem Pirrhi Epirotæ, *Eutrop. lib. 2. de gest. Roma.* qui, cùm Populo Romano bellum ultrò intulisset, & de imperio certamen esset cum Rege generoso, & potente, Medicus perfuga venit in Castra Gaij Fabritij Consulis, promittens se

clàm

clàm in Regis castra rediturum, & eum veneno necaturum: quem Fabritius vinctum reduci jussit ad Pyrrhum, diciq;, quæ in caput ejus spopondisset: neque enim ab honestate Fabritius averti poterat: qua si vel tantillum caruisset, Medici improbitatem Pyrrhus cũ periculo fuisset expertus. Contrà Alexander Macedo in Philippo suo Medico, qui natione Arcarnan erat, fidelitatem perspexit. Nam cùm Tarsum civitatem occupasset, ibique graviter ægrotans nollet medicos expectare, quin potius in bello succumbere illi esset in animo, Philippus medicus fidus illi à puero comes poculum dedit: quod etsi diffideret sumere (nam à Parmenione purpuratorum fidissimo admonitus erat, Philippum mille talenta à Dario accepisse, & spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum) sumpsit tamen, ac sanatus est, & in conspectum militum venit non magis gratus militibus, quàm Philippus gratè acceptus. *Q. Curtius libro tertio.* Sunt igitur & morum probitate, & artis peritia eligendi, quibus in ægritudine corpora committamus. *l. 1. ff. de decre. ab Ord. faciend.* Quis non jure medicos laudabit, qui, cùm Severi Imperatoris necem maturare noluissent, post ejus mortem ab Antonio filio apud Britannos supplicio affecti sunt? *Herodia. lib. 3.* Quis non Dionici medici prudentiam summis efferet laudibus, qui, dum Polyprepontem

tem Tibicinem phrenesi correptum, curandi gratia inviseret, ad canendi certamen hominem provocavit, ac prior cecinit, pravè quidem, ac imperitè: mox traditis illi tibiis, gladium, scutumq; abstulit, atq; ita hominis furorem non tamen sine plagis acceptis effugit? *Lucian. in Convivio.* Hujus autem generis Medicorum Ulpianus *l.1.§.1. ff. de var. & extraordi. cognitionibus.* refert justiorem caussam esse, quàm Professorum, cùm illi salutem hominum curent: hi verò studiorum tantùm decus. Atq; ut illis discendis artibus ocium sit plenius, tum ut peritiores efficiantur, filiosq; diligentius erudiant, Jurisconsulti existimaverunt æquissimum, eos ab omni munere immunes esse. *l.1. C. de excus. artifi. libro 10.* Est verò scriptum, *l. Medicos. C. de profess. & Medicis. libro 10.* si quis Medicos illicitè vexaverit, pœna arbitrio Judicis plecti debere. Quorum ut privilegia recenseamus, admonet nos Imperatorum Antonini, & Constantini rescriptum: *l.1. C. eod. titu.* qui voluerunt Medicos Legionum, quamdiu Reipublicæ caussa absunt, nõ cogi suscipere munera civilia, ita ut ne hospitem quidem recipiant: quod & Divi Hadrianus, & Vespasianus *l. fi. in fine. ff. de mune. & honor.* censuerunt. Neque ea tantùm de caussa id conceditur, quòd Reipublicæ caussa absunt, sed & quia Medici sunt Legionum: licet etiam hoc uno privilegio Theodosius

dosius, & Valentinus Archiatros sacri Palatii donaverint. *l. Archiatros. C. de Meta. & Epid. libro 12.* Itaque cùm hospites recipere, patrimonii onus sit, non personæ, *l. 3. §. munus. ff. de mune.* hoc nō parvum est Medicorum privilegium: pauci enim ab oneribus patrimonialibus, ut suprà dictum est, excusantur. Præterea Modestinus libro singulari de enucleatis casibus refert, Militum medicos, quoniam officium, quod gerunt, & publicè prodest, & fraudem eis adferre non debet, restitutionis auxilium implorare posse. *l. Inter eos. §. final. ff. ex quib. cau. maior.* Cùm igitur multis, tum ipsi Reipublicæ opem ferant ab urbibus absentes, & necessitati publicæ serviant, longi temporis præscriptio illis opponi non poterit: atque suas possessiones, agrosq; liberè ingrediuntur: quod etiam Imperatores Diocletianus, & Maximianus Aurelio medico rescripserunt. *l. 2. C. quib. non obijcitur long. temp. præscrip.* Hîc non omittendum est, pertinere ad officium Præfecti castrorum, non ægris tantùm, sed & Medicis, à quibus curantur, expensas facere. *Veget. libro 2. cap. 10.* Atque licet diurna merces ab Imperatoribus Medicis assignati sint sexaginta solidi, *l. Si duobus. in fin. princ. C. communia de lega. & l. 1. §. 5. C. de communi servo. manu.* attamen apud Aegyptios nulla mercede milites sanabantur: *Diod. Sicul. lib. 2.* Medici enim ex publico victū sumebant, ægrosq; secundū leges ab anti-

antiquis Medicis, probatisq; Scriptoribus traditas curabant. Si quis verò eas leges, & scripta sequutus, infirmum sanare nequibat, omni carebat crimine: si autem præter ea, quæ libris continentur, illum curasset, morte puniebatur: credidit enim Legislator, non facilè meliorem medendi modum reperiri posse eo, qui per antiquos traditus erat. Sunt ergo publicis expensis alendi Medici ea præsertim ratione, ut ab ægrotis non discedant, & contubernales sint: res illis non minimæ utilitati futura, tum ut Respublica non immemor beneficiorum aliquo munere vices rependat, tum ut à Commilitonibus nonnihil lucri percipiant. Legimus enim milites aliquando Medicis suis contubernalibus, & communium expeditionũ comitibus nonnihil legatis impertitos esse: *l. fi. ff. de auro & arg. leg.* est nempe contubernium veræ amicitiæ nexus indissolubilis. Sed quid isthic Medicos propriæ utilitatis cõmoneo, quam plus satis venantur? cui inprimis studẽt, & impensè serviunt? Ideoq; nisi aliquantum necessarii viderentur, eos cum Caussidicis à nostra Republica repelleremus. Hos quidem, quòd ob virtutis nostræ inopiam externa justitia uti cogamur, ab aliis justè agere compulsi: quod est turpissimum. Medicos verò, quòd ad virtutis exercitationem, ac probationem nobis sint impedimento, efficientes, ut semper ægrota-

grotare nos putemus, neque unquam desinamus de habitu corporis conqueri: & dum corpus morbosum est, ad eorum regulam vitam malè protrahamus, filiosq; gignamus valetudinarios: quod etiam nemo non penitus absurdum putaverit.

CAPUT XXIX.

Optiones.

PRÆTER istos, Romani in suo exercitu Optiones habuerunt, qui vel ægris adessent, vel si virtus deficeret, in eorum locum sufficerentur. Optiones quidem ab optando appellati, quòd antecedentibus ægritudine præpeditis, ii tanquam adoptati eorum, atque Vicarii soleant universa curare. *Veget. libr. 2. cap. 7.* His autem Aurelius Arcadius *l. fin. ff. de iure immun.* propter graviorem conditionem, quandam munerum vacationem attribuit: quod etiam Imperatores Honorius, & Theodosius observari præceperunt. *l. super creandis. 9. C. de iure fisci, lib. 10.* Optiones semper intelligo eos, qui ægris præsto sunt: sive militum Vicarios, cujusmodi & optio fabricæ à Jurisconsultis appellatur. *d. l. si. ff. de iure Immunit.* Et Callistratus *l. Divus. ff. de bon. damnat.* eos Optiones vocat, qui Spiculatoribus adsunt, ut, si necessum fuerit, vices eorum gerãt. Est quoque memoriæ mandatum, in acie Salomo-

nis, qui in Africa vices Justiniani Imperatoris gerebat, quendam fuisse Gezontem nomine inter Pedites ejus ordinis, quos Romani Optios vocabant. *Procopius lib. 4. de bel. Vandalico.* Neq; tamen facilè Accursium *ad d. l. super creandis. 9. C. de Iure Fisci.* improbaverim, qui Optiones eos dici contendit, qui militibus necessaria exigebant: poterant verò & illa exigere, & in deficientium, ac imbecillium locum cooptari. Urget Honorii, & Arcadii rescriptum, *l. Missi, C de exactor. tribu. libro 10.* quo volunt Optiones cum literis Judicibus insistere, ut intra anni terminum, id quod debetur, accipiant. Propterea sanxerunt, nullum omninò illis esse cum Provincialibus commercium, ut facilius ab eis totius debiti summa exigatur. *l. Optionibus. C. de erog. mil. anno. lib. 12.* Mittebantur etiam nonnunquam Optiones in Provincias, qui panem excoctum efflagitarent: in quo vetus consuetudo observari præcipitur. *l. 1. C. de excoct. & tralat. mili. anno. libro 12.* Justinianus autem Imperator *Novell. constit. 130. c. 1. & c. 5.* Petro sacrorum prætoriorum Præfecto hunc morem scripsit, ut scilicet cujuscunque ordinis Optiones sine perturbatione species suscipiant, & annonas, quæ suppeditantur in specie, erogent Præfectis Legionum, & militibus, sibiq; deputatam retineant decimam quintam partem, ac Collatoribus solita recauta faciant. Solent enim

Optio-

Optiones à Collatoribus aliquando cautionem accipere: *l. Quicunq. 3. C. de apo. pub. libro 10.* quam si non habuerint, aut nisi sibi deberi sit manifestò probatum, superiorum annorum apochas Collatores non cogentur ostendere, si trium sequentium securitates protulerint. Etenim non debitoribus tantùm utile est, apochas accipere, sed & creditoribus antipochas habere nonnunquam conducit. Denique quemadmodum Legionarii in numeros referebantur, ita & fœderati in Optiones: nam milites eos appellavit Justinianus, qui sub diversis Optionibus fœderatorum nomine sunt decorati. *l. fin. C. locati.* Ille etiam noluit, uxorem militis prius matrimonio jungi, quàm Præfectus numerorum, quibus inscriptus est maritus, illam interrogaverit, sitné mortuus: si verò uxor sit fœderati, ab Optione id debet pernoscere. *Nov. 117. ut liceat matri, & aviæ. c. quod autem. 11.* Prohibuit quoq; milites, & fœderatos ab exercitu subtrahi: *in Novell. constit. 116.* quod si casu effectum sit, tam celerrimè milites ad suos numeros, quàm fœderati ad Optiones suas, revertãtur.

CAPUT XXX.

Annona militaris.

IN ADMINISTRANDIS bellis annonam plurimùm valere, nemo est, qui dubitet:

atq; eò magis, si neque durior sit, neque eam summa vilitas consequatur. Si enim ingravescat, facilè admodum fiet, ut ea caritate miles commodè sustētari nequeat: si verò summa vilitas est, tam profusè replebitur venter, ut arctiori somno sepulti non excubias, vigiliasq; tantùm, sed & omneis militiæ functiones omittant. Annonam autem ego hìc pro omni militari commeatu cum Accursio sumo: licet quidam propriè annonam rem frumentariam dici velint. Confirmor enim Ciceronis autoritate, dum commemorat, *pro Domo sua.* Romæ difficultatem annonæ, summamque inopiam rei frumentariæ extitisse. Idem ait: *libr. 2. de Divinatione.* si Epicuri Liber de voluptate corrosus esset, se putare annonam in macello cariorem fore: quibus in locis pro omni commeatu, non tantùm rei frumentariæ intelligitur. Aliquando Accursius annonam pro pane posuit: *Glos. l.* 1. C *de frumento Vrb. Constan. lib. 10.* quod absurdum videri non debet, cum in Jure panis pro annona dicatur: veluti cùm dicimus aliquem in dotem panes civileis spopondisse. *l. fin. §. præterea. C. de iure dot. l. Hac edictali. § His illud.* 1. *C. de secund. nupt.* Ego tamen hìc pro omni commeatu accipio. Sed quid in his grammaticis tricis tamdiu immoror? Constantinus Imperator admonet nos, milites suos ab antiquo consuevisse percipere duobus diebus frumentum

mentum buccellatum, tertio die panem, uno die vinum, altero acetum, uno die laridum, aliis duobus carnem vervecinam. *l 1. C. de erog. milit. anno. libro 12.* Buccellatum intelligo frumentum ad usus diuturnitatem excoctum: à buccea, quod est frustulum panis. *Ammia. Marcell. libro 17.* Sunt & buccellarii Equites cataphracti, qui Magistro militum suberant: *l. fi. C. ad leg. Iul. de vi pub. vel priv.* quos Leo, & Anthemius Imperatores per civitates haberi prohibuerunt. *l. fin. C de excoct. & translat. milit. anno. libro 12.* Ab illius buccellati panis excoctione, qui militibus præparabatur, nullus omninò immunis esse poterat. Nam dum rei frumentariæ inopia contingit, tum summa est annonæ difficultas, eo ipso, quòd bona pars annonæ è pane, & frumento colligitur. Hinc Romani propter frugū abundantiam Campanum agrum, & Leontinum duo annonæ perfugia vocavere. *Cicero Philip: octava.* Hinc rei militaris periti omnem caussam obsidionis hanc ferè esse censent, ut frumento hostes prohibeantur, *Cæsar de bello civi. libro 3.* Legitur tamen C. Cæsar Legionibus stipendium in perpetuum duplicasse, & frumentum, quoties copia esset, sine modo, mensuraq; militibus præbuisse. *Tranq. in vita C. Cæsaris.* Quod ego vix jure probare possum: nam nusquam languerunt fame, qui frugalitatem inter copias servare non noverunt. *Veget. lib. 4. c. 7.* Atq; ideò

ideò venit mihi in mẽtem, Alexandrũ Mammeę milites expeditionis tempore ſic inſtruxiſſe, ut, etſi prius cibaria decem, & ſeptẽ dierum portarẽt, tamen in manſionibus quotidiè annonas acciperẽt. *Ael. Spartia. in vit. Alexan.* Adhęc Conſtantinus voluit vinum dari militibus: quod & Imperatores Honorius, & Arcadius probaſſe vidẽtur, *l. iubemus. C. de erog. mili. anno. lib. 12.* dum cẽſent militibus à Novembri menſe de novello vino annonã dari, quòd veteris diſpẽdioſa videatur erogatio: ita tamen, ut vinũ, & acetum alternis diebus concedantur. Veruntamen erat Carthaginenſiũ lex, ut nullus miles in caſtris guſtare vinũ auderet, ſed tãtùm aquam expeditionis tẽpore biberet. *Plato lib. 2. de Legi.* Hoc ipſum Peſcẽnius Niger Imperator edixit, ne [illegible]s miles in expeditione vino uteretur, ſed omnes aceto cõtenti eſſent. *Spartia. in vita Peſcenniȷ.* Idẽ Piſtores ſequi militiam prohibuit, buccellatũ panem exiſtimans ſatis eſſe. Hadrianus memoratur inter Manipulares vitam militarem egiſſe, ac cibis Caſtrenſibus in propatulo libenter uſus: hoc eſt, larido, caſeo, & poſca, exemplo Scipionis Aemyliani, & Metelli, & autoris ſui Trajani. *Spartia. in vita Adriani.* Exiſtimo autem Conſtãtinum voluiſſe vinũ dari militib⁹ ad morborum curationẽ, & ut omnis pellatur triſtitia, jucundiq;, ac alacres in prælið irruant. Nã apud Medicos conſtat, vina dulcia pituitoſis, frigidis, iiſq;, qui crudorum humorũ copiam

coacervarũt, conducere. Neq; abs re Imperatores à Novembri tantùm mense vinũ novũ dari voluerũt: nam mustũ flatulentũ, concoctu difficilè, & crassũ est. Quin potius tam vetustorum potu, quàm novellorũ abstinendũ putarunt: illa siquidẽ, plus quàm par est, calefaciũt: hæc verò nihil prorsus caloris excitãt: & illa vix concoqui possunt, tantũ abest, ut ciborum concoctionẽ adjuvent. Si tamen quis crediderit ante Novembrẽ mensẽ vina nova militibus obesse, de rei rusticæ Scriptorũ sententia vinum vetus ex novello cõficiat. Dabimus itaq; (si quando dandũ est) militibus nostris vetus vinũ. *Palladi⁹ in Octobri, tit. 14.* Quod, si fieri potest, minimè sit aquosũ: nã vina aquosa parcissimè corpus nutriũt. Eam ob rẽ multi non laudant eos Imperatores, qui vina illis prohibuerunt: neq; item probãt Scotorũ antiquã consuetudinẽ, ut scilicet milites cibos secum ferrent in prælium, panem, caseũ, butyrum, carnem bubulam siccatam, & poscã: *Hect. Boeth. libro 10. hist. Scotorum.* aqua autem, fluviorum ubertate, deesse illis non poterat. Posca Spartiano potus est aceto, & aqua permixtus, quo maximè remiges utuntur. Acetum verò cur illi iidem Imperatores prohibito vino militibus dederint, non intelligo. Sit licet apud Ulpianum *l. in venditionibus, in fin. ff. de contrah. empt.* aceti, & vini distincta substantia: si tamen vinum acuit, eadem ferè

censenda est: tum facilè est Agricultoribus ex vino acetum facere. *Columel. libro duodecimo.* Demum hîc admonitos velim milites, ut tum maximè annonam parent, cùm maximè abundaverit: neq; vel difficultatem, vel indigentiam expectent. Istud consilium Cambyses dedisse fertur Cyro filio in Assyrios cum exercitu proficiscenti. *Xenophon libr. 1. in Pædia Cyri.* Præterea si obsessi sunt, ne commeatus penuria vitæ discrimen aliquod afferat, edicant militibus, ne cui servus, servàve sit: & quæ ad murorum custodiam minus necessaria ducent, urbe rejiciantur. Nam cùm Vittiges Gothorum Dux Romam obsideret, Belisarius, qui Urbem tuebatur, jussit Uxores, Liberos, imbellemque omnem multitudinem Neapolim transportari: qua re minori cum periculo ab hostibus liberata est civitas. *Procopius lib. 1. bell. Gothor.* Porrò si alios obsident, Scipionem Africanum imitentur, qui cùm Numantiam obsideret, & oppressos fame videret urgeri hostes, vetuit interimi eos, qui pabulatum exierant, quòd velocius frumentum, ac annonam suam absumerent, quò plures essent obsessi. *Florus Epitomat. 57.*

CAPUT XXXI.

Exactores Annonæ militaris.

HIc diligentis Patrisfamiliâs officium requirimus, qui probè curet, ut & mũdata sit, & Pura militaris annona. Præceperunt enim Imperatores ijs, qui annonam militarem exigunt, ut, cùm in Urbem venerint, protinus horrea inspiciant, si quid aut neglectum, aut infectum contabuerit, *l. 2. C. de cond. in publ. horre lib. 10.* Atq; ne nociva sit annonæ retardatio, moraque longior dispendium afferat, ijdem voluerunt à vicinioribus locis ad castra conferri: milites tamen in veteranis castris constituti de conditis ibi duas parteis accipere debent: tertiam annonæ partem ij, qui Provinciam incolunt, advehere cogũtur: *l. Sicut. C. De erog. milit. anno. lib. 12.* nihil enim invehere debent milites præter paleas, & fœnum: licet rei militaris Scriptores referant, legitimos milites fascicularia, hoc est, lignũ, fœnum, aquam, stramen in castra portare consuevisse, *Veget. lib. 2. cap. 19.* Paleas quidem à vicesimo non amplius lapide debent convectare *l. 2. eod. titu.* Fœnum autem etsi illi affectant, debet tamen juxta legem Divi Valentiniani militibus secundum capita præstari, *l. Provincialium. C. eo. titu.* neque enim expedit plus æquo gravari Provinciales, quorũ com-

moda censentur Imperatoribus esse utilitati: *l. unica. §. Hæc autē omnia. 14. C. de cadu. tol.* quorum facultates Principis divitię vocātur. Est quoq; tū periculosum, tū perniciosū valdè, prata, è quibus fœnum colligimus, militum molestia fatigari. *l. fin. C. de pascu. pub.* Provinciales eos appello, qui in Provincia commorantur, *l Provinciales. 190. ff. de verb. significa.* quos Exactores annonę nullis omnino incommodis afficere debent, *l. 3. C. de erog. milit. anno.* Ideoq; ad id muneris viri probi, & continentes eligantur: quorum nomina Rectoribus Provinciarum nota esse oportet. Animadvertant etiam, quicunq; eos nominaverint, ut omnia ex æquo, bonoque faciant: nam si deliquerint, in eorum damnum redundabit, *l. Exactores. C. de suscepto. præpositus & arcarijs lib. 10.* Itaq; priusquam nominent, explorare eos oportet, cujus fidei, cujúsve sint temperantiæ: neque ullo pacto venia digni sunt, qui qualesquales ad exigendum adhibuerint. Denique quantum ad eorum officium attinet, Franciscus Rex Christianissimus edixit, sævissimè animadvertendum esse per Magistros militum in eos Exactores, qui plus à Villis, quàm statutum sit, acceperint, quive omnia non æqua lance dispensarint. Debent autem è Villis, quæ sylvas cæduas habent, lignum accipere: quæ pratis abundant, fœnum exigere: quæ frumentis, paleas: ac eo modo annonam in exer-

citum

citum alendum æqua portione conquirere. Quæ, ut majori cum jure, cautiusq; colligatur Imperatores Arcadius, & Honorius voluerunt, *l. Actuarij. C. De erog. milit. annona*. Breviaria, & Libellos summa fide & veritate confici, secundum quos superindicta exigantur: & si quid amplius accepisse constiterit, quàm in mandatis, & Breviarijs Imperatorum continetur, duplum reddere compellendi sunt. Et si expleto triginta dierum spatio, Pyctatia sua, ac Breviaria non tradiderint, ac excludere quicquam, aut lucrari tentaverint, simulque supersederint erogare, è proprijs facultatibus militibus inferre cogendi sunt. Quo in rescripto Imperatores mitiores, ac humaniores multò visi sunt, quàm Sallustius Galliarum Præfectus Juliano Imperatore apud Cercusium commorante, qui Apparitorem quendam capite damnavit, quòd intra præstitutum diem annonæ augmentũ exhibere pollicitus, casu impediente frustratus esset: quo misero homine mortuo, postridiè advenit alia classis abundè vehens annonam, *Ammia. Marcel. libro 23.* Ne quis igitur exactor, vel annonæ susceptor fraudet milites, aut Provinciales, annotari debent omnia in Brevibus: nam rationes solent exigi secundum ea, quæ Brevibus inserta reperiuntur.

CAP.

Caput XXXII.

Erogatores Annonæ militaris.

Nihil est, annonas colligere, nisi illæ militibus distribuantur. Ob id statuerunt Imperatores, *l. Fortissimi. C. de erog. milit. annonæ, lib. 12.* milites suos annonas singulis diebus, aut saltem, prius quàm annus elabatur, consequi. Si verò eo tempore, id quod illis debetur, non perceperint, fisco vindicari debet. Qui itaq; tali erogationi præponuntur, ex statuto Anastasij Imperatoris, *l. Iubemus, in pr. Eod.* jurabunt se susceptam curam diligenter peracturos, & secundum Imperatoris præscriptum annonam erogaturos sine dolo, & fraude. Ita, si quà transit exercitus, ibi & citra omnem querimoniam aletur, & Provincialibus sua à damno immunitas servabitur, *Novell. 130. Quomodo oporteat milites transitum. c. 1. 2. 3.* Eam ob rem quò illis parata, ac in expedito sint omnia, Præsides Provinciarum habeant in promptu, unde expensę fieri possint: & qui exigunt, & erogant, Collatoribus solita recauta faciant, easq; tantùm annonas requirant, quæ his in locis reperiri possunt: neque quavis de caussa milites gratis sumptus faciant. Si verò plures annonæ insumantur, quàm à Provincialibus contribui soleant, illis è publico debet satisfieri, & aliquo pacto dam-

damnum resarciri ijs, qui plus solito contribuerint. Si publica deest pecunia, à fisco recuperent, vel ab indictis, aut superindictis sequentibus tantam pecuniã sibi concilient. Ita Justinianus Petro sacrorum Prætoriorũ Præfecto rescripsisse legitur. *d. Nov.130.* Igitur milites pro suis annonis pecuniam exigere non possunt. Nam Imperatores censuerunt, *l. Nulli C. de erog. mil. ann.* si annonæ in Provincijs militibus delegatæ sint, illique eas repudient, pretium aliquod pro eis postulari, exigiq; prorsus non posse, quòd contra legem est expeditum: neq; miles, quod accipere dissimulavit, consequetur: nam ut illis annonam vendere non licet, ita neq; pecuniã pro illa accipere. Galba Imperator militi, qui per expeditionem, cùm annona esset arctissima, tritici modium centum denarijs vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri, *Tranquillus in Galba.* & is fame pòst paulò extabuit. C. Cæsar Allobroges duos Roscillum, & Aegum animadversione dignos censuit, quòd prædam omnem averterent, ac Equitum stipendium fraudarent, falsum numerum Quæstori deferentes, *Cæsar lib. 3. De bel. civili.* Neque præda in æquas parteis distribui tantummodo debet, sed etiã annona non minus, quàm stipendium, æquis partibus dividenda est. Quòd si per Imperatorem, dato commeatu,

tri-

triginta milites abesse contigerit, quod illis debitum est, apud Imperatorem sequestrari debet: ita tamen, ut, cùm redierint, pecuniã accipiant, *d. l. Iubemus §. Super his. 2 C. d. t.* Si plùs, quàm triginta, Tribunus dimiserit, pecunia, quæ Supernumerarijs illis eroganda fuerat, in ærarium fiscale conferatur. Ita statuit Franciscus Rex pecunias, quę absentibus tribuendæ erant, in ærarium suum converti. Præthereà, ne quid omittamus, oportet decem Primates, aut Tribunos attestari, unumquemque militem ab suo Erogatore partem illi debitam accepisse: *d. l. Iubemus §. Hos etiam 6. C. Eod.* eaque attestatio per Erogatorem Imperatori dari debet. Si autem differat erogationem, atq; ideo publicam pecuniam apud se retineat, damnum, si quod miles sustinuerit, statim sarciat, ac eo ipso, cingulo militiæ privetur, *d. l. Iubemus. §. Hoc videlicet. 6. C. Eod.* Hæc verò ut Imperatori innotescant, videatque, quid Erogatores commiserint, duo milites pro reliquis verba facturi commeatu accepto Principem adeant, eumque doceant intrepidè, quid fraude Erogatorum perpetiantur, *d. l. Iubemus §. Si verò 7. C. Eod.* Demum Anastasius Imperator observari censuit, ut pecuniæ omnes, quæ mortuis militibus ad diem usque mortis debitæ sunt, per Erogatores Uxoribus, ac Liberis eorum repræsentenentur. Est enim æquum, ut Liberi eorum salaria

lariarecipiant, etiam temporis, quo in ægritudine languerunt. Nam illi quoq; servire intelliguntur, qui ægri sunt, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur, *l. Cùm hæres. §. Stichus si hæredi. 5. De statulibe.* Quæ autem hîc de stipendijs dicuntur, simul de annona intelligimus. Postremò annotandum est, species annonarias non pluris vendi debere, quàm in foro publico, aut macello distrahantur: ita ut neq; nimis gravetur, qui emit: & aliquo compendio is, qui distrahit, foveatur, *l. Septem. C. De erog. milit. annonæ.* In vendendo quidem edicta promulgata sine exceptione servanda sunt: *Caßiodor. Varia.* 11. ac si quis statutum pretium cuique rei immutare tentaverit, in centum auri libras ab Imperatore condemnatur, & sacrilegij pœnas incurrit, *l. Lege* 13. *C. De erog. milit.* Atque ideo Franciscus Rex statuit, Præfectos annonæ non longius abesse ab exercitu, qui pretia curent, hoc scilcet modo: Veruecem integrum sex sestertijs, quos dicimus quinque solidos nostros, vendi: Gallinam quatuor denarijs: Caponem decem. Vinum secundum loci caritatem: Fœnum diurnum equi, quatuor denarijs: pro Ligno, ac Paleis nihil solvi decrevit. Quæ observanda sunt non Erogatoribus tantùm annonæ, sed etiam ipsis Militibus.

CAPI

Caput XXXIII.

Vestis militaris, & supellex.

QUEMADMODUM ad militum vitam necessaria est annona, ita & ad conservationem corporis vestes, & supellex necessariæ sunt: nam ut illa vires auget, ac vitam tuetur: ita istæ corporis sanitatem conservant, nocentia, ac contraria arcent. Ideo victus, & vestes paria esse videntur: ac de utrisque pari diligentia ab Imperatoribus cautũ est, ut nescias utrò diligentius animum adverterint. Etenim C. Gracchus primus Romæ legem tulit de vestibus publicè militibus dandis sine stipendiorum diminutione, *Plutar. in vita Gracchorũ.* & multò pòst tempore Imperatores Arcadius, & Honorius singulis militibus pro chlamydibus suis singulos solidos dari præceperunt, idq́ue per Illyriã tantùm, *l. Fortißimis. 3. C. de milit. veste. lib. 12.* Chlamydẽ hîc non voco vestem puerilem cum Ulpiano, *l. Vestis §. 2. Vers. puerilia. ff. De aur. & argen. lega.* sed militarem, *Cano. Si quis, 51. distinctio.* ut Imperatores vocaverunt. Antiquitus autem exigebatur publicum tributum pro vestibus militaribus, hoc scilicet modo. In Thracia per tricena capita hominum vestis una militaris exsolvebatur: idem in Scythia, & Mysia: in Aegypto, & Oriente per tricena tria; idem

in

in Asia,& Ponto. Provinciæ autem Orientales anno, quo aurum comparatitium conferebant, cogi non poterant ad vestem militarem, demptis Osdroëna,& Isauria, quæ aurũ non debebant, *l. 2. C. de milit. vest.* Provinciæ quidem aliquando per jugera, aliquando per capita obibant munus publicum, ac in militare ærarium conferebant, *l 2. C. De immunita. nemini conced. lib. 10.* Vestes autem militares ut ex publico solvebantur, ita & in publico confici,& sarciri solitas eo ipso conjicimus, quòd Honorius, & Arcadius voluerunt quinque parteis ejus, quod collatum esset, militibus erogari: sextam verò partem pro confectione, ac textura Gynæcearijs conferri, *l. fi. C. De vest. milit.* Gynæcearios appello, qui pannos curabant, vel rudes adhuc tergebant, vel forfice incîdebant: opus quidem, quod ferè à Mulieribus fieri solebat. Hujus conditionis fuisse apud Romanos quidam Jonates nomine, arte Gynæcearius, sed vir aliâs nequissimus memoratur, *Iosephus libro 7. De bell. Iudaico.* Gynæceum etiam locus erat, in quo illi operabantur. Præterea constituerunt Imperatores, *l. 1. C. De vest. milit.* omnem eam pecuniam, quæ pro militari veste conscribitur, à Calendis Novembris, usque àd Calendas Aprileis exsolvi Et istud curare debet Præses Provinciæ, atque ut ad Fiscum ea omnia deferantur. Franciscus autem Rex sanxit, ut, si quando

contingat milites, in Villis, aut civitatibus ſtativa facere vel æſtiva, vel hyberna, omnis ſupellex, quæ domi eſt neceſſaria, per Incolas, aut Cives illis conferatur: quos, dum ſtativa relinquent, eam omnem ita reſtituere voluit, ut ne hilum quidem apud eos remaneat. Inſuper addidit, publico edicto proclamari debere, ut, ſi cui ſupellex non eſt reddita, expoſtulet apud Præfectum Legionis, qui ilico ſatisfieri curabit. Quod ſi ille tandem neglexerit, per Magiſtros Equitum digna pœna afficietur. Fuerunt autem de militum ornamentis variæ Principum opiniones. Nam anno ab Urbe condita trecenteſimo quinquageſimo primo Hibernacula (res nova) militi Romano ædificari cœpta ſunt: conſiliumq́; fuit, hyemando continuare bellum: & cùm omnium bellorum terra, mariq́; quies eſſet, hyemis ſpatio miles Romanus in opere, ac labore, pruiniſq́; obrutus ſub pellibus durare cœpit, *Livius lib. 5. Decad. 1.* Notum verò eſt, Severi Imperatoris temporibus milites omnino immutatos eſſe: nam in Parthica expeditione tantam diſciplinam exercuit, ut non milites, ſed Senatores tranſire dicerent, quòcunq́; iter Legiones facerent: milites honeſtè veſtiti, calciati ad decorem, armati nobiliter, equis inſtructi, & ephippijs, frænis decentibus prorſus, ut Romanam Rempublicam intelligerent, qui-

cun-

cunque Alexandri viderent exercitum, *Spartianus in vita Alex. Severi.* Veruntamen Pescennius Niger vetuit, ne zonam milites ad bellum, item aureos, vel argenteos nummos portarent, ne ad hostem aliquid prædæ perveniret: sed Uxoribus, & Liberis servari volebat. *Idem in vit. Pescenníj.* Hadrianus Imperator vestem humilem habuit sine auro, bullata sine gemmis fibula: capulo vix eburneo ensem clausit. *Idem in Hadriani vita.* Certum est, Maximiani Cæsaris ætate post Persarum bellum gregarium quendam militem sacculum Parthicum reperisse margaritis, gemmisque plenum: eum tamen abiecisse, ac solo nitore pellis contentum abijsse. Sunt autem stragula, & pelliciæ vestes, quibus pluviæ arcentur, & frigora, militibus perutiles, ac necessariæ. Hyberniæ quoque insulæ consuetudo est, ut Incolæ tunicam paño tantùm lineo confectam induant, neque eam mutent, donec contrita sit: eam tamen, ne sordescat, croco inficiunt: & cùm in publicum exeunt, frigoris vitandi caussa superjectum pallium villosum ferunt: atque hoc militibus omnibus commune est vestimentum. *Polyd. Vergi. lib. 13. Angl. historia.* Polystratus quidam Macedo è Centurionibus Alexandri, cùm Darium persequeretur, è fonte siti penè extinctus aquam hausit, ac bibit in galea. *Quintus Curcius libro quinto.*

Atqui Juliani Imperatoris tempestate militum mores mutati sunt, *Ammia. Marcel. lib. 22:* armato saxum non erat cubile, sed pluma, & flexiles lecti, & graviora gladijs pocula: testa enim bibere pudebat: tunc domos, ac ædes marmoreas requirebant, cùm tamen scriptū sit in Antiquitatibus, Spartanum militem acriter reprehensum, quòd procinctus aliquando ausus sit videri sub tecto. Maximinus Junior usus est aurea lorica, exemplo Ptolomæorum: usus est argentea, & clypeo gemmato, & hasta inaurata: fecit & spathas argenteas, fecit & aureas: fecit galeas gemmatas, & bucculas; *Iul. Capitol. in vit. Maxim.* Aurelianus Imperator primùm Paragaudas vestes militibus dedit, cùm antea non nisi rectas purpureas accepissent: & quidem alijs monolores, alijs dilores, trilores alijs, & usque ad pentelores, *Fla. Vopiscus in Aurelian.* Paragaudas genus vestimenti virilis intelligo, ut plurimùm linei, vinctum nunc unico nexu, nunc pluribus loris auratis: quas aliquando Imperatores locis privatis confici prohibuerunt, *l. 1. C de vest. holob. lib. 11.* C. Cæsar post magnam pugnam, atq; victoriam remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat, jactare solitus, milites suos etiam unguentatos benè pugnare posse, *Tranq. in vita. Iul. Cæsar.* nec milites eos pro concione, sed commilitones appellabat, habe-

habebatque tam cultos, ut argento, & auro politis armis ornaret. Hic forsan non inutile erit, addidisse, quod in Epistola ad Tribunũ suum scripsit Aurelianus, *referente Fla. Vopisc. in Aurelia.* hoc ferè contextu. Si vis Tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine: nemo pullum alienum capiat: ovem nemo contingat: uvam nullus auferat: segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum nemo exigat, *l. 1. C. Quando liceat uni. sine judi. vindic. l. Devotum. C de metat. & Epidemit. lib.* 12. annona sua contentus sit: de præda hostium, non de Provincialibus habeat: arma tersa sint, & calciamenta fortia: vestis nova vestẽ veterem excludat: stipendium in baltheo, nõ in popina habeat: torquem brachialem, & annulum apponat: equum saginarium suum defricet: captum animal non vendat: mulum centuriatum comiter curet: alter alteri quasi servus obsequatur: à medicis gratis curentur: Aruspicibus nihil dent: in hospitijs castè agant: qui litem fecerit, vapulet. Hac igitur epistola ferè habes, quæ militem facere, quid cavere, quidve observare oporteat: quibus item vestimentis antiqui Imperatores, militesq; usi sint. Ego tamen in ijs nihil omnino spei, nullamq; victoriæ expectationem reponi velim, sed in generosi animi, ac benè nati hominis prudentia. Nam Hercules vir longè pręstantissimus, ac Deus ab Antiquis creditus, *Lucianus in*

Cynico. Theseusq; ejus discipulus Rex Atheniensium omnium, & filius, ut ferunt, Neptuni, vir suis temporibus fortissimus, nudi, sine calceis, pelle duntaxat induti ita se gesserunt, ut vel omneis æquarint, vel vicerint. Veruntamen Imperatores decenti vestitu, ornatuque corporis esse non prohibemus tum ut, qui eos viderint, ipsa facie dignos eos Imperio judicent: tum ut, qui cum illis sunt, in eadem opinione permaneant. *Isocrates in orat. de regno.* Quòd si virtutum cumulus animo illorum accesserit, nihil erit, cur non taleis Imperatores pluribus encomijs efferamus.

Caput XXXIIII.

Stipendia militaria.

VT Nihil tandem prætermittamus, quod militibus nostris necessarium videatur, non minus oportet benemeritos colere, quàm illis referre, quod debeamus: ideoque stipendia maximè necessaria non dubitamus illis tribuere. Quo enim modo necessitatibus subuenient, si desint stipendia? quo modo eas res sibi parabit miles, quibus vita sustentatur, fovetur, augetur, sine stipendijs? Huic igitur necessitati ut succurramus, multis procul dubio exemplis admonemur. Vocatur autem stipendium à

stipe,

ſtipe, quòd per ſtipes, hoc eſt, modica æra colligatur: quod & tributum appellari Pomponius ait ab intributione: vel ex eo, quòd militibus tribuatur. *l. Ager. §. 1. ff. de verb. ſign.* Nonnulli Hiſtoriographi arbitrantur Romanos uſq; ad tempora Tullij Regis ſumptibus ſuis militaſſe, ac necdum ſtipendium de publico accepiſſe. *Dio. Halicar. libro 4.* Alij verò cenſent año, quo Maſſiniſſa bellum cum Syphace ingenti gloria geſſit, Celtiberorum juventutem mercede à Scipionibus conductam, ad id tempus Romani mercenarium militem nunquam habuiſſent, *Sabell. lib 3. Ennead. 5.* Alij autem ſcribunt, anno ab Urbe condita trecenteſimo quadrageſimo octavo Cn. Cornelio Coſſo tertiùm, L. Valerio Potito ſecundum, Publio Cornelio Coſſo, & Claudio Fabio Ambuſto Tribunis militum conſulari poteſtate, quo tempore Anxur oppidum, quæ nunc Terracinæ ſunt, à Romanis captum eſt, decretum à Senatu, ut ſtipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de ſuo quiſq; functus eo munere eſſet. *Livius libro 4. Decad. 1.* In quam rem primùm ipſi Patres contulerunt: & quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris ad ærarium convehebant. Ego nihil certi ſtatuere poſſum, quantum fuerit apud Antiquos militare ſtipendium, cùm alij pluris, alij verò minoris conducantur.

Legimus tamen milites bello Peloponesiaco singulos Pedestres, & Classiarios binas drachmas in dies accepisse: nam qui Potideæ erant milites præsidiarij, binas drachmas merebant: ita ut Miles alteram, alteram ministri nomine acciperet, *Thucydid. lib. 3. bel. Pelop.* Id stipendium in mensem erat sexagenæ drachmæ, quæ ære nostro, ut vult Budæus vir sanè tum moribus imprimis laudabilis, tũ eruditione præstantissimus, senos aureos coronatos valent: id est, denos francicos, & semissem. Apud nos siquidem qui minimo merent Pedites, in mensem centenos solidos accipere solent, id est, quinos francicos: qui plurimo merent, septenos francicos: quam mercedem menstruam Germani apud nos capiunt. Sagittarij autem, quos Francos arcuarios dicebamus, quaternos francicos in singulos menses capiebant, statuto Caroli septimi Regis. Eaque stipendia Francisci Regis edicto quater in anno exsolvi debebant, ita ut quolibet trimestri Miles stipendium haberet: saltem ante sesquimensem exsolvi præceptum est. Solimanus Turcarum Imperator militibus suis, qui Asapi dicuntur, per civitates, quæ illos ad bellum deligunt, tres aureos coronatos in singulorum mensium stipendium dari constituit, *Paul. Iovius de rebus Turcicis.* Præfecti Provinciarum pro numero urbium, quibus præsunt, aliquot Equites illic alunt,

ac

ac ſingulis pro ſtipendio ſexaginta ducatos annuos tribuunt. Turca autem Equitibus, Peditibusque ſtipendia pro meritis auget: non favore, aut cõmendatione aliqua commentitia. Georgius Caſtriotus Epirotarum Dux, antequam Amurathes Turcarum Imperator Crojam obſideret, Gallis tormentorum bellicorum curam dedit, atq; his tam pacis, quàm belli tempore quinque aureos nummos pro menſtruo ſtipendio aſſignavit. *Marius Barletius, lib. 6. de reb. geſt. adverſus Turcas.* Frotho Danorum Rex patrium, & domeſticum militem hyeme ternis argenti talentis donabat: gregarium, aut conductitium binis: privatum, & militiæ laboribus defunctum uno duntaxat. *Saxo libr. 5. hiſt. Danorum.* Legimus etiam, præter ea ſtipendia, militibus aliquid elargiri ſolitos Imperatores. Nã Auguſtus legavit Prætorianis militibus ſingula millia nummûm: Cohortibus urbanis quingenos: Legionariis tricenos nummos: tanta erat Romani Imperii opulentia. *Tranquil. in vit. Auguſti.* Domitianus addidit & quartum ſtipendium militi aureos ternos: quos menſtruos fuiſſe intelligo. *Tranquil. in Domitia.* Milites etiam ſupra pecuniam nonnunquam annonas, & ſagula, & frumentum accepiſſe commemorantur. *Lampridius in vita Alexandri.* Hadrianus ob auſpicia Imperii militibus duplicem largitionem dedit, quò animos mi-
 litum

tum alliceret: nulla enim re facilius attrahuntur milites. *Spartia. in vit. Adriani.* Defuerunt prætereà aliquando pecuniæ Imperatoribus ad solvenda stipendia: quod cùm Friderico secundo accidisset, *ut est in additio. ad Chronicon Abbat. Vrspergen.* ab Antiquis scriptum est, post vasorum, auri, & argenti, ac totius supellectilis pignorationem, monetam è corio tum fieri curasse sua imagine insculptam: edixitq;, ut finito bello, ea deferretur ad fiscum, & pro qualibet aureum nummum acciperet is, qui detulisset. Nihil enim est, quod in rem tam necessariam non sit summo cum studio conferendum. Rem audi non minus illustrem. Cùm Africæ populi ducente Mathone, & Spendio conjurassent contra Carthaginenses, mulieres ipsæ, quòd superiori tempore viros, liberosq; ob non soluta vectigalia duci in servitutem viderant, in singulis quibusque civitatibus conspiraverunt, nihil relictorum sibi bonorũ occultare, sed mundos etiam muliebres (quod incredibile videtur) ad solvenda stipendia sponte conferre: ita tantum facultatum Mathoni, ac Spendio comparaverunt, ut non solùm militibus, quę principio conjurationis polliciti fuerant, abundè persolverint, verùm etiam ad futuros belli apparatus satis, superque suppeditarint. *Polybius lib. 1. historiarum.* Sed hæc nimia sint de stipendiorũ diversitate: jam dicamus,

quónam

quónam modo persolvi debeant. Ac primò quidem certum est, præsentibus tantùm militibus, & iis, qui in Rempublicā operas suas collocant, numerari debere Hinc scripsit Antoninus Imperator, nemini deberi restitui stipendia, & donativa ejus temporis, quo apud hostes fuerit: licet postliminio sit reversus. *l.1.C. de re milit. lib.12.* Id quod non potest nō mirum videri, cùm Modestinus dicat, *l. Desertorē. §. Sed si ex improviso. ff. de re milit.* eum, qui ab hostibus captus est, si expleto militię tempore redeat, ut Veteranū restituendum, & emerita accipere: cui Arrius Menander *libro 1. de re militari* assentitur. *l. Non omnes §. Si post. 7. Eod.* Verùm diversa sunt, emeritum accipere, & stipendium: illud quidem ob militiæ tempus expletum emeritis datur militibus: hoc autem etiam ante illud tempus ob annuā, menstruámve mercedem illis persolvitur. At verò non parum urget, quòd, qui liberam proficiscendi licentiam cum commeatu adepti fuerint, sine stipendiorum deductione peregrè degere possunt. *l. Hac lege. 14. §. 1. C. de proxi. sacr. scrinio, lib. 12.* Neq; tamen putavero stipendia ejus temporis, quo quis apud hostes fuit, ei danda, nisi liberalitate Principis illi sit indultum ad exemplū ejus, qui ex caussa desertionis restituitur in militiā: *l. Qui excubias. §. 1. ff. de re mil.* stipendia tamē, & donativū medii tēporis nō accipiet, nisi Princeps id ei cōcesserit; Nam

Nam præter id, quod Principi favemus, tum qui apud hostes est, in jure mortuus fingitur: tu autem mortuo quod stipendium præstari debere existimas? Insuper non solùm deductionem stipendiorum illi subire debent, *l. Mævia ff de annu. leg.* qui non probabilem commeatum consequuti fuerint, sed etiam utilissimum est, tardos, & pigritanteis milites stipendio mulctare, exemplo Antonini Pii Imperatoris, qui salaria multis subtraxit, quos ociosos videbat, dicens nihil esse sordidius, imò crudelius, quâm si Rempublicam illi arroderet, qui nihil in eam suis laboribus contulissent. *Iul. Capitolin in vita Antonin.* Sunt tamen ægrotantibus militibus conferenda stipendia: nam, ut dixi, servire intelliguntur, etiamsi propter adversam valetudinem impediti sint: *l. Cùm hæres. § Stichus. 5. ff. de statulib.* neque illis, qui stipendia merentur, prohibitum est, suis negotiis interesse, dummodo nihil militiæ decedat, ut Alexander Imperator Aufidio scripsit. *l. Qui stipendia. 9. C. de procur.* Post stipendia hîc nõnihil de præda hostium addere visum est, & meminisse Jul. Cæsaris, qui Veteranis Legionibus prædæ nomine in Pedites singulos bina sestertia: in Equites vicena quaterna nummûm dedit: assignavit etiam agros, & adjecit epulum ad visceratione: cùm prius parcè, nec pro liberalitate sua præbitum illis existimaret, quinto pòst die

die aliud largiſſimum præbuit. *Tranquil in vita Iul. Cæſar.* Hinc nobis licet facilè conjicere, prædam omnem à militibus ad Imperatorem conferri ſolere: qui poſteà ſingulis ex æquo partiebatur, aut tantundem ſtipendiorum prædæ nomine dabat. Sed fingamus hoſtes in nos irruentes prædam aliquam abſtuliſſe, quam noſtri milites ſubſequentes viribus, ac armis receperunt: debétne eis quicquam prædæ nomine numerari? Imperatores reſponderunt, *l. Ab hoſtibus. 12. C. de poſtl. rever.* receptam eam, non captam eſſe: etenim milites noſtros defenſores eſſe oportet, non dominos. Siquidem & cùm Paſtori meo Lupi porcos eriperent, hos vicinę villæ colonus robuſtis canibus conſequutus lupis abſtulit, Porci tamen Coloni non erunt: manent enim mei tamdiu, quamdiu recuperari poſſunt. *l. Pomponius. 44. verſ. Et ſanè melius. ff. de acqui. rer. dom.* Deniq; prudens Tribunus, cui à tribuendo nomen eſt inditum, decernet ex æquitate, quid ſtipendii, donívé pręſtandum militibus erit.

CAPUT XXXV.

De Germanis militibus: Parergon.

CUM in bona Republica omnis, qui accipiat, fiat deterior, & ad idem ſemper expectandum paratior, ſitq; ingenui animi, ut non

ut non pecunia corrumpitur, ita neq; donis allici: vereor, ne hîc Germanis militibus notam inurere videar: dicam tamen, quæ ad hanc usque ætatem in Annalibus leguntur, illos scilicet præ cæteris & donis corrumpi, & pecuniis allici. *Corn. Taci. lib de mori. Germano. & Annal. 20.* Testis est Julius Cæsar, qui meminit Germanos muneribus, & pecunia corruptos secum in bello habuisse, ac eorum viribus Galliam vicisse, & Pompejum. *Cæsar libro 1. bel. civil.* Testis est Tyberius, qui Maroboduum Germanorum Regem non aliter ad se pertrahere potuit, quàm muneribus. *Tranq. in Tyb.* Alexander Mammeæ Imperator dicebat, se malle pacem, fœderaq; à Germanis emercari, quàm bello contendere: nam sunt imprimis pecuniæ avidi, & nonnunquam auro pacem Romanis cauponantur. *Herodia. lib. 6.* Ideoq; pacem se facilè assequuturũ haud dubiè sibi ille pollicebatur. Cimbri etiam memorantur à Strabone populi esse Germaniæ latrocinando incertis errabundi sedibus. Eam ob rem nonnihil repræhendendus est Jacobus Vvympfelingius Selestadiensis, quòd eos tantopere laudaverit, & Liberalitatem ad cœlum usque extulerit. Meminerint illi, quæso, Philippi patris Alexandri filium accusantis, quòd largitione benevolentiam Macedonum consectaretur. Quæ te (malum) inquit, ratio

in istam

in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? idné agis, ut non te Regem, ſed miniſtrum, & præbitorem ſuum putent? quo nihil Regi eſt ſordidius. Veruntamen fieri non poteſt, ut, quibus regio eſt infertilis, divites exiſtant: qui montes incolunt, ubertate ſoli potiantur: tum, qui extra fines ſuos militant, re nulla, niſi ſtipendiis vitam ducere queunt. Et ſcriptum eſt, Chaldæos ſtipendio meruiſſe, quòd pauperes eſſent, & bellicoſiſſimi. *Xenophon libro 3. in Pædia Cyri.* Atq; ideò non omninò improbo eum Imperatorem, qui militibus aliquid elargiatur, quò ad pugnam ſint promptiores, tum ne egeſtas rerum novarum cupidos faciat. Erat autem Germanis (ut omnia delibemus) is mos in præliis, Cantu truci, & more patrio, nudis corporibus ſuper humeros ſcuta quatientes inibant prælium. *Cornel. Tacit. lib. 18. & 20.* Atque virorum cantu, & fœminarum ululatu ita reſonabat acies, ut nequaquam par à legionibus, & cohortibus Romanis clamor redderetur. Illum clamorem rei militaris periti barritum vocavere: qui non prius attolli debet, quàm utraque acies ſit commiſſa. *Veget. libr. 3. cap. 18.* Ii autem cùm ad Argentoratum contra Cæſarem pugnarent, cornutos, & bracchatos, ac uſu præliorum diuturno firmatos extitiſſe conſtat, ac geſtientes barri-

barritum maximum excitaſſe: *Ammia. Marcel. lib. 16.* qui clamor ipſo fervore certaminum exoriens, paulatimq; adoleſcens, more fluctuum, extollitur cantibus. Germanis item mores ſunt ferociſſimi, in aggrediendo inſignis audacia, contemptus mortis ob reviviſcendi ſpem: in bellis non ratione ulla inſtructi, ſed beluarum in modum ſæviunt: ob idq; à Romanis per patientiam, & tolerantiam ſubacti: *Appianus in Celtico.* Nam Varus Quintilius, cùm exercitui, qui in Germania erat, præeſſet, concepit eſſe homines, qui nihil præter vocem, membraque haberent hominum, quiq; gladiis domari mox poterant. *Velleius Patercul. lib. poſteriori.* Sunt quoq; admodum vino dediti: unde non minimum periculum exercitui adferri poteſt. Eſt enim ab Antiquis traditum, milites Germanos poſt cladem acceptam ad Dirrhachium, cùm Cæſar Gomphos urbem diripiendam illis tribuiſſet, vino ita ſe ingurgitaſſe, ut omnibus ludibrio eſſent. *Appian. lib. 2. de bel. civil.* Enimverò non poſſum non eos in exercitu probare, quorum vita omnis in venationibus, & ſtudiis rei militaris conſiſtit: qui à parvulis duritiei, ac labori ſtudent: quos ipſa Natura videtur ad bella quaſi manu duxiſſe. *Cæſar bel. Galli. lib. 6.* Hujus autem Capitis hæc ſumma eſt, ut è noſtra militia pellatur omnis avaritiæ ſuſpitio: habere enim quæſtui Principis com-

commodum, non modò turpe est, sed & sceleratum videtur: cui tamen incommodo Princeps facilè medebitur, si omnibus ex æquo largiatur, & in remunerando sit tantò propensior, quantò milites expeditiores, diligentioresq; cognoverit.

CAPUT XXXVI.

Metatores, & Metata.

CUM non possint Milites collocatis Tabernaculis ibi assiduè manere, ac semper castrensibus negociis, ponendisque suis domibus occupari, commodum visum est, ut aliquando nonnihil ocii, & quietis reperiant, hospitia illis parare, quæ nos Metata appellamus: ac Metatores eos, qui hospitio accipiendis domos designaturi præcedunt: licet & Metatores illi dicantur, qui præcedentes locum eligunt ponendis castris, ac metas præfiniunt: *Veget. libr. 2. cap. 7.* velut is, de quo meminit Cicero *Philippica 11.* ex ultima Celtiberia Metatorem prius, Saxam nomine, Tribunum plebis datum fuisse Romanis. Nonnulli Imperatores *l. Devotissimos. C. de Meta. lib. 12.* voluerunt, milites non tantùm, cùm redibant ex procinctu militari, sed & cùm ad bellum proficiscerentur, humanissimè à Romanis hospitio recipi. Idem Franciscus Rex Christianissimus statuit;

quàcunque iter facerent, ibi hoſpitium habere, modò non plus uno die uno in loco commorentur. Solent itaque in hanc rem præmitti Metatores, qui Metata Militibus aſſignent, eisque notas præfigant, adjecto indice, vel nomine ejus, qui ibi hoſpitio accipietur. Et ſi quis hujuſmodi notas delere audeat, ut falſi reus condemnabitur. *l. 1 C. Eod.* Obſervabunt autem Metatores hunc ordinem ex reſcripto Imperatorum Arcadii, & Honorij, *l. 2. C. de Metat. & epidem.* ut ſcilicet domus primùm in treis parteis per eos dividatur. Primam partem Dominus, qui hoſpitio accipit, eligat. Secundam Metator. Tertia Domino adhuc relinquatur. Etenim plenum eſt æquitate, & juſtitia, ut, cui domus ſucceſſione obvenit, aut cujus pecuniis empta eſt, vel extructa, primam partem eligat, quam inhabitet, ac præterea tertia illi pars relinquatur: quas liberas, & illæſas ei conſervari Juſtinianus ſtatuit. *Novell. 130. c. 9.* Milites verò in ſecunda illa parte cœnacula, ac metata ſua faciant. Ergaſteria verò, quibus merces reconduntur, ſuis Dominis, & Conductoribus libera ſint, niſi in tertia domus parte ſtabulum defuerit: *d. l. 2. §. 1.* oportet enim etiam Militum equos hoſpitio conjungi: poterit tamen Hoſpes pro equorum numero, & domus qualitate alibi providere. Veruntamen ut eſt inter milites longa differentia,

rentia, ita & ijdem illi Imperatores ſtatuerunt militibus illuſtrioribus, ac aliqua in dignitate conſtitutis non tertiam domus partem, ſed dimidiam dari: hac videlicet conditione, ut alter eligat, alter æquis partibus dividat. Si quis autem illuſtriorum militum iis Sanctionibus contravenerit, libram auri fiſco ſolvere cogetur: ſi Manipularius aliquis, aut Caligatus, militia privabitur. Obſervent præterea Milites Hoſpites ſuos, ac nihil ab illis poſtulent, ne balneum quidem, *l. Hoc proſpectum. C. Eod.* Nam Imperatores arbitrati ſunt eos, qui Metata ſuis domibus præſtarent, nullam ſuſtinere moleſtiam debere, ac multò minus quicquam penſionis nomine, vel diſcuſſionis domus, ulláve epidemetica perſolvere. *l. Omnes. C. eo.* Epidemetica voco collationem pecuniæ, quam à Civibus extorquebant milites, ut hoſpitio renunciarent, & aliò tectum quærerent: qua maximè Cives ſuos prægravari Juſtinianus noluit. *Novell. 134. Vt nulli iud. c. 1. verſ. nulli verò.* Si quis autem militum in ea urbe domum poſſideat, non poterit in alia domo Metata ſumere, quovis militiæ cingulo præcelluerit. *d. l. Omnes. Eod.* Enimverò immunes ſunt à Metatis quædam domus, ut ſunt prædia, vel privatæ domus Imperatoriæ: ad quas ſi quis Metator acceſſerit, Theodoſii reſcripto ſine injuria poteſt expelli, non minus,

quàm si Sacrilegus esset. *l. Devotum. Eod.* Siquidem ubi quis illicitè versatur, inde pellendū esse nemo dubitat. *l. 1. C. de stud. liber. Vrb. Ro. libro 11.* Ab iis vacant præterea viri Patritii: nam Valentinianus Imperator *l. Hac lege. C. de Meta.* voluit eos treis domos immuneis ab Hospitibus habere: filios eorum, ac parentes, duas: Consulares, duas dimidias domos: horum filios, mediam tantùm: Magistros militum, duas domos: hæredes eorum, unam: Magistros officiorum, unam. Immunes sunt item Comites sacrarum largitionum, ac rerum privatarum, Medici, Pædotribæ, Professores, Prætoria judicum *l. Archiatros. C. de Meta.* Claudius etiam Imperator Patrum decreto prohibuit milites domos Senatorias etiam salutandi caussa ingredi. *Tranq in vit. Claudii* Demū ea hospitalitas servari debet, ut nihil ab Hospitibus petant milites, quod hominum victui, vel animalium, ac jumentorum pascuis sit necessarium: qui id postulaverit, decem auri libris mulctabitur. *d. l. Devotum. Eod.* Constantinus adjecit, ne quis militum nomine culcitram, lignum, oleum ab Hospitibus extorqueat: *l. unic. C. de salga. hospit. non præstan. lib. 12.* nam quod illis à fisco tribuitur, debet in ea, quæ necessaria sunt, converti: *Nov. 128. de Collatoribus. c. Ad hoc iubemus. 22.* neq; gravamen, aut molestiam Hospitibus inferri oportet. Hîc verò commodè facturū me existimavi, si

modum

modum castrametandi Romanorum leviter attingerem. Is autem erat, *Polybius lib. de Roma. castramet.* Loci, qui maximè idoneus videbatur, aptissimam partem ad prospiciendum, pręcipiendumq́;, Imperatoris tentorium occupabat. Posito ibi signo metiebantur circa signum spatium quadratum, ita ut latera distarent à signo pedes centum, aut plus, si necessitas urgeret. Ad latus, quod & aquationibus, & pabulationibus aptissimum videbatur, ita locabantur Romanæ Legiones. Cùm in quaq; Legione sex Tribuni essent, duæq́; Romanæ Legiones utrumq; Consulem sequerentur, duodecim Tribunos necessarium erat militare sub utroq; Consule. Eorum tentoria ad rectam lineam omnia, quæ æquidistans sit lateri dicto quadrati, distetq́; ab eo pedes quinquaginta, ponebant. Spatium illud quinquaginta pedum equis, jumentis, ac reliquis Tribunorum sarcinis locandis erat destinatum. Tentoria Tribunorum ita figebantur, ut exteriorem faciem ejus lateris aspicerent. Distabant autem inter se æquali spatio, tegebantque omneis Legiones Romanas. Ab hac linea in interiorem partem centum pedibus fiebant Legionum tabernacula, in hunc modum. A medio puncto lineæ angulis rectis lineam constituebant: Equites utriusque Legionis oppositos illic locabant quinquaginta pedibus inter se distanteis.

ſtanteis. Similiter & Peditum tentoria eodem modo figebant: horum longitudo pedum centum erat; nam Triarios ad ſingulas Equitum turmas addebant. Inter omneis, viæ erant deſinentes in latus Caſtrorum, quod Tribunis oppoſitum erat. Inde Haſtatos, & Pilanos conſtituebant. Ab Haſtatis quinquaginta pedum ſpatio relicto Equites, ac Pedites ſociorum locabant, ſumentes initium ab eadem recta linea, ac in idem latus deſinentes. Hoc autem modo intercalabant ſextam Turmam à quinta, pedibus ſcilicet quinquaginta à Peditum ordinibus. Erant itaq; rectæ viæ omnes ad Tribunorum tentoria. Sed ab ultimo utriuſque partis Tribunorum tentorio à poſteriore parte quaſi inflexum tenētes ordinem verſus tentoria Equites quidam voluntarii in gratiam Conſulum militantes locabantur ad tranſverſa valli latera. Deinceps pervium relinquitur ſpatium latitudinis centum pedum æquidiſtans Tribunorum tentoriis; ad cujus latus ſociorum Equites extraordinarii caſtrametantur. Ad media horum contubernia, & ad ipſum Prætorii locum, qui ibi ſitus eſt, tranſitus relinquitur pedum quinquaginta ad poſterius caſtrorum latus. Vacuus autem locus, qui ex horum utraq; parte adverſa ſupereſt, datur externis: iiſque, qui pro tempore ſocii advenerint. Hoc modo tota caſtro-

caſtrorum forma quadrata efficitur æquis lateribus. Viæ autem, quæ interſecant, urbi ſimillimam ſpeciem efficiunt. Vallum à tentoriis undiq; ducentis pedibus ſubmovebatur, quod importandis, ac exportandis rebus in caſtra erat opportunum, teláque, aut ignis, ſi ex hoſtibus ad eos perveniant; propter diſtantiam erunt innocua. Si autem militum major multitudo adfuerit, facilè eſt, locum duplum conſtituere. Ita Romani in quadratum agmen caſtra ſua diſponebant. Contrarium præcepit Lycurgus Lacedæmoniis, putans angulos omninò eſſe inutiles, niſi aut monte tuti eſſent, aut mœnia, vel flumina poſt ſe haberent: is enim nonnunquam lunata, nonnunquam hemycicla caſtra habuit, nunc arduis locis, nunc planis, & patentibus, plerumq; demiſſa valle, nunc in colle edito. *Xenophon lib. de Republica Lacedæmon.* Quæ omnia oportet prudentem Imperatorem diligenter inſpicere, ne ſcilicet collis, aut jugum emineat, unde proſpectus caſtrorum fiat, vel ſubita incurſio: ne ſylva denſa, ſinus occulti, latens foſſa propè ſint, unde latebræ hoſtium, & inſidiæ parari poſſint. In Romanorum verò caſtris plures portæ erant: quarum nomina, & ſitus, ne plus æquo prolixior fiã, rei militaris Scriptoribus remitto. Aliæ autem Nationes pro ſuo more alio item & alio modo caſtrametantur. Nam

Bohœmi carros plurimos secum in exercitum ducunt, illis pro vallo utentes. *Æneas Sylv. histo. Bohem. cap 47.* Duo ex his cornua faciunt: in medio peditatum claudunt: alæ Equitum extra munitiones propè adsunt. Ubi congrediendi tempus instat, Aurigæ, qui cornua ducunt, ad Imperatoris signum, compræhensa, qua voluerint, hostium parte, ordines quadrigarum contrahunt. Equitatus extra munimenta depugnat: quem si fortè hostis oppresserit, fugientem mox aperti currus excipiunt, indeq; velut à civitate mœnibus cincti protegũtur, ac victorias plurimas ita consequuti sunt. Diversas alias castrorum formas aliis describendas relinquimus, & ad propositum redeuntes, custodiam, & excubias castrorum aggredimur.

Caput XXXVII.

Custodia, & Excubiæ.

Triumviri apud vetustiores, quòd excubias agebant, nocturni dicti sunt. *l. 1. ff. de offic. Præfec. Vigil.* Interveniebant nonnunquam Aediles, & Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portas, & muros disposita, quæ inde, si opus esset, evocabatur: ea custodia arcendis ignibus in Urbe fuisse memoratur. Addidit prætereà Zeno Imperator aliquos, qui excubias aquæ custo-

custodiendæ assiduè agerent, neq; alijs muneribus occuparentur, *l. penul. in fin. C. de aquæ duc. lib. 11.* Erant etiam Urbis custodiæ publicæ. Nam Servius Tullius, qui populum Romanum in Classes divisit, posuit in prima Seniores, ad Urbis custodiam ut præsto essent: Juvenes, ut foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clypeus, ocrea, lorica: omnia ex ære, eaq; ad tegendum: ad nocendum autem tela in hostem, hastaq;, & gladius, *Livi lib. 1. decad. 1.* Etenim evocabantur aliquando milites à castris, & propter maximas rationes custodiendis urbibus collocabantur, ut ibi essent velut unicum præsidium, ac ne Urbs ipsa derelicta præda foret hostibus, *l. cum sæpè contingat 17. C. de erog. mil. ann. lib. 12.* Proinde tam grave crimē est, excubias deserere, ut, qui dereliquerint, capite puniantur, *l. Qui excubias. ff. de re milit.* Nam memoriæ est consecratum, Cæsarem, cùm Cohorti commisisset custodiendas portas civitatis Promonæ in Dalmatia, illaq; timore portas reliquisset, sequenti die decimum quemq; ejus Cohortis morte mulctasse. *Appianus in Illyrico.* Sanè quod periculum futurum existimas, si is, qui excubias est pollicitus, eas vel negligat, vel derelinquat? Scipio, cùm in Carthaginem intentus esset, relictum fuga custodum Tuneta occupavit: qui locus tum opibus, tum suapte natura tutus erat, *Livius, lib. 10. Decad. 3.* Neq; tan-

tùm excubias deſerere, grave crimen eſt, ſed etiam in illis obdormiſcere. Hinc laudatus eſt Epaminundas, qui, cùm cuſtodias circuiret, ſopitum militem gladio transfixit: quod inclementius factum nonnullis increpantibus, qualem inveni, inquit, talem reliqui. *Plutar. in vita Epaminun.* Verùm quemadmodum graviſſimè puniendus eſt, qui vel relinquit, vel negligentius obſervat excubias: ita & qui eas ſine culpa per triginta annos diligenter exercuerint, multis cumulantur privilegiis. *l. Decurionibus C. de Silentia. lib. 12.* Et hercle ſi Servi Dominis ſuis periculo capitis domus cuſtodiam præſtare coguntur, *l. 1. in prin. ff. de Syllan. & Claudia. ſenatuſc.* quantò magis urbis, vel caſtrorum, in quo publica, & multorum imminet pernicies? Ille quidem, qui ſtationis munus relinquit, plus quàm emanſor eſt, ac pro gravitate delicti aut caſtigatur, aut gradu militiæ deijcitur. *l. 3. §. qui ſtationis. ff. de re milit.* Quondam Leo Imperator Baſilij filius nocturnas Vigilias Urbis Conſtantinopolitanæ experiri volens, noctu Regia ſolus egreſſus eſt, fingens ſe lupanar velle inviſere, tum duas Vigilias muneribus corrupit, ac evaſit: à tertia autem captus, & in carcerem deductus verberibus cæſus eſt. Poſtridiè reverſus in Regiam, priores, fiſco bonis applicatis, exilio mulctavit: poſteriores laudibus, & opibus extulit. *Luitprand. lib. 1. cap. 3. de rebus per Europ.*

Europ. gest. Propterea extraneos, quibus minus est propensa voluntas in Patriam, ad custodias cogi non posse existimo. *l. Est verum. C. de Incolis, lib. 10.* Custodiæ enim ipsis Dominis tantùm, aut qui Dominorum vices gerunt, sunt committendæ. *arg. l. 3. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* Esse autem debent, qui circa custodias urbis admittuntur, non maxima solùm fide, sed & probitate singulari. Adhæc Justinianus Belisario Magistro militum rescripsit, *l. 2. §. In Sardinia 3. C. de offic. Præfec. Prato. Africa*, ut in Sardinia, quam barbara Gens inhabitabat, collocaret milites pro custodia locorum, qui continuè invigilarent, & ab hostium incursione populum illæsum tuerentur. Sunt verò illi Limitanei milites dicti, quòd limitum Regni, aut Imperij custodiæ adponantur: *l. fi. C. de fund. limitro. & ter. lib. 11.* quos à limitum excubiis revocandos nusquam Imperatores censuerunt, etiamsi adulterium, aliúdve crimen, quo trahi in carcerem possint, admiserint. *l. Quamvis. C. ad l. Iul. de Adult.* Castrenses autem Vigilias Romani antiquitus hoc modo disponebant. *Polyb. de Roma. Castrame.* Imperatorē, ejusq; tentoriū accubans signū custodiebat. Tribunorū tentoria, & Equitū turmas ex singulis signis quatuor. Alii per singulos ordines ex se ipsi custodias disponebant: cæteras Imperator. Fiebāt itaq; in castris tres excubiæ: apud Quæstorem una: binæ

binæ apud Legatos, ac Consiliarios. Exteriorem castrorum partem Velites complebant: portas singulæ Decades accubantes servabant. Qui præoptati erant ad custodiam, ex prima ala quatuor, ubi sortiti erant Vigilias, conferebant se ad Tribunum, & in scriptis accipiebant, qualeis, quotq; Vigilias circuire oportebat. Posteà ij quatuor juxta primum signum Triariorum accubabant, ut notum vigilijs signum tuba detur. Cùm tempus accesserit, primam Vigiliam is visit, qui visendam sortitus est. Si vigilanteis invenerit, taleolam ab ijs accipit: si dormientem quempiam, aut locum deseruisse offendebat, attestabatur proximos; dein abibat. Idem observabatur ab ijs, qui posteà Vigilias circuibant. Circuitores singuli sub ipsam lucem referunt tesseras ad Tribunum. Si omnes redduntur, sine delicto abeunt: si quis Pauciores attulerit, quàm sit custodiarum multitudo, inquirunt ex charactere, quænam custodia defecerit. Quo cognito, Ordinum Ductor vocatur, cum Circuitore disceptat. Et si Custodum fuerit delictum, adhibitis Testibus, à Circuitore fuste cæduntur: aliter crimen in Circuitorem recidebat. Erat prætereà Antiquis mos, ut, si quando hostes in cõspectu essent, pro portis castrorum singulæ stationes, & expeditæ Cohortes dispositis excubijs pro vallo excubarent, omnia militari custo-

custodia firma, tutaq; essent, ne paratis insidijs, hostes castra adoriantur, & nec opinanteis invadant. Paulus Aemylius nocturnas vigilias sine armis fieri, & inermeis milites vigilare jussit, ut attentius somno repugnantes in Custodias traderentur: *Plutar. in vita Aemylij.* quamvis veteri exemplo stationes, vigiliæq; ab armatis in castris fierent: nam Veteres arma, militum membra dicebant. Proinde Belisarius, *Procop. lib. 1. bell Gotho.* soluta Urbe ab obsidione Vittigis Gotthorum Ducis, veritus, ne fortè quis Custodum ad portas insidias moliretur, vel externus quis ad hos clàm ventitaret, bis in singulos menses destructas portarum claves in aliam formam, & à priori diversam commutavit, custodesq; ipsos procul statuit in muro, & custodijs, alios atq; alios per singulas nocteis pręficiens, quibus mandatū erat, muros frequentius obeūdo nomina Custodum describere, & in absentis locum alium substituere, referreque ad Principem, qui custodijs abessent. Ac ut circa Custodias attentiores essent, jussit, ut musicis instrumentis ipsi Artifices per noctem in mœnibus uterentur. Milites item emittebat, quibus ad fossas erat pernoctandum cū canibus, ut nemo vel è longinquo invasurus mœnia lateret. Porrò erant apud Romanos nonnulli publici cursus custodes. Quod licet extra rē militarē sit, dicemus tamen

men Imperatores Arcadium, & Honorium voluisse, ut illi evectiones omneis inspicerent, & cujuslibet rei rationem postularent. *l. 3. C. de cursu publi. lib. 12.* Hujusmodi sunt, quos alibi Imperatores vocant Agentes in rebus. *l. 2. & fi. C. de curios. lib. 12.* Est & Custodia, quæ militibus committitur, cura videlicet custodiendi hominis captivi, ac velut in carcere retinendi: quæ non temerè Tyroni credenda est, neque uni tantùm homini, sed duobus dari debet: & si è Custodia eripiatur is, qui in illa collocatus est, pro modo culpæ vel castigabuntur, vel militiam mutabūt. *l. fi. in pr. & §. 1. & 2. ff. de custo. reorum.* Planè divus Hadrianus Statilio Secundo Legato rescripsit, *l. Milites. ff. Eod.* quoties Custodia militibus evaserit, exquiri oportere, utrum nimia negligentia militum evaserit, an casu: & ita demum afficiendos supplicio milites, si culpa eorum depræhendatur: alioquin pro modo culpæ statuendum est. Idem Salvio Aquitaniæ Legato rescripsit, si per vinum, aut desidiam Custodis evaserit, castigandum eum, & in deteriorem militiam dandum: si fortuitu amiserit, nihil in eum statuendum esse.

Cap-

CAPUT XXXVIII.

Commeatus militaris.

IMPERATORES certa caussa militibus aliquando commeatum dare ſolent: hoc eſt tempus, quo ire, & redire commodè poſſint: vel facultatem ad tempus à militia recedendi, eundique, quò velint, præſcripto die reverſuri. Referre tamen oportet id, quod Paternus ſcribit, *l. Officium* § 1. *ff. de re milit.* parciſſimè commeatum dari debere: equum militarem extra Provinciam duci, non permittendum: ad opus privatum, piſcatum, venatum militem non mittendum: id quod etiam in diſciplina Auguſti reperitur. Similiter Imperatores Arcadius, & Honorius prohibuerunt Tribunis, & Præpoſitis, expeditionis tempore commeatum dare militibus. Et ſi quis eo præſertim tempore, quo Barbarorum fiunt incurſiones, commeatum dederit: vel ſi quis miles, cùm apud ſigna eſſe deberet, abſens eſt, is proculdubio capite plecti debet. *l. 1. C. de Commeatu, lib. 12.* Eſt enim perraró commeatus dandus militibus, atque id tantùm ad res proprias, eaſque neceſſarias componendas. Quo modo legimus datum fuiſſe L. Verginio, cùm Ap. Claudium Decemvirum Virginem ſtuprandi libido incendiſſet.

Livius

Livius lib. 3. Decad. 1. Hunc, cùm accuſaretur, memoriæ proditũ eſt, Collegis ſuis in caſtra ſcripſiſſe, ne Verginio patri puellæ darent commeatum: verùm ille, commeatu ſumpto, prima vigilia profectus erat, cùm poſtridiè manè de retinendo eo nequicquam literæ redditæ fuerunt. Annibal quoq; memoratur, poſt expugnatum Saguntum, milites ſuos ita alloquutus: Si quis veſtrum ſuos viſere vult, illi commeatum do, *Livius lib. 21.* Simile eſt Franciſci Regis Chriſtianiſſimi edictum, quo omnibus militibus prohibetur, non accepto commeatu, diſcedere. Si autem miles à Tribuno, Tribunus verò à Magiſtro Equitum, vel ab ipſo Imperatore commeatũ habuerint, debent tamen eo tempore Vicarios relinquere, qui vices eorum gerant, & ad diem præfinitum redire: tuncq; illis ſtipendia non minus, quàm ſi præſentes ſemper fuiſſent, dari oportet. Quòd ſi Vicarios dare noluerint, utile forſan videbitur, Scipionem imitari, qui bello Punico tercentum militibus Siculis, qui nolebant militare, vel differebant, totidem Vicarios dedit, *Livius in 2. bello Punico.* Addidit præterea idem Franciſcus Rex, Tribunos non pluribus, quàm triginta Equitibus ſimul commeatum dare debere, eumq; per treis tantùm menſes: ſi plus abfuerint, omnes ſtipendia amittent: quæ in ærarium regium deferri placuit. Tribunum

eùm

eum hîc intelligo, qui centum Cataphractis Equitibus præest. Proinde ea lex non abeundi absque commeatu apud Anglos non solùm militibus, sed & totius insulæ Incolis posita fuit à Guilielmo Ruffo Rege: *Polyd. Vergil. libro 10. histor. Angl.* quæ & hodiè observatur: facilè enim exemplis, si quæstuosa sunt, inhęremus. Apud illos in hanc usque memoriam propagatum est, Edovardum Udevillam, qui à Vecte insula, cui præfectus erat, sine commeatu Henrici septimi Anglorum Regis discesserat, interfectum fuisse. *Idem lib. 26.* At Zeno Imperator mitius cum militibus agens, statuit, militem, qui sine commeatu per annum domi permanserit, si posteà in militiam revertatur, decem sequētibus postponi: si per biennium, viginti: si per triennium, triginta: quartus autem annus nullum omnino veniæ locum relinquit. *l. fi. C. De commeatu, libro 12.* Pariter Theodosius, & Valentinianus eum, qui quadriennio abfuerit, è numeris militum expungi debere censuerunt. *l. 2. C. eod. titu.* Si quis verò militum à Tribuno missus ad Principem pervenerit, Præsidibus, vel Comitibus illustribus ilico se offerat, ac caussas profectionis exponat, & brevem remeandi accipiat facultatem. *l. Nemo miles. §. si verò 1. C. de re milit. libro 12.* Nam si quid agit, quod illi utile sit, non videtur Reipublicæ caussa abesse, cum & Jabolenus san-

xerit, *l. Miles. 34. ff. ex qui. cauſ. maior.* militem, qui, commeatu accepto, domi ſuæ ſit, cauſſa Reipublicæ abeſſe non videri. Et eſt verum, eum, qui cũ com̃eatu abeſt, in omnibus pro præſente haberi, ut Leo Imperator reſcripſit. *l. In Sacris. 9. C. de proxi. ſacr. ſcri. libro 12.* Sed ſi ad diem commeatus quis non venerit, perinde in eum ſtatuendum eſt, ac ſi emanſiſſet, vel deſeruiſſet, pro numero temporis, data tamen prius facultate docendi, num fortè caſibus quibuſdam detentus ſit, propter quos venia dignus videatur. *l. Deſertorem. § ſi ad diem. 7. ff. de re mili.* Eſt namq; habenda dinumeratio temporis, quo reverti debuit. Planè ſi infirmitate impeditus reverti non potuit, habebitur ratio valetudinis, ſicuti haberi ſolet & hyemis, & navigationis, & cæterorum, quæ caſu contingunt. *l Sicui. 38 § Tamdiu. Verſ. Quare. & Planè. ff. Ex quib. cau. major.* Velut ſi ſe probat morbo impeditum, vel à latronibus detentum: dum tamen non tardius à loco ſe profectum probet, quàm ut poſſit occurrere intra commeatum: quod & Paulo Juriſconſulto viſum eſt. *l. Qui commeatus 14. in pr. ff. de Re militari.* Commeatus præterea apud Oratores pro annona militari capitur: qua in ſignificatione apud Juriſconſultos non legi. Dicitur tamen ab Imperatore Commeatalis miles is, qui in ſtipendij partem accipit alimenta ex commeatu, id eſt, publico: quem

Ju-

Justinianus noluit ullo pacto à Tribunis dimitti, ne, dum suo lucro studeat, incustoditas relinquat Provincias.

CAPUT XXXIX.

Absentia Militum.

EOS itaque milites verè abesse intelligimus, qui non sui commodi caussa, sed coacti absunt. *l. Reipublicæ. 36. ff ex quib. cau. major.* Veluti dum eunt in castra, ac redeunt, quòd militaturo eundum sit in castra, & redeundum. Hinc Julianus scribit Proculum respondisse, militem, qui cum commeatu absit, dum domum vadit, aut redit, Reipublicæ caussa abesse: dum domi sit, non abesse. *l. Qui mittuntur, in fi. Eod.* Is autem tamdiu Reipublicæ caussa abesse videbitur, quamdiu officio alicui præerit: quòd si finitum fuerit officium, jam desinit abesse Reipublicæ caussa. *l. Si cui. § tamdiu, Eod.* Milites etiam, qui Romæ militant, pro absentibus Reipublicæ caussa habentur. *l. Milites, 7. Eod.* Qui etiam mittuntur, ut milites ducant, aut reducant, aut legendi curam gerant, Reipublicæ caussa aberunt. *l. Qui mittuntur, 35. Eodem* Item qui ad malos homines compescendos missus est: & Paganus, qui in expeditionem jussu Consulari trãsivit, omnes caussa Reipu-

blicæ abſunt, & edicto Prætoris in integrum reſtitutionem petere poſſunt. Nam etiam notum eſt, Julium Cæſarem, cùm à L. Antiſtio Tribuno plebis in judicium poſtularetur, convocato Collegio obtinuiſſe, quum Reipublicæ cauſſa abeſſet, reus ne fieret. *Tranquillus in vita. Iul. Cæſ.* Prætereà illi immunes ſunt à tutela, & cura: dum tamen reverſi fuerint, onus tutelæ inchoatum recipient. *Inſtitut. de excuſat. tuto. §. item qui Reipubl. cauſa.* Demum, ut aliquando concludamus, milites omnes, qui diſcedere à ſignis ſine periculo non poſſunt, Reipublicæ cauſſa abeſſe intelliguntur, ut eleganter ſcripſit Scævola Libro primo Regularum. *l. penul. ff. ex quib. cau. major.*

DE

DE JURE ET PRIVILEGIIS MILITUM LIBER SECUNDUS.

CLAUDIO COTERAEO TURONENSI Iurisconsulto Clarissimo Authore.

PROLOGUS.

PRUDENTEM Imperatorem R. P. nihil minus decere arbitramur, quàm ad id bellum animũ intendere, quod tandem vel viribus, vel consilio conficere nequeat. Eam ob rem si ad belli cogitationem sese recipiet, videat hoc primùm diligenter, quantum, benè dimensis, & examinatis viribus, omni ex parte possit efficere. In quo sanè non vulgarem rei militaris peritiam, sed laudatissimi Imperatoris, cujus existimatio multo sudore, labore, vigilijsq; collecta sit, prudentiam postulamus. Etenim quicunq; vires suas militum benevolentia, locorum situ, vel munitionibus, coacervatisve longo tempore divitijs metiuntur, ijs ipsis si regni Incolæ, ac Indigenæ milites desunt, periculum est, ne opinione sua falsi bellica tandem calamitate opprimantur. Illa namq; &

si robur, & vires exercitus non parum augeant, firmum tamen exercitum sine Incolarum armis conflari non posse censemus. Is enim esse debet benè, beateque ordinatæ cujusvis Reipublicæ status, ut suis se Civibus, non peregrinis militibus, tueri, ac hostes viriliter arcere, longeque propulsare possit. Et mehercule plena manu laudes illorum Civium in astra efferendæ sunt, qui, Atheniensium exemplo, nihil addubitent corpora sua quibuscunque Reipublicæ periculis objectare, etiam si & auri, & argenti exaggeratos acervos habeant. *Isocrates in Orat. de pace.* Pecuniæ quidem affluentes, arces quoque munitissimæ, externorum militum benevola conciliatio non te juvabunt, ipsa ex se nihil tibi proderunt, nisi tuis tu viribus illa ab hostili incursu, & inimicorum oppugnatione possis defendere. Atque ea de caussa pecuniarum congestarum cumulus forsan minus utilis videbitur, quòd ad prædam potius animos hominum, quàm ad bellum sollicitet. Quare non possum non illos improbare, qui pecunias esse nervos belli passim pro certo prædicant, illas fortè instrumenta, quæ animos hominum ad bellum tum movere, tum traducere debeant, falsò existimantes. Quæ tamen opinio in omnium ferè mentes ita petulanter invasit, ut his suis tam gloriosè jactatis nervis, multò plus

plus aſſequi ſe poſſe ſperent, quàm omni militari prudentia, militumq; prudentium fortitudine. At verò ſi, qui divitiis plus poſſint, ijdem etiam viribus potiores habeantur, cur, quæſo, Alexandrum non vicit Darius Alexandro multò pecunijs potentior? Cur non Romanos Græci ſuperarunt Romanis cenſu longè plurimis partibus ditiores? Omnino, fortiſſimi milites, non autem pecuniæ, bellorum nervi duci debent: armis enim, non pecunijs bellicam virtutem (ut Solonem Cræſo Lydorum Regi reſpondiſſe ferunt) experiri oportet: atque (ut eſt apud Ennium) nec cauponantes bellum, ſed belligerantes milites habere debemus. Porrò ſi Romanis contra Barbaros non armis, ſed pecunijs decertandum fuiſſet, quæ æraria, quos theſauros ſic ducta bella non exhauſiſſent? Illi profectò quamdiu viribus, & armis cum hoſtibus vel potentiſſimis dimicarunt, in pecuniarum difficultatem non incidêre: non enim deerant, qui vel inviti, vel volentes pecuniarum eis acervos prolixè ſuggererent. Proinde Regúmne potentiſſimorum divitiæ ſtrenuos, fidoſque milites facient? invenient? convocabunt? At militibus multò facilius eſt, theſauros ampliſſimos reperire, & aſſequi: nam citius theſaurum miles, quàm militẽ theſaurus, inveniet. Credétne aliquis generoſum militẽ non alia de cauſ-

ſa ad bellum proficiſci, quàm lucri, & pecuniarum libidine? Num pleroſq; voluntarios milites extitiſſe oſtendimus? Longè alia eſt rei militaris ſublimitas: longè alij ſunt ad Martem natorum Heroum ſpiritus. Procul hinc procul avaritiæ ſordes: procul congerendæ pecuniẹ cerdonicum, & à celſis animis alienum ſtudium: procul hinc quævis mentis humilitas, atque anguſtia. Quam ubi clarius, quàm in cumulandarum opum inſatiabili cupiditate perſpicias? Procul inquam, procul hinc, inquam, tales humani ingenij labes. Certè quidem ipſa Virtus homini innata, Amor patrius, Principum benevolentia milites ad bellum movet, & abripit. Tum numquid legimus apud Homerum, Vulcani Tripodes ſuapte ſponte in divinum certamen prodijſſe? Atqui pecuniarum penuria ut non minimum cuivis exercitui detrimentum afferre poteſt, ita & maximum commodum: ideoque pecuniæ bellorum nervi à plurimis appellantur. *Cicero Philippica. 5.* In eorum ſententiam diſceſſionem non facio: reclamo potius graviter. Nam ſi ea omnia, quorum raritas detrimentum afferre poteſt, nervorum nomine appellanda ſunt, amabo te, quot futuros bellorum nervos putas? Quid de omni armorum genere? quid de pulvere noſtro tormentario? quid de annona? quid de militari jure

re pronunciabis? At verò si ut Oeconomo viro pecuniæ sunt instrumenta ad possessiones acquirendas, ita & Imperatori ad consequendam victoriam, nervos etiam tum justè appellare non poteris. Nimirum Medici nervos, cùm ex ipsis totum conficiatur, partem corporis esse ajunt: sed instrumenta, ut pars corporis non sunt, etiam nervi propriè, ac sine paralogismo vocari nequeunt. Neque item milites (si rectè nobis loquendum est) nervi bellorum dicentur. Attamen ut cæteris in rebus, ita & in bellis duo quædam instrumentorum genera esse oportet: alia quidem animata, alia verò inanimata. Animatæ parti Milites: inanimatæ pecunias assignamus. Atque quò animantia omnia inanimatis præstantiora sunt, eo milites pecuniis præponendos statuo. Et cùm illi sint totius robur exercitus, nec non bellorum pars præcipua, bellorum nervos citra invidiam illos appellare possumus: non tamen post eos secundum locum obtinere pecunias facilè negaturi.

CAPUT I.

Nuptiæ militum.

ABSONUM fortasse videretur, in ea Republica leges ponere, in qua nulli sunt, qui vel imperent, vel quibus imperetur. Atq;

ideò Legislator inaniter conatur civitatem legibus ornare, in qua nulli ſunt Incolæ, nihilque præter mœnia, & parietes reperias. Primùm igitur civitatem conſtitui, deinde inhabitari, denique amplificari oportet. Cui poſtremo gradui ſolus nuptiarum conventus ſatisfacere poteſt. Quare in hac noſtra militari Republica primùm nuptiales leges ponere decrevimus, tum ut multis jam dotibus illuſtrata multò magis augeatur, tum ut milites generis ſui æternitatem, quam nemo probus non deſiderat, feliciter aſſequantur. Nam memoriam hominum quàm citiſſimè perituram exiſtimo, niſi illi per ſobolis propagationem ab oblivionis injuria ſe vindicent. Nepotes enim ſi filios generent, itemque Pronepotes, quantum progreſſum nominis tui futurum putas? Quando moriturum nomen illius cenſes, cujus memoria per multos filios in æternitatem omnem ſe diffundat? Eam ob rem cùm militiam noſtram tam bellè cultam, & armatam immortalitate privari, graviter dolendum ducerem, hîc à militum nuptiis incepimus. Neq; immeritò id feciſſe videbimur, cùm ij, qui apud Græcos primi fabulati ſunt, ac veram Philoſophiam ſuis commentis adumbrarunt, Martem Veneri conjunxerint, id unum ſcilicet clara velut voce viris militaribus ſuadentes, ut, & ſi præcipuè in Martem incumbant, Venerem

nerem tamen ne repudient, & nuptiis implicari se facilè patiantur. Profectò laboris, & honestę voluptatis suas inter se vicissitudines esse volumus: non enim debent strenui milites in castris inter tot labores, & pericula voluptatē penitus excludere, quæ velut quoddam est condimentum ad absorbendam militiæ molestiam, aliâs vix devorandam. Antiochus in Chalcidem profectus quinquagesimum jam agens annum, etsi magna bellorum mole premeretur, nuptias tamen cum Eubia Virgine solenni more in castris celebravit, *Appianus in Syrio.* Et quidem quemadmodum domus sunt pars vir & uxor, *Aristot. Politicorum 2.* civitasq; rectè constituta in virorum multitudinem, ac mulierum dividi debet: ita & militia. Cujus quidem dum perfectam, pulchramque formam constituimus, duo quædam genera nobis ponenda sunt: in altero dignitas, in altero venustas inerit. Hanc mulieribus, illam verò viris tribuētes, omneis pulchritudinis parteis ita complectimur, ut nulla non ornamenta, quæ sub hominum aspectum cadunt, non congeramus. Amborum prætereà natura ad custodiendā civitatē eadem ferè cēsetur: *Plato lib. 5. de Republ.* hoc solùm dēpto, quòd mulieribus ut imbecillioribus, viris ut robustioribus est utendū. Atq; ideò fieri non potest, ut hæc copula non diutius confirmetur, & in longum cohæreat.

Qua-

Quapropter Theodosius, & Valentinus Imperatores omnibus militibus, à Caligatis ad Protectores usque, permiserunt matrimonia contrahere: *l. A Caligato. C. de nuptiis.* sed id tantùm cum ingenuis mulieribus: ut scilicet servetur in his militaribus nuptiis omnis æqualitas, quærat Nobilis Miles ingenuam, cum qua matrimonio copuletur. Ideoque nonnullis forsitan displicebit humanior illa Justiniani censura, *Nov. 22. de nupt. col. 4. c. sed & captivitatis. 7.* qua noluit captivitatis casu matrimonia distrahi, quamvis Fortunę inæqualitas ęqualitatem in nuptiis manere non permittat: quæ tamen in nuptiis dudum contractis aliquid rationis habere videtur. Verum si in iis æqualitatem quærimus, quo pacto placere potest illa per Justinianum legis Papiæ abrogatio, quæ inter Senatores, & Libertas stare connubia non sinebat? *l. si libertam. 28. C. de Nupt.* Ne tamen Mariti felicitas Uxori sit infortunio, firmum, stabileq; est matrimonium: atq; si inter Senatores ascribatur maritus, non dissolvi, sancitum est. Nos quoq; non facilè dirimi contractum matrimonium volumus. Atqui Justinianus non esse matrimonium dixit, si quis putans liberæ jungi personæ, cùm Liberta contrahat: *d. Nov. 22. c. si verò. 10.* nam cùm bona fides quemquam decipi nō patiatur, tum æqualitas in nuptiis maximè servanda est. Constantinus enim Patroclo

troclo reſcripſit, Decurionibus cum ancillis non poſſe eſſe connubium. *l.3.C.de inceſtis & inutil.nupt.* Cur non igitur illicitas nuptias jure dixerimus, quibus inæqualium perſonarum fit conjunctio, cùm Romulus legem Romanis tulerit, mulierem nuptam, quæ per ſacras leges viro conjuncta eſſet, pecuniarum omnium, ſacrorumq; eſſe ſociam? *Dio. Halicar. libro 2.* Vocabant autem legitima, ſacraq; matrimonia Farracea, à farris communione: nam viro morienti hęres erat uxor, tanquam patri filia, ſi vir ſine Liberis, & inteſtatus decederet. Eſt & ab Antiquis ſcriptum, Fabritij, Scipionis, & M. Curij filias dotis inopia laborantes, ut pro natalibus nuberent, dotem è publico accepiſſe. Decurio autem, qui ancillæ nupſerit, in Inſulam deportari debet: ancilla verò in metallum detrudi. *d.l.3.C.d.t.* Eſt tamen pro hominum qualitate, & nuptiarum longa inæqualitate, vel differentia major, duriorque pœna ſtatuenda. Cujuſmodi Ovinus Tyderius homo Vuallus nobili genere apud Anglos ſecuri percuſſus eſt, quòd poſt mortem Henrici Quinti Regis, Catharinæ viduę nupſiſſet, & ſanguinem ſuum cum Regum ſtirpe nobiliſſima miſcuiſſet, *Polyd. Verg. lib.23. Hiſtor. Anglica.* Legimus tamen Alexandrum Roxanem Oxicratis Perſæ filiam captivam fœminam ſibi matrimonio copulaſſe, atq; diviſo pane, & ab utroq; libato (qui
mos

mos nuptiarum apud Macedones erat) sanctissimum coëuntium pignus effecisse: in quo non servata est matrimoniorum æqualitas. *Qu. Curtius libro 8. & 10.* Accedit Etheldredus Anglorum Rex, qui ex Ethelgina fœmina obscuro genere orta Edmundum genuit: qui regno succedens, patri gloriam, & matri nobilitatem peperit. *Polyd. Verg lib. 7. histo. Angli.* Adhęc meminisse libet Libussę Croci Secundi Bohœmorum Ducis filiæ: quæ, cùm aliquot annos paternum Imperium rexisset, tandē jussu populi coacta fuit nubere. *Æneas Sylvius cap. 6. hist. Bohemo.* Itaque equum album stratum in campos latè patentes adduci jussit, & illic liberum, effrenemq; dimitti: illum sibi in virum, & populo in Principem deposcens, coràm quo equus substiterit. Cui dum assentiretur populus, equus dimissus decem millia passuum percurrit: postremò ad flumen Bielum coràm Aratore nomine Primislao constitit: tum Proceres, populusque sequuti, ubi stantem equum, & agricolæ blandientem viderunt, Principem eum salutavere, ac solutis bobus abduxerunt, Libussæ virum, & Bohœmiæ Principem statuentes: qui etsi agrestis, regno tamen se indignum non putavit. Quod ut verum credamus, fidem faciunt lignei Calcei, quos ille ab agris asportaverat, longo pòst tempore in templo Vissegradensi asservati, atq; ante Reges coronandos

dos per Sacerdotes templi deferri consueti ob id tantùm, ut genus suum agnoscant. Similiter Frotho Danorum Rex, devictis Ruthenis, legem imposuit, ne quis mulierem nisi Emptitiam duceret: venalia quidem cōnubia plus stabilitatis habitura censebat, quòd pretio dato firmarentur. *Saxo histor. Dano. lib. 5.* Veruntamen cum Jurisconsultis in his nostrorum militum nuptiis omnem æqualitatem servari volumus. Proinde cùm aliqua sit in amoribus militia, ac habeat sua castra Cupido, hoc loco nuptiarum formam interserere, non abs re erit. Imperator in professionibus dignioribus, ac militiis voluit, si modò dotis, aut ante nuptialis donationis non sit documentum, ut ii, qui legitimè copulari volunt, veniant in quandam orationis domum, fateanturq; sanctissimo illius loci Defensori se copulari velle: qui libellum conficiet, tribus, aut quatuor adhibitis testibus, ac declarabit illa indictione, illo mense, illo die mēsis, illo Imperii anno, illo Consule, venisse apud eum in illam orationis domum, illum, & illam, & alterum alteri conjunctos esse. Huic libello subscribent loci Defensor, & tres testes: neq; aliter videbantur posse nuptiali affectu coire, quàm observata ejusmodi solēnitate. *Nov. 74. quib. mod. natural. c 4. §. 1.* A qua tamē Imp. caligatos milites, & armatos exclusit, utpote qui bellis studiosè, ac jugiter intē-
dentes,

dentes, civiles caussas, formasque ignorare censentur. *d. Novell. 74. §. Quisquis. vers. Sed neque.* His itaq; conceditur, ex non scripto convenire, & matrimonia celebrare, filios gignere legitimos, qui patres concomitentur, & adjuvent: quod speciatim armatis militibus concessum est. Vulgaris item quæstio agitata est, possintné uxores, maritis in armorum expeditione impeditis, nuptias iterare? De quo Constantinus ad Dalmatium scripserat, *l. Uxor, C. De repudiis.* uxori post annos quatuor permitti ad secunda nuptiarum vota convolare, si nullum salutis, sanitatísve ejus potuit indicium habere. Illa tamen prius militiæ Principi libellum offerre debebat, quo animi sui motus patefierent: atq; his præmissis, nullum damnum doti accedebat: non tamen antenuptialem donationem lucrabatur. Veruntamen cùm præmatura videretur ea constitutio, cumq; bellicis in negotiis occupato uxorem auferre non minor pœna sit, quàm ab hostibus capi, Justinianus Imperator statuit, *Authent. Hodie. C. eod. Novella constit. 117. §. Quod autem. 11.* mulierem, quantiscunq; annis maritus in expeditione remanserit, sustinere debere, etiamsi neque literas, neque responsum aliquod acceperit. Quæ si mortuũ audierit, non prius nubat, quàm interrogato eo, sub quo militabat, si verè mortuus est. Quæ res ubi in actis deposita erit, post annũ nube-

nubere poteſt: aliter decennij tempus expectandum eſt, antequàm nubere poſſit. Inſuper legis Juliæ, & Papiæ caput unum eſt, *l. fin. de Divort.* divortij faciendi poteſtas Libertæ, quæ Patrono nupta eſt, ne eſto: & quamdiu Patronus eam uxorem eſſe volet, & uxor eſſe velle debet. Quid, ſi ab hoſtibus Patronus captus eſſe proponatur? poteritne nubere ſimiliter, ac ſi mortuus eſſet? In hoc probatur Juliani ſententia, *l. In eo iure. §. Si ab hoſtibus: ff. De ritu nupt.* non habituram connubium: putat enim durare matrimonium, etiam in captivitate, propter Patroni reverentiam: ſi tamen in aliam ſervitutem Patronus deducatur, diſſolutum erit matrimonium. Hîc verò diligenter animadvertendum eſt, neque iſta levi pede percurrenda ſunt. Nam Imperatorio jure per captivitatem non diſſolvitur matrimonium: quo jure & nos utimur, ut ſuprà dictum eſt. Triphoninus tamẽ Juriſconſultus voluit captivi uxorem, tametſi maximè velit, & in domo ejus ſit, prorſus non in matrimonio eſſe: eo enim caſu, nupta eſſe deſinit: *l. In bello. §. Sed captivi 4. ff de Cap. & poſtli.* quod & Paulo viſum eſt. *l. Si quis 56. ff. ſolut. matrim.* Quæ ut cum Imperatoriis reſcriptis belliſſimè conveniant, facit Juliani ſententia, *l. Vxores. ff. de Divor.* uxores ſcilicet eorum, qui in hoſtium poteſtatem pervenerunt, videri nuptarum locum retinere eo ſolo, quòd alii temerè

merè nubere nõ possunt. Quod ita definiendum est: donec constat, maritum in captivitate constitutum vivere, nullam habere licentiam uxores eorum ad aliud migrandi matrimonium. Sin autẽ in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus sit: tunc si quinquennium à tempore captivitatis excesserit, licentiam habebat mulier ad alias migrandi nuptias: quod, ut diximus, per Justinianum ad decennium redactum est. Idem jus & in marito degente in civitate, & uxore captiva observatur. Quod si ab hostibus redierint, notum est omnibus, consensu redintegrari matrimonium. *l. Cùm duæ. §. 1. ff. De Capti. & postlim.* Quæret aliquis, quomodo contrahet nuptias filius in potestate patris existens, patre apud hostes captivo? Jurisconsulti uxorem ducere posse censent, quamvis pater consentire nuptiis non possit, neque utiq; dissentire. *d. l. In bello. §. medio. 3. Eod.* Ulpianus libro trigesimo quinto ad Sabinũ triennium vult expectari. *l. Si nepos. § Is cuius pater. ff de Ritu nup.* Julianus verò *l. si filius 11. ff. Eo.* (quæ sentẽtia rectior videtur) ante triennium captivitatis, vel absentiæ patris, uxorem ducere posse, ac rectè nuptias contrahi asserit, dum modò eam ducat uxorem, cujus conditionem certum sit patrem non repudiaturum. Deniq; si quis Præfectus Cohortis, vel Equitum, aut Tribunus contra edictũ

Pro-

Provinciæ in ea duxerit uxorem, matrimonium nullum erit, cùm ratio Potentatus nuptias prohibeat: *l. Præfectus. ibidem.* si tamen in sua Patria, nativoq; solo militaverit, cessabit ratio, atq; uxorem ducet: quod prudentissimi Pauli Responsum est, *l. Eos 65. ff. eo: ti.* & Gordianus Imperator approbavit. *l. Etsi. 6. C. de nuptiis.* In summa, hoc exigit nuptiarum solennitas, ut cum mutuo personarum consensu, sit & personarum æqualitas, paresq; jungantur paribus, ut honorum ita & ætatum sit eadem proportio. Si tamen ætate pares non existant, alter saltem longo intervallo alterum non præcedat: ita erunt lætiores Hymenæi, gignenturq; filij & robustiores, & ad omne militiæ genus magis expediti. Consulimus itaq; militibus, ut exemplo Alexandri Priami filij aveant & esse, & nominari Jovis Generi, præstantioremq; eum honorem putent, quàm Asiæ dominari vel præesse. *Isocrates in Helena.* Nullæ enim tam eximiæ Liberis aut comparari, aut relinqui possunt facultates, quàm ut tum à Patre, tum à Matre Jovis proles esse cognoscantur. Omnia quidem Fortunæ bona pereunt: at Generis claritas perpetua, æternaq; habetur.

CAPUT II.

Uxores Militum.

ARBITRABITUR forsan aliquis, Militum Uxores in exercitu esse non debe-

re, cùm indecens videatur, illas castra movere, ordines struere, arma tractare, inter armorum conflictus educari. Ego autem in aciem educi, ac militarem artem intelligere, vel hoc ipso necessarium existimavi, ut, dum in militiam viri omnes profecti sunt, interim possint civitatem defendere: ac, si hostium multitudo agros invaserit, illis resistere, & arma, & gladios sumere pro Republica Est enim (mea sententia) grave, & Reipublicæ perniciosum, mulieres ita educari, ut ne audeant quidem pro Liberis, avium more, contra bestias, vel Barbaros pugnare, ad aras, templaque confugientes. Atque ideò non placent Spartanæ mulieres, quæ in urbibus mollissimo parietum cultu umbris occulebantur. *Cicero Tuscul lib. 2.* Atqui jucundissimum est, videre Lacænas virgines, quibus magis Palæstra, Sol, pulvis, labor, ac militia in studio est, quàm fertilitas barbara. Fuit & pulchrum, in Ponto videre innumera mulierum millia: eæ Sauromatides erant, quibus non equorum modò, sed & armorum æqualis cum viris cura erat, & exercitatio. *Plato lib. 7. de Legib.* Cur non igitur mulieres, ac viri, si fieri potest, ijsdem studijs incumbere poterunt? Ita namq; fiet civitas dupla pro dimidia: quod non mediocre est commodum. Nolo prætermittere Amazones, quarum Marpesia, & Lampedo agmine in duas

parteis

parteis diviso vicissim curam belli, & domus custodiam sortiebantur. Non Penthesilæam, cujus in Trojano bello præclarissima gesta memorantur. *Iustinus lib. 2.* Non Talestrim Reginam, quæ tercentum ancillis comitata Regem Alexandrum invisit, duas lanceas dextra præferens, dignamque se jactitans, è qua Alexander Liberos regni hæredes susciperet. *Q. Curtius libro 6.* Non Semiramidem Assyriorum Reginam: non Tarinam Sacarum Dominam, bellorum appetentem, audaciaq;, & rebus gestis nobilissimam. *Dio. Sicu. lib. 3.* Ea namque Sacarum Regio mulieres robustas habet; quæ viros appetunt præsertim bellorum gloria illustreis. Quid Joannam Aurelianensem Virginem referam; quæ non solùm Aurelios obsidione liberavit, sed & Carolum in regnum restituit, profligatis ad unum Anglis? Quæ res mehercule, si fidem non facerent historiæ, incredibiles viderentur. *Polyd. Verg libro 23. Angli. histo.* Quid de Valasca puella, quæ Bohœmorum regnum cum armata puellarum manu occupavit, imperium virorum detrectans: ita, ut cuiq; virorum hostem, eundemque commensalem domi habere formidabile fuerit, quæ toto septennio principatum Bohœmiæ tenuit, ac pluribus præliis viros superavit? *Æneas Sylvius cap. 7. & 8. histor. Bohœm.* Enimverò hîc id unum ago, ne cuiquam indecens videatur,

 uxo-

uxores à militibus in prælia duci, cùm nonnullas sua sponte in certamen, ac expeditiones profectas cōstet. Ac ne cui mirum videatur, extant Imperatorum rescripta, quibus eam ob caussam tantùm privilegia mulieribus concedantur. Nam Diocletianus, & Maximianus sanxerunt, *l. 2. C de Vxo. mili.* mulieri, quæ cum marito fuit in expeditione, non officere longi temporis præscriptionem: hoc scilicet modo: si domus mulieris, quam suam esse probaverit, illa absente sit vendita, refuso pretio eam recipiet. Facit ad hæc Alexandri rescriptum ad Secundinam, *l. 1. ibidem.* quo mulieribus, quæ cum maritis absunt caussa Reipublicæ, in actionibus temporalibus, si exclusæ sunt, subveniri solet: quod familiaribus militum non conceditur, cùm ex caussa voluntaria absint: uxores verò necessaria. Accedit & aliud rescriptum, *l. Siquidem. 5. C. solut. matri.* fratrem quasi hæredem uxoris meæ, quæ apud hostes vivit, dotem repetere non posse: si verò diem functa est, & hæreditatem vindicare poterit, & dotis repetitio ei jure competet. Quo uno quid quæso clarius est, quàm militum uxores in prælium, atq; medios hostes prodiisse, & in servitutem captivitatis casu venisse? Quapropter ubi circa militū uxores malè provisum est, ibi putandum est partem mediam militiæ neglectam esse. Harū exempla cuilibet historias legenti deesse

deesse non possunt: Et hîc offerunt se nobis Cimbricæ mulieres, quibus cum Romanis non minor pugna, quàm cum viris fuit, cùm objectis undiq; plaustris, atq; carpentis altè desuper quasi è turribus lanceis, contisq; pugnarent: quarum plus speciosa mors fuit, quàm pugna. *Flo. libr. 9. Epito. Livij.* Nam cùm missa ad Marium legatione libertatem, ac sacerdotium non impetrassent, suffocatis, elisisq; passim infantibus aut mutuis concidêre vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus, jugisq; plaustrorum pependerunt. Fuisse autem hunc Cimbrorum morem Scriptores omnes commemorant, *Strabo lib. 7. Geograph.* ut eorū uxoribus in militandi societate conjunctis cōseqnentes nonnullæ divinationis peritæ adhærerēt, quibus canus capillus erat, alba vestis lintea è carbaso subter tunicā fibulis annexa, ahenis cinctę zonis, pedes nudæ, Captivis per castra strictis occurrebāt ensibus, quos sternētes humi ad æreū pertrahebant craterem viginti amphorarum capacē: habebant & pulpitū, quo velociter ascenso tollentes in sublime Captivum super lebete jugulabant: tum profuso in craterem sanguine, cùm inde stillaret, vaticinium edebant. Aliæ verò, scisso ventre, intestina speculabantur, suis victoriam acclamantes. In ipsis quoq: certaminibus extētas ad carrorum velamina pelles tantis pulsabāt

ictibus, ut ingenti cum horrore fragor efficeretur. Sequens non minus illustre est exemplum. Cùm Pyrrhus Spartam obsideret, decrevissentque Lacedæmonii, fœminas omneis Cretam mittere, illæ contradixerunt, atq; Archidamia cum gladio in Senatum venit, viris iracundè obijciens, non vivendum fœminis, Sparta eversa. Ibi tum tertiam fossæ partem fecerunt, cujus latitudo sex cubitorum erat, profunditas quatuor, longitudo sesquistadii: & postridiè, cùm hostes irruerent, ipsæ arma viris, telaq; subministrabant, ac pugnare hortabantur, quòd dulce quidem esset in oculis Patriæ vincere: dulce item in manibus Matrum, ac Uxorum interire. Chelidonis autē seorsum ab aliis laqueū paraverat, ne urbe capta in potestatem Cleonymi viva perveniret. *Plutarch. in vita Pyrrhi.* Quid item exemplum mox subjungendum? num insigne? num omni memoria celebratum? *Hadria. Barlandus histo. de Ducib. Venet.* Cùm Turca Lemnum insulam subita vi adortus esset, & Coccinum oppidum prima irruptione conaretur capere, puella Lemnia Marulla nomine Patrem pro mœnibus occisum intuita, scuto, & ense jacentis abrepto, hostes irrumpere volentes tamdiu sustinuit, quoad à suis adjuta illos ad naves usq; repulisset. Ob quam rem Antonius Lauretanus, cui maris imperium Veneti commiserant, magna

magna eam pecunia donavit, & optionem fecit, quem maritum vellet, dote è publico numerata accipiendi: illa tum respondit, se non prius nupturam, quàm planè exploratum habeat qualis ille sit futurus maritus. Quid Britannos solitos fœminarum ductu bellare, & conjuges, ut testes victoriæ, secum trahere dicam? *Cor. Tacitus libro 14.* Quid Germanos bello Gallico omnē aciem suam rhedis, & carris circūdedisse, ac eo mulieres imposuisse, quæ passis manibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent? *Cæsar lib. 1. belli Galli.* Quid Scotorum Regem Caratarum in Ostorium Scapulam à Claudio Cæsare Proprætorem in Britanniā missum viriliter dimicantem mulieres, ut totius belli exitum viderent, in utroq; exercitus latere locavisse, quæ ad pugnam magnis clamoribus excitarent, lapides jacerent in hostes, jugularent dejectos? *Hect. Boeth. lib. 3. hist. Scoto.* Num Galdus Scotorum Rex mulieres etiam contra Romanos præliari voluit, quæ omni viro ferociores extitere, ac victoriam consequutæ sunt? *Idem lib. 4.* Non apud Danos extitere fœminæ, quæ omne tempus ad excolendam militiam conferebant? corpora laboribus durare solebant? sanguinem, non oscula delibantes? armorum potius, quàm amorum, officia consectantes? *Saxo. Histor. Danor. lib. 7.* Numquid

M 5 Epia-

Epianaxa Syennensis Cilicum Regis Uxor ad Cyri exercitum venit, & quatuor mensiũ mercede militibus exsoluta, Dux ingenua in militiam eum sequuta est? *Xenophon, libro 1. de Cyr. mino. exped.* Maurusij item hunc morem observant, ut fœminas cum pueris ducant in exercitu, ad vallum, tuguriaq; facienda, equos diligenter curandos, Camelis pabulũ subministrandum, & polienda arma. *Procopius lib. 4. belli Vandal.* Porrò cùm Selimus Turcarum Imperator Ismaëlem Sophim, Persasque juxta Taurium fudisset, inter cadavera interfectorum nonnullæ Persarum uxores repertæ sunt, quæ arma, ac virorum supellectilem ferentes in quemcunq; Fortunę eventum sequutæ erant: quas Selimus summo cum honore sepeliri jussit. *Pau. Iovius De reb. Turci.* Hîc tamen cave putes, me mulieribus legem velle præscribere: etenim cùm Lycurgus illas deducere conatus esset ad leges, ac illæ repugnarent, in totum abstinuit. *Arist. Polit. 2.* Ego tantùm, quid de illis in jure cautum sit, referre institui. Si quis eam, quæ ab hostibus redempta est, eo animo secum habuerit, ut ex ea Liberos susciperet, posteà ex se natum cum matre manumiserit, remissum matri vinculum pignoris intelligitur, neque ignorantia patris ingenuam eam non credentis statui eorum officere potest. *l. Si quis ingenuam. 21. ff. de Capti. & Postli. rever.* Satis est

eſt enim ad priſtinum ſtatum recipiendum vel pretium ſolui, veljudicio qualicunq; remitti. *l. Liber captus. 17. C. de Poſtli. & redemp. ab ho.* Hæc tamen de uxoribus, non ſcortis, aut concubinis intelligo: quas rejicere, ac omni militum cœtu abigere oportet, exemplo Scipionis Africani, qui, cùm Numantiam obſideret, corruptum exercitum in generoſam militiæ formam revocavit, & duo millia ſcortorum ex caſtris ejecit. *Florus Epito. 57.* Franciſcus Rex Chriſtianiſſimus non in totum voluit abigere, ſed pedibus ſequi militiam, ut curandæ ſupellectili dent operam, neq; plus æquo luxui ſe dedat miles: ac ideo illas obequitare prohibuit, ne luculentam, & ſuperfluam ſarcinam pro ſua muliebri aviditate vel habere percupiant, vel colligere, ac ferre nequeant. Veruntamen Aſiatici exercitus conſueverunt in prælium euntes circumductare rhedas mulieribus pulcherrimis plenas, partim uxoribus, partim pellicibus, pugnaciores ſe eſſe rati, ubi adſunt, quæ habent chariſſima. *Xenophon, libro 4. in Pædia Cyri.* Exercitum quoque Darij ſequebantur mater ejus Syſigambis, & turba fœminarum: item regiæ pellices trecentæ ſexaginta, quando pugnavit contra Alexandrum: *Quin. Curtius, libro 3.* quem numerum pellicum ipſe Alexander poſteà etiam habuiſſe memoratur. *Ibidem li. 6.* Sed de his hactenus. Debent auté tam ſan-

ctæ,

cta, castaq; esse militum connubia, ut ne minima quidem suspitio cadere possit. Nam & jure cautum est, mulierem, in quam turpis suspitio iniici potest, ne ex testamento quidem militis aliquid capere posse: quod Hadrianus etiam rescripsit. *l. Miles. 41. § Mulier. ff. de testa mili.* Ea quoq;, quæ stupro est deformata, non admittitur ad testamentum jure militiæ factum: *l. Mulierem, 14. ff. de ijs, quib. ut indig.* illamq; miles omni tempore accusare potest si per occupationes militareis non licuerit prius id facere. *l. si quondam. 15. C. ad l. Iul. De adulte.* Neq; tamen temerè de uxoribus suspicari debemus, aut planè quicquam in animum nostrum inducere, quod ipso Sole non sit clarius Ac dum milites nostri in omneis voluptates, adeoque ipsam libidinem sunt projectiores, non videntur ullo pacto melius ad Virtutem, & continentiam revocari posse, quàm si secum Uxores in bellicam expeditionem duxerint: quæ si Marte sunt progenitæ, ut feruntur esse Amazones, *Isocrates in Panathenaico* robur exercitus, ac vires augebunt, Maritosq; non minus, quàm Antiopa Hippolytæ filia Theseum, quem unicè amabat, Athenas usq; persequuta est, & deperibunt, & sequentur. At verò Aegyptiæ mulieres, ut se domi continerent, patrio more calceamentis non utebantur. *Plutar. in præcept. connubial.* Veruntamen si uxori cum viro

viven-

vivendũ eſt, ſi uxor viri pars eſt dimidia, quo modo, quæſo, mulier domi relicta vitam agere poterit? quónam pacto maritus ſine uxore in exercitu totus erit, atq; integer, dimidiam ſui partem non habens? Sanè quemadmodum vincula, & nodi mutuum robur viciſſim capiunt, ita etiam uxore reciprocam marito benevolentiam præſtante, vitæ ſocietas per utrumq; conſervatur. Etenim, dùm Natura illorum corpora miſcuit, quicquid ex utroq; decerpitur, utriſq; ita cõmune eſſe debet, ut dijudicare nequeamus, propriúmne ſit an alienum. Sin autem longo inter ſe diſtẽt intervallo, hæc cõmunitas perfacilè diſſolvetur: ſine qua nullũ omnino matrimoniũ conſtare poſſe cenſemus. Quid enim eſt facilius, quàm ab eo amore deſciſcere qui continua frequentatione partus erat, ſi diutius tali frequentia, animorumq; mutua conſociatione careamus? Nam quo quidque modo colligatũ eſt, eodẽ diſſolvatur oportet. Eam ob rem, nemini abſurdum videri debet, ſi tum ob uſus neceſſarios, tum ne ab ea matrimonij communitate aliquantum recedatur, Milites in exercitum Uxores ſuas deduxerint, vitæq;, ac necis eas ſocias habuerint.

CAP.

Caput III.

Filij Militum.

ITaque non minimum commodum militiæ nostræ afferri intelligimus, si mulieres cum viris suis, ac ipsos deniq; filios cogamus in exercitum. Etenim in hac nostra militia plurimùm referre arbitramur, quibus artibus à teneris annis juvenes imbuamus, ad quid assuescant, ac in quem scopum animi sui sagittas dirigant. Ideoq; non parũ prodesse existimamus, si milites filios suos ita educarint atq; induratos reddiderint, ut semper illis sint Castra pro civitate, Sol pro umbra, Ensis, & Mucro pro supellectile, ac ipsa Militia loco ocij illis videatur. Nam veluti aliorum Opificum filij patrum suorum artes, industriam, eruditionemq; prospiciunt, ita & militum filiis patrum gesta ob oculos ponenda sunt, ad quæ manibus, pedibusq; proximè nitantur accedere. Si quis autem non sibi solùm, sed & liberis plus satis timens, revocet in dubium pericula omnia, quæ bellorum casu eveniunt, timeatque, ne, si res malè cesserint, parentes cum liberis vita simul priventur, civitasq; tam multis hominibus orbata rursus ad prælium exurgere nequeat, videat quæso, neminem ita se comparare posse, ut nullum omnino

subeat

ſubeat periculum: cogitet aliquando veniendum eſſe in diſcrimen ei, qui egregium, & memorabile aliquid conatur. Etenim qui aliquid eſſe volunt, ijs permulta brevibus Gyaris, vel carcere digna audenda ſunt. Ea namq; eſt ad ſummos honores certiſſima ſemita, inauditum aliquid, ac grave audere: quam tamen vir probus tam ſedulò declinaturus eſt, ut in paupere tugurio malit conſeneſcere, quàm illac ad honores, fortunamq; amplam aſcendere. Neq; tamen nefanda bella eſſe dico, ſed militum filios fortiores, prudentioreſq; fore contendo, ſi patres tanquam Pędagogos ſequantur in pręlium, atq; adeo à primis annis militari arte imbuantur. Ideoq; licet Plato pueros omni beſtia intractabiliores eſſe tradat, *Plato, lib. 7. de Legib.* vera tamen eſt Socratis ſententia, adultos jam filios in prælium, mediamq; aciem duci debere: *Plato, lib. 5. de Republica.* Sic narrant Hiſtoriæ, Boudiceam nobilem fœminam temporibus Neronis, Ceſonio Peto, & Petronio Turpiliano Coſſ. filias ſecum in Britanniam duxiſſe ad prælium. *Corne. Tacitus lib. 14.* Fuit & apud Germanos ea feritas, ut in bellis intereſſent mulieres, quæ telis deficientibus infantes ipſos afflictos in ora militum adverſa mitterent. *Lucius Florus libro 4. capit. 12.* Apud Hungaros ea conſuetudo eſt, ut matres pueris editis mox ferro acutiſſimo faciē ſcindant,

dant, ut antequam lactis nutrimēta capiant, fiant ad ictus, vulneraq; in præliis suscipienda tolerantiores *Luitprand. libro 2 de reb per Euro. gest.* Quo modo enim paternam peritiam assequentur, nisi in aciem sequuti fuerint? At Constantinus, *l. 1. & 2. C. de fili. offic. milit.* filios eorum, qui in bello moriuntur, in paternam vocari militiam voluit, addiditq; nihil referre, sacramentóne teneantur parentes, an militia jam dimissi sint. Nulli enim de patrum gestis certiores debent esse, quàm filij: *l. Ea quæ à patre. 7. C. de rest. mili* neq; etiam temerè in irritum revocare debent, quæ à parentibus gesta prædicabuntur. Nihili existimas patri in ipso conflictu ferre auxilium? Non laudant Poëtæ Aeneam, quòd patrem humeris prælio eripuerit? Non laudandus est, proscriptione per Triumviros Romæ facta post cædem C. Cæsaris, filius, qui Oppium patrem senem licet valdè renitentem, ac nolentem humeris extulit, ac in Siciliam devexit? *Appianus lib. 4. de bel. Ciu.* Filios militum eos intelligo, qui ex milite, & ejus uxore nascuntur, non adoptatos: *l. Filium. ff. de ijs, qui sui, vel alie. jur.* quamvis in Imperio Romanorum semper melior fuerit filiorum adoptio, quàm generatio. *Alber Kranz Saxo. lib. 6.* Si autem uxor cum marito ab hostibus capta fuerit, & ibidem ex marito puerū sit enixa, si revertantur, justi sunt & parentes, & liberi, filius-

filiusque in potestate patris. Quòd si filius cum matre sola revertatur, quasi sine marito natus, Spurius habebitur, *l. Divus ff. de Cap. & postli.* Sed quæso, quomodo fieri potest, ut in matrimonio natus Spurius habeatur? Nam cùm hodiè spurij omni prorsus beneficio excludantur, non potest sanè istud non durum videri. *Authen. licet. C. de natur. libe. gl. ca. cùm multa. 15. q. 8.* Spurios autem intelligo, qui patrẽ demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum habent quem habere non licet, *l. Vulgò 23. ff. de Statu hominum.* Natus itaq; apud hostes, cujus pater ibidem est mortuus, spurius habetur: nam fictione legis Corneliæ, de qua inferius dicemus, pater, qui non rediit, hora captivitatis censetur mortuus: ideo quantum attinet ad jus civile, pro nullo habetur eo tempore, quo natus illi est filius: *l. Quod attinet. ff. de regu. juris.* sicq; quasi sine marito natus spurius habebitur. Itaq; satis convenit rationi, & Juri civili Imperatorum Rescriptum ad Ovinium Tertyllum, *l. 1. C de postlimi.* Sarmatinam ex duobus captivis natam patris originem ita sequi, si ambo parentes in civitatem rediissent: neq; tamen jure proprio postliminium habere potest, quia capta non est: tametsi parentum restitutio reddat patri filiam. Et si ejus pater ab hostibus interfectus est, filia matris duntaxat conditionem, quæ eam reduxit, sequetur, admitte-

turque ad hæreditatem ex Senatuſconſulto, velut ſpurius, ac vulgò quæſitus filius: *l. 1. §. Sed & Vulgo 2. ff. ad Senatuſc. Tertyl.* non enim minus apud hoſtes nato, quàm ab hoſtibus capto ſuccurrendum eſt. *l. Ab hoſtibus. 15. §. non minus. ff. ex quibus cauſ. ma.* Sed tu mirari non debes, in matrimonio natos ſpurios vocari, cùm Antoninus Imperator Hoſtiliæ reſcripſerit, *l. 3. C. Soluto matri.* ſi ſtatum ignorans Liberum in matrimonium duxerat, qui poſteà Servus eſt judicatus, filij ut ex libera nati, incerto tamen patre ſpurij, ingenui intelliguntur: nam, ut dixi, quantum attinet ad jus civile, Servi pro nullis habentur. Redditus igitur civitati filius jus poſtliminij habebit: cujus duæ erunt ſpecies, ut ſcilicet pater eum recipiat, ipſe etiam jus ſuum. *l. Cùm duæ. ff. de Captivis, & poſtlim.* Verùm de poſtliminio latius infrà dicemus. Demum filiusfamiliâs etſi militaverit, in patris tamen poteſtate remanet: *Inſtitut. quibus modis jus pa. pot. §. filiusfamilias.* & ſi ab hoſtibus pater captus fuerit, quamvis ſervus hoſtium fiat, pendet tamen jus Liberorum propter jus poſtliminij: *§. Si ab hoſtibus. Inſtitut. Eod. t.* quia qui ab hoſtibus capti ſunt, ſi reverſi fuerint, priſtina omnia jura recipiunt, cùm & Arrogati, qui poſtliminio redeunt, in poteſtatem Arrogatoris revertantur. *l. Si paterfamil. 15. in pr. ff. de adopt.* Eſt quoque lex à Romulo lata

ta, ut venditus à patre filius, si liber fiat, in potestatem patris iterum redeat: idemque si secundò fuerit manumissus: sed post tertiam auctionem liber sit à patre. *Dionysius Halicarn. libro. 2.* Veruntamen in multis articulis juris milites filijfamiliâs non dissimiles censentur ijs, qui sui juris sunt, veluti si creditam pecuniam acceperint, & si sine mandato, vel consensu, vel voluntate, vel ratihabitione patris, stare tamen oportebit contractum: nam omnis miles non creditur in aliud quicquam pecuniam vel accipere, vel expendere, quàm in caussas castrenses: *l. fin. C. Ad Senatusconsul. Maced.* cessatque Senatusconsultum Macedonianum, si castrense habet peculium: nam in eo vice patrumfamiliâs funguntur. *l. 1. in fi & l. 2. ff. eod. tit.* Sunt tamen, ut dixi, milites in patria potestate constituti: neq; patris tantùm, sed & avi: quod Imperatores Diocletianus, & Maximianus Duplianæ rescripserunt. *l. Si maritus 7. C. de pat. potest.* Sit itaque perpetua regula, milites in patria potestate manere, sed tamē castrense peculium proprium habere, in quo nullum jus patri. *l. Erat. C. de Castren. pec. libro 12.* Præthereà patres militum à filijs nonnulla commoda recipiunt. Siquidem licet filius ab hostibus captus, ac necdum reversus ad excusationem munerum personalium patri prodesse nō possit. *l. 2. C. de ijs qui nume. li. exc. li. 10.*

tamen si in bello perierit, aliquid prodesse posse censuit Modestinus, *l. fin. in pr. ff. de excusa mune.* solos eos intelligo, qui in acie sunt interempti, non qui aliter caussa belli, aut in obsidione Parentibus sunt ablati. *l. Bello. 18. ff. de excusa. tuto.* Erat etiam lex Spartiatis, eum, qui treis filios genuerat, immunem esse à custodia: qui verò quatuor, immunem esse ab omnibus muneribus. *Arist. Polit. 2.* Postremò hîc admonendi sunt Parentes omnes, ac Veterani, quotquot filiorum diligentem curam gerunt, ut Primogenitos in suum locum velut hæreditario jure substituant: alterum amore patriæ ducti civitati, & Reipublicæ addicant: cæteros, in quam militiam elegerint, mittant. Si autem duos tantùm habent filios, primum Cohorti, deinde civitati debent satisfacere. At si unicus illis sit filius, patriæ dicandus videtur. Hujusmodi est Imperatorũ Arcadij, & Honorij rescriptum ad Primipilarios, qui per Osdröenam regionem militabant. *l. Quicunq; 5. C. de Cohort. & Princ. Corni. lib. 12.* Imbuantur autem à teneris annis militari disciplina, qui futuri sunt egregij milites, ut tandem *secundum Horat. Carm. lib. 3. Od. 2. in pr.*

—— Pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet Eques metuendus hasta.

Cap-

CAPUT IIII.

Tutela Militum.

IN educatione, disciplinaque puerorum opera maximè danda est, ut Tutores prudentes, & idonei illis constituantur. Est enim Orphanorũ maximum, sacratissimumque depositum: quo fit, ut Paterfamiliâs non magis sibi, quàm Liberis providere debeat, ac Liberis Tutores testamento dare. Quod lege duodecim Tabularum Patribus concessum est, si modò Liberi sint in eorum potestate: *l. 1. ff. de testam. tutel.* nam neque miles Tutorem ei, qui in aliena potestate est, dare poterit. *l. Miles. § Nec tutorem 2. ff. de testam. mili.* Qui licet hæreditati suæ, qualem velit, substitutionem facere possit, veruntamen alienum jus patriæ potestatis minuere nequit: *l. cum filiusfamiliâs Eod.* neque ideo Liberis recasuris in potestatem mediæ personæ, veluti Nepotibus, Tutores dare. *l. 2. ff. de testa. tutel.* Si autem Paterfamiliâs miles vel naturæ concesserit intestatus, vel Tutores non conscripserit, Prætor, ac legum Custodes pupillis indigentibus statuere debent, quos ex lege duodecim Tabularum fore legitimos intellexerint. *In pr. tit. ff. de legit. tut.* Jam verò Tutoribus ea regula præscribi debet, ut non minus pupillos diligant, quàm si ab illis es-

ſent geniti: neq; res illorum deterius, quàm ſuas, curent: imò quodam affectu animi melius procurandæ ſunt, & ſumma cũ fide peragenda eſt tutela. *Plato libro* 11. *de legib.* Hoc modo tutelam Carilai Regis Lycurgus exercuiſſe commemoratur. *Ariſt. Polit.* 2. Contrà accepimus P. Ebutij Tutores peſſimè omniũ in tutelæ adminiſtratione ſe geſſiſſe. *Livius, lib.* 9. *Deca.* 4. Nã cùm ſub tutela Duronię matris, & Vitrici T. Sempronij Rutilij educaretur, materq; eſſet viro dedita, & Vitricus ita tutelam gereret, ut rationem reddere, non illi eſſet integrum, nihil ab eis prætermiſſum eſt, quò vel pupillum tollerent, vel obnoxius illis aliquo vinculo fieret: cumq; per Bacchanaliorum corruptelas viam inveniſſent, à Conſulibus pœna digna mulctati ſunt, fueruntq; publico decreto ſublata Bacchanalia SP. Poſthumio Albino, & Q. Martio Philippo Coſſ. Neque enim ambigendum eſt, quin è radice tutoria tyrannis omnis proſilierit, cùm is, qui præeſt, id agere incipit, ut damnum pupillis afferat, & incommoda, nihil reverens vel Prætorum edicta, vel Minorum ætatem. Atq; ea de cauſſa lupus ex homine fieri dictus eſt, juxta id, quod in Arcadia ad Jovis Lycæi templum fieri fabulantur omnes. *Plato, lib.* 9. *de Republ.* Illic ſi quis humana viſcera cum aliarum victimarum viſceribus inciſa fortè guſtaverit, lupus fieri cogitur:

tur: ita & quisquis malè sibi commissa administraverit, injustaq; cæde seipsum cruentarit lupus fit ex homine. Eam ob caussam crediderim, apud Scotos regnante Malcolmo Secundo, consensu Primorum Regni, statutum fuisse, ut cujusq; agri domino decedente hæres sive mas, sive fœmina sub tutela Regis esset, usq; ad alterum, & vigesimum annum: cujus temporis annui proventus fisco penderentur. *Hect. Boethius lib. 11. hist. Scot.* Quo more Francorum Reges Christianissimi utuntur in tota Normanniæ Provincia, si quis nobilis decesserit è vivis, Liberis adhuc minoribus: idq, vulgò guardiam nobilem Regis dicimus. Idem apud Anglos aliquando constitutum est, concessumq; à Primoribus regni Henrico tertio Regi, ut annui proventus minorum ad secundum, & vicesimum annum usq; fisco applicarentur. *Polyd. Vergi. lib. 16. histor. Angl.* Ea quoq; ratione Carolus quintus Francorum Rex legem tulisse videtur, ut Regis filius natu major mortuo patre, si modò decimum quartum annum attigerit, regni administrationem suscipere possit. *Michaël Ritius lib. de Regibus Franco.* Arcadius tamen Imperator Theodosio filio hæredi instituto Isdigertem Persarũ Regem tutorem dedit, mandavitque, ut filio Imperium & Prudentia, & potentia incolume servaret. *Procopius lib. 1. de bel. Persi.* Etenim ante quartum, & vicesimum

annum ratio non ſatis confirmari poſſe videtur, nedum in decimo quarto. Sed cùm non videatur levis culpa, contra juris autoritatem mandatum tutelæ officium detrectare, *l. Tutores 39. §. Tutor datus. ff. de admi. & pericul. tut.* ſpeciali jure conceſſum eſt, *l. Sed & milites. 8. in pr. ff. de excuſ. tutorum.* ut, qui honeſtè compleverunt militiæ tempus, remiſſionem habeant tutelarum adverſus omneis privatos: ſed adverſus filios eorum, qui ejuſdem ſunt ordinis, & omnium, qui olim milites fuerũt, intra annum quidem dimiſſionis remiſſionem habent, poſt annum non habent: ſocietas enim honoris militiæ, fortior videtur privilegio, quod olim milites habuerunt: niſi fortè alias habuerint tutelæ recuſandæ cauſſas. Iſtud privilegium non tantùm militibus conceſſum eſt, ſed uſque ad filios extenditur: non tamen ad nepotes. Præterea Modeſtinus, *d. l. ſed & milites §. Quandoq; 2. Eod.* meminit, multos non complere militiæ tempus, & tamen habere remiſſionem tutelarum: qui enim intra quinque annos militia ſolutus eſt, nullam ſibi vindicare poteſt immunitatem: qui poſt quinq; annos, unius anni: qui poſt octo, biennij: qui poſt duodecim, triennij: qui poſt quindecim, quadriennij: qui poſt viginti, in perpetuum abſolvitur. *d. l. Sed & milites 8. §. Qui autẽ 3. Eod.* Non ſolùm autẽ, qui ad caligatas militias, & reliquas militaverunt,

ſed

ſed & qui qualitercunq; publicæ neceſſitatis populi Romani gratia abſentes fuerunt, anni vacationem habent, ubi reverſi fuerint. *l. Non ſolùm 10. in pr. Eod.* Annus autem continuorum dierum intelligitur, ex quo, quis reverſus eſt: qui ad futuras, novasq; tutelas tantùm datur: nam reverſus tutelam nec dum finitam repetit. Veruntamen non ſolùm Legionarius, ſed & omnis, qui qualitercunque militaverit, licet honeſtè ipſe abſolutus, filiorum tamen tutor creabitur, cùm vel Primipilarii filiorum ſuorum tutores efficiantur. Eſt enim æquiſſimum, & filio militis militem tutorem dari, & filii Primipilarii Primipilarium tutorem eſſe. *l. Sed & milites. 8. §. Veteranus autem. & §. Primipilarij. Eod.* Si tamen, cùm tutelam ſuſcepiſſet, expleto primipilo, rurſus in militares neceſſitates aſſumptus fuerit, deponet tutelæ ſolicitudinem. *d. l. Non ſolùm § qui primipilum. 5. Eod.* At ſingulare eſt, quod Ulpianus retulit, *l. Si Tribunus. 9. Eod.* Tribunum, qui in Cohortibus Prætoriis militaverit, etiam Collegarum filiorum tutela, beneficio Divi Severi, levari: quod conceſſum exiſtimare debemus tum ob Prætoriarum Cohortium utilitatem, tum Tribunorum dignitatem, gravitatem, & excellentiam, ſi Hadriano Imperatori credimus, qui Tribunos non niſi plena barba eligere conſueverat. *Spartia. in vita Hadria.* Hoc deniq; militare privilegium Phi-

lippi Imperatoris reſcripto *l. Militia. C. qui dare Tutor. vel Curat.* ita augetur, ut armati milites, ſi neque legitimi ſint, neque teſtamento dati tutores, etiam ſi velint, fieri non poſſint, cùm ſit incivile, eos, qui in rebus aliorum adminiſtrandis occupari dignoſcuntur, aliorum tutelam ſubire: quod etiam Juſtinianus ſtatuit. *§. Item maior. verſ. qua conſtitutione. Inſtit. de excu. tut.* Si tamen miles errore ductus pupillorum res adminiſtraverit, negociorum geſtorum actione convenietur. Sed voluntaria tutelæ munera privilegiis nihil derogare, ſancitum eſt. *l. Voluntaria. C. de excu. tut.* Præterea ſi tutor ab hoſtibus captus ſit, finita tutela intelligitur, licet recuperari ſperetur: *l. Non quaſi. §. ſi tutor. 5. ff. Rem pupill. ſalvam for.* & fidejuſſores, qui rem pupilli ſalvam fore ſpoponderint, *l. Si pupill. §. 1. ff. de tutel. & ratio. diſtra.* vel ſi quis defenſor exiſtat ejus, qui paratus eſt judiciũ tutelæ ſuſcipere, rectè convenietur. *Inſtitu. de Attilia. tuto. §. ab hoſtibus.* Neq; dubitandum eſt, quin reverſus jure poſtliminij tutelam recipiat. Hîc demum milites admonitos velim, ſi taleis tutores, Pædagogosque reperire contigerit, qualeis milites & effingere contendimus, & deſideramus, nihil erit, cur non perfectæ militiæ rationem aſſequamur. Id quod Alcibiadis exemplo manifeſtum eſſe poteſt, cujus corporis, animiq; dotibus Pericles Xantippi filius, quem

pater

pater illi tutorem reliquerat, summam autoritatem attulisse commemoratur. *Plato in Alci.* Arbitramur enim non minimam bonorum partem esse, à bonis prognatum, talibus moribus deinde curari, educari, institui q;. Qua institutione Periclis, tantis ille virtutibus est imbutus, ut, cùm Phormio adversus Thracas mille Athenienses eduxisset, suis rebus gestis meruerit coronam, panopliamq; à Duce exercitus recipere. *Isocrates in Orat. de iugo.*

Caput V.

Imperatores, Magistri, Tribuni, Præfecti militum.

Dionysiodorus quondam apud Athenas profitebatur, se exercitus ductandi artem tradere posse: *Xenophon lib. 3. Memor.* quod etsi effecisset, nego quemquam Auditorum suorum ea tantùm ratione bonum Imperatorem facere potuisse, cùm ductare exercitum, imperandi pars sit vel minima. Oportet enim non ducere solùm exercitum, sed & præparare, tum quæ ad bellum, tum quæ ad victum sunt necessaria. Adhæc diligentem Imperatorem, patientem, prudẽtem, cautum, liberalem, donandi plus, quàm habendi, amantẽ esse decet. Homerus Agamemnonẽ Pastorem populorũ appellat, quòd salvũ esse exercitum diligenter curaret.

Idem

Idem Regem bonum, militemq́: robuſtum vocat, quòd nunc Imperatoris, nunc militis munia ſedulò ſuſtineret. Antoninus Imperator in pluribus vir multùm iniquus, in hoc tamen lenis habitus eſt, quòd commilitonem, quàm Principem, ſe vocari mallet: *Herod. libr. 4.* ac plerumq; iter pedibus facere, ac ſibi arma portare conſueverat: nonnunquã & ſigna militaria longiſſima aureis ornamentis pergravia, & ne robuſtiſſimis quidem militibus facilia. Theodoſius Imperator nihil gregariis militibꝰ imperabat, quod non ipſe primùm alacri mente conficeret: ita ſtrenui militis munia, & præclari Ducis curas obibat. *Ammia. Marc. lib. 28.* Antiqui ſiquidem ex egregiis militibus Imperatores faciebant: idque maximè poſt adeptas victorias: quo modo Germanicum ab Hiſtoriographis traditum eſt Imperatorem appellatum fuiſſe. Et Tyberius legitur Bleſo conceſſiſſe, ut priſco erga Duces honore, pro confecto bello Imperator à Legionibus ſalutaretur. *Cornel. Tacit. lib. 3.* Erat enim Imperator priſcorum Ducum nomen: *Appianus in proœmi. hiſto.* à quo, qui poſteà Rempublicam ſuo nutu regebat, tanquam Rex, Imperator dicebatur. Milites verò ad hanc uſq; dignitatem productos fuiſſe, argumento eſt Maximini Imperatoris hiſtoria: *Herodia. lib. 4.* qui prius è quodam Thraciæ vico cùm ſemibarbarus homo,

homo, & à pueritia opilio extitiſſet, creſcente ætate ob corporis proceritatem, viribusque equo ſtipendia fecit: poſtremò Fortuna quaſi manu ducente, ac prævia, cùm per omneis militiæ gradus aſcendiſſet, exercituum, Provinciarumque rector evaſit. Deinde ob rei militaris peritiam, Tyronibus omnibus ab Alexandro Mammeæ præfectus eſt, quos ad militarem artem exerceret, & ad pugnam redderet idoneos: is demum in Romanum Imperatorem à militibus electus eſt. Etiā Sylla, allato ei capite Marij, ſuperioris illius Marij cognati, qui cū Papyrio Carbone nondū ſeptimum, & viceſimū annū egreſſus Conſulatū geſſerat, ſalsè admodū dixit, Remigé prius eſſe oportere, quàm ad gubernacula manus admovere. *Appian. lib.1. de bel. civili.* Accedūt Imperatorum Reſcripta, neminem ſuffragio, ſed laboribus, atq; ex ordine numerorum eam dignitatem adipiſci debere. *l. 1, C de Offic. Magiſt. offic.* Is namque gradu cæteros debet antecedere, quem ſtipendia longiora, vel labor prolixior anteire fecerit: *l. 2. Eod. in fin.* ſicut & illi quoque, cùm ad privatam vitam seceſſerint, eum locum obtinere debent ex promotionis tempore: quo provectis prior eſt ſedes, locus decernendi conſpectior, loquendi facultas antiquior, & ſplendor adepti Magiſtratus vetuſtior. *l. 1. & 2. C. de præfectis prætorio lib. 12.* Si verò talem Ducem deſide-

ſideramus, qualem Plato *lib.6.de Legibus.* in ſua Republica conſtituit, per electionem ita fiet. Ad electionem Magiſtri Equitum omnes ſuffragium ferent: Præfectos Ordinum ij ſoli eligent, qui ſcuta ferunt: Tribunos militum Equites omnes: cæteros Præfectos ipſi Duces exercitus ſibi conſtituent. Equites autem præſentibus Peditibus ſuffragia dabunt, duoque è majori ſuffragiorum numero eligentur, qui omnibus Equitibus præerunt. Duces quoq; eum in Imperatorem aſciſcere debent, cujus labor in negocijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo, communi omnium voce collaudetur. Quæ ſi cui cumulatè acceſſerint, is in Imperatorem eligendus eſt, etiam ſi neq; Senator eſſet, neque exemplo Maximi Imperatoris, Senatus interceſſiſſet autoritas. *Eutropius libr. 9. de geſt. Roman.* Probabitur itaque mihi ille, qui, ut Miles, probè norit hoſtem ferire, præſidia agere, hyemem, & æſtatem juxtà pati, humi requieſcere, inopiam ſimul, & laborem tolerare. Videmus enim ſæpenumero, ut, quem imperare, aut exercitum ductare jubemus, is ſibi Imperatorem alium quærat. Porrò comperimus nonnullos, qui, poſtquàm Duces facti ſunt, Majorum hiſtorias, & militaria præcepta legere cœperint præpoſteri homines. Nam gerere, quàm fieri Ducem, tempore

pore poſterius: re, atq; uſu prius eſt. Eam ob rem non poſſum non iſto loco laudare Franciſcum Regem Chriſtianiſſimum, qui Majorum omneis hiſtorias tam probè callet, & ad unguem, ut ne ſyllaba quidem excidat. Atq; ut & Majorum exemplis nomen ſuum præponeret, & immortali æternitate donaret, ad agrum Ticinenſem fortiter dimicans, ac re plus ſatis inclinata è prælio nolens excedere, Vexilliferum Legionis unius Germanicæ confodit: quod & Germanorum teſtantur Hiſtoriæ. *Hadrian. Barlandus in fine hiſt. Brabantiæ.* In quo majori laude dignus meritò cenſetur, quàm Aluredus Anglorum Rex, qui à Danis obſeſſus fuga ſalutem ſibi conciliavit: atque licet indignum Rege exiſtimaret, inimicis non occurrere, militibus tamen, qui fugam ſuadebant, omninò credidit. *Polydo. Verg. libro 5. hiſto. Angl.* Eſt itaq; prudentis Imperatoris, Majorum geſta, & ſtratagemata, quanta poterit, meminiſſe, curareq; ſummopere, ut geſta etiam ſua ad poſteros transferantur, & ſcriptis fiant immortalia. Sic Eduardus Anglorum Rex memoratur, exercitum in Robertum ſecundum Scotorum Regem duxiſſe, habuiſſeque in familia Monachum quendam, cui commiſerat, ut res ſuas geſtas omneis carminibus, quibus pollebat, deſcriberet. *Hector Boeth. lib. 14. hiſtor. Scotorum.* Mahumetes ſecundus Turcarum Impe-

Imperator Antiquorum historias continuè legisse fertur, ac Joannem Mariam Vincentinum Primogeniti sui servum maximis donasse muneribus, quòd victoriam, quam de Usuncassano Persarum Rege reportarat, literis mandasset. *Paulus Iovius libro de reb. Turcicis.* Assumamus igitur in Imperatorem multi stipendii virū, qui hastas, & phaleras, vexillum, aliaque militaria dona: prætereà cicatrices adverso corpore possit ostendere. Adrianus neminem Tribunum nisi plena barba faciebat, aut ejus ætatis, quæ prudentia, & annis robur Tribunatus implere posset: neq; patiebatur, Tribunum à milite quicquam accipere. *Spart. in vita Adriani.* Etenim quantum in bello laudanda sit Liberalitas, fugiendaque Avaritia ei, qui supremum militiæ gradum conatur ascendere, nemo est, qui ambigat: & si satis intelligamus nimis negociosum esse, tum parcere ærario, tum ad bellum se parare. Ideoque jure dolebat Nicomachides, quòd ab Atheniensibus non esset electus Imperator, cùm tot vulneribus in prælio acceptis, modò militis, modò Manipuli, & Legionis Præfectus Reipublicæ profuisset. *Xenophon lib. 3. Memor.* Antisthenes verò in Imperatorem assumptus esset, qui nihil unquam laude dignum, aut memorabile gesserat: quique nihil aliud, quàm pecuniam noverat coacervare. Ego tamē non possum improbare eum

Impe-

Imperatorem, qui & dives ſit, & pecunias norit probè, & ex æquo congerere. Facilius enim, quæ exercitui neceſſaria ſunt, prævidere, &, ſi deſunt, diligentius ſubminiſtrare poterit. Sunt quippe, qui boni Patresfamiliâs extiterunt, futuri etiam boni Imperatores, cùm utriuſque ſint quaſi communia officia. Ea ſcilicet, quæ facienda ſunt, præcipere: ſubditos obedientes reddere: bonos præmiis, malos verò pœnis afficere. Et ſanè bellum gerere illis commune eſt, cùm uterque inimicos habere poſſit. Hîc tandem annotare non pœnitebit, Mauritanos tempore, quo Juſtiniano Imperatori confœderati erant, nullum Præfectũ communi ſtatuto habuiſſe, qui Romanis eſſet contrarius, quive non prius ſigna Magiſtratus à Romanorum Imperatore accepiſſet. *Procop. libr. 2. de bell. Vandal.* Signa hæc erant: Baculus argenteus: ſupraq; auratus: Pileus argenteus non totum obtegens caput, ſed velut Corona Loris circumpendentibus ornatus: veſtis vilis admodum, & alba, varieq; diſtincta. Demum Magiſtros militum, vel Præfectos illos intelligo, quibus bellum contra hoſtes mandatum eſt, *l. fi. in fi. C. Vt dign. ord. ſerv. lib. 12.* vel quorum conſiliis milites in expeditionibus utuntur: vel quibus Præfecti numerorum ſubſunt, ut Honorius, & Theodoſius Imperatores reſcripſerunt. *L. 2. §. Tribuni. C. de his, qui latro. occul.* Nam

O magi-

magisteria militum inter Præfecturas censeri, satis omnibus notum est. *Novell. 38. & 69.* Et rescriptum est aliquando, eos, qui vicem Magistrorum militum susceperint, & milite credito Imperatoria autoritate ad Provincias defendendas, arcendosque hosteis destinantur, Ducibus, qui eas administrant, adæquari, ac Proconsulibus præesse. *l. 1. & 2. C. de Comit. rei mil. lib. 12.* In hanc dignitatem Cabades in Regnum Persarum restitutus Seosen virum magni nominis Selanem constituit: quod nomen Magistratus est, qui Ducibus, exercitibusq; omnibus præest. *Procopi. lib. 1. bell. Persic.* Hujusmodi apud nos Connestabilis appellatur. Officium autem Tribunorum, vel eorum, qui exercitui præsunt, istud est: *l. Officium. §. 2. ff. de re mil.* Milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum recipere, vigilias interdum circuire, frumentationibus Commilitonum interesse, frumentum probare, fraudem Mensorum coërcere, delicta secundum suæ autoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas Commilitonum audire, valetudinarios inspicere. Etenim officium regentis exercitum & in danda, & in observanda disciplina consistit. *d. l. Officium in pr.* Paternus quoq; scribit, debere eum, qui se meminerit armato præesse, parcissimè commeatum dare: equum militarem extra

extra Provinciam duci non permittere: ad opus privatum, piſcatum, venatum, militem non mittere: nam in diſciplina Auguſti ita cavetur. Prætereà meminiſſe debent, Magiſtratus militareis, poſt finitam ſuam adminiſtrationem, à locis, in quibus conſtituti ſunt, ante quinquaginta dies excedere non poſſe: & qui abſque Superioris autoritate exceſſerit, ut Perduellionis reus condemnabitur: *Novell. 95.* quod à Zenone Imperatore Sebaſtiano Præfecto Prætorio reſcriptum eſt: *l. Vni. C. Vt omnes iudic. tam civil. quàm mil.* licet tunc demum deſinat militis loco haberi, poſtquàm ſucceſſor ejus in caſtra venit. *l. Tribunus. ff. De Teſta. milit.* Hîc prætermittere nolo Magiſtrorum militum ſingulare privilegium, quo illis tantùm, & illuſtribus Comitibus permittitur, privata balnea habere ad Tribunorum, & militum uſus. *l. Vnic. C. ne rei mil. comi.* Eos tamen cavere oportet ſumma cum diligentia, ne Coloni, & Agricolæ à labore ſuo arceſſantur. *l. Dominicis, C. Vbi cauſſa fiſcal.* Ita à perfecta militia ne latum quidem unguem diſcedere videbuntur.

CAPUT VI.

Iudices Militum.

HIC JUDICEM ſtatuere, plus difficile mihi videtur, quàm cæteris in cauſſis,

tum ne judicium, quæ Virgo quædam pudica esse dicitur, ut ferè fit, in conflictu bellico pervertatur: *Plato lib. 12. de Legib.* tum ne quis necessarias armorum abjectiones quasi turpeis per ignorantiam arbitratus, quemquam pœna indignum immeritò puniat, cùm ista arduum sit distinguere: & turpissimum, nulla ratione præmissa, ac velut illotis manibus, ferre sententiam. Neque enim judex debet, quæ dijudicanda sunt, ab aliis discere, & multorum clamore stupefactus imprudenter judicare. Quapropter velim hos nostros Judices virtutis studiosissimos esse, ac, si licet, quodammodo esse divinos. Officium apud Romanos Magistri officiorum erat, quotannis Imperatori significare, quemadmodum se militum numerus haberet in ea Provincia, quæ jurisdictioni ejus subjecta erat: *l. Cura. C. de Offic. ma. offi.* non tamen ille in milites jurisdictionem habebat, sed velut è specula eos intuebatur, videbatq;, quàm perfectus, completusq; esset numerus. Judex autem militaris erat Præfectus Legionis, habens communem primi ordinis dignitatem: qui absente Legato, tanquam Vicarius ipsius, potestatem maximam retinebat. *Veget. lib. 2. cap 9.* Tribuni, & Centuriones, cæteriq; milites ejus præcepta servabant: vigiliarum, sive profectionis Tessera ab eodem petebatur: si Miles crimen aliquod admisisset, autoritate

Præ-

Præfecti Legionis expetebatur à Tribuno ad pœnam: disciplinæ ejus severitas, & exercitatio non solùm Peditum, sed etiam Equitum, præcepto ejus quotidiè curabatur. Apud Jurisconsultos satis notum est, Ducem, qui exercitus curam assumit, jus habere animadvertendi in milites: & ad eum milites, si quid deliquerint, remitti debere. *l. De Militibus. ff. De custo. & exhib. reis.* Hoc modo C. Cæsar, cùm Bibracte hyemaret, cœpit ibi jus dicere. *A. Hirtius lib. 8. bel. Gall.* Idem in Gallia citeriore non uno loco jus reddidit. Idem Comana vetustissimum Deæ Bellonæ templum Nicomedi Bithynio adjudicavit. *A. Hirt. lib. 4. bel. Alexand.* Ita Divus Marcus Effractorem Equitem Romanum, qui effracto, perforatoq; pariete pecuniam abstulerat, quinquennio abstinere jussit Provincia Africa. *l. 1. §. Simili modo. ff. de Effract.* At Rectorésne Provinciarũ de militũ caussis cognoscere poterunt? Desertorẽ quidem militiæ Præsides Provinciarum cum elogio ad Ducẽ suum remittere debent, nisi quid gravius in ea Provincia admiserit: *l. Desertorẽ. ff. de re mil.* ibi enim non tantùm plecti pœna debet, ubi facinus admisit, sed & apud eos accusari, & damnari, apud quos crimen contractum ostenditur. *l. fi. ff. de accus.* Atqui Desertores militiæ non amplius milites sunt. Et si quis reus capitalis criminis voluntariæ se militiæ dedit, rescripto Divi

Trajani capite puniendus est à Judice militari, nec remittendus eò, ubi reus fuerat postulatus, sed ubi accedente caussa militiæ audiri debet. *l. Qui cum. § reus. ff. de re milit.* Ideoq; si quis armata decoratus militia criminis insimulatus est coram Rectore Provinciæ, vel si illi cohortalis officij quæstio ingeritur, vel administrationis rationes postulantur, res ad Imperatorem, vel Magistrum militum referri debet, ibiq; judicij eventus expectari, ubi ex jure movendæ sunt hujusmodi quæstiones. *l. fi. C. Vbi quis de curia.* Nam Constantinus Tauro Præfecto Prætorio rescripsit, *l. 2. tit. De iuris. in. C. Theodosii.* si militans Paganum criminaliter in jus vocet, Rectorem Provinciæ judicandi habere autoritatem: si verò privatus militem pulsaverit, judex militaris caussam audiet. Igitur hoc pro certo teneamus, si Miles etiam in Provincia repertus crimen publicum commiserit, Rectorem Provinciæ eum sub custodia constituere posse, atque caussam omnem, & personæ qualitatem ad Magistrum Militum referre: *l. 1. C. De exhiben. reis.* milites enim non possunt nisi coram suis judicibus conveniri, nec, si in culpa fuerint, coërceri, etiam si inter milites, vel Paganum, & militem sit quæstio. *l. Magisteria. C. de iurisdi. omn. iud.* Ac ne quis miretur concessam esse militaribus viris judicandi facultatem, afferat quæso, quid omninò impediat,

quo

quo minus homines, qui alicujus rei peritiam habent, de ea ferant sententiam, cùm ſciamus militareis Magiſtratus per uſum quotidianum jam eſſe approbatos, ut & audiant lites, easque dirimant, & pro ſua, legumq; ſcientia, iſtis altercationibus finem imponant: quod à Juſtiniano reſcriptum eſt. *l. Certi iuru. C. De iudiciis.* Voluitq; Anaſtaſius Imperator coram Ducibus exercitus, quibus ſubſunt, tam in civili cauſſa, quàm criminali, reſpondere. *l. fin. in princ. C. De re milit. lib. 12.* Iſtud prætereà pluribus Imperatoribus viſum eſt, ut quemadmodum Magiſtri Equitum, & Peditum in Provinciales nullam penitus habent poteſtatem, *l. 1. C. de offic. Magiſt. mil.* ita neque Præfecti Provinciarum in milites: *l. 1. C. De offic. Vica.* nam in militaribus negociis Duces exercitus, ac Magiſtri militum ſunt præferendi. Excipio tamen Ordinarios judices: *l. De ordinario. C. De offic. Prætor. orien.* qui ſi militi injuriam fecerint, illuſtris Præfectus Provinciæ de ea re cognoſcere debebit, & coram militari judice cauſſa non agitabitur. Præter id, Juſtinianus voluit Proconſulem Paleſtinæ in Milites habere poteſtatem. *Novell. Conſtit. 103. cap. 3.* Verùm idem erat & Præſes, & Magiſter Militum: cujuſmodi plures ſuprà enumeravimus. Habent quoq; Provinciarum Præſides

Cohortes ſibi ſubditas, quas in officiis, ac negociis ſuis continere debent. *Novell. De man. Princ. cap. Deinde. 3. § 2.* Prætereà ſi quis Miles in inſtrumento profeſſus fuerit, ſe non uſurum fori præſcriptione, propter cingulum militiæ, pactum illud ſervandum eſt: atque ita judex Ordinarius de militari cauſſa cognoſcet: nam omnes privilegiis noſtris renunciare poſſumus. *l. Si quis. 29. C. de pactis.* Denique hîc adjiciemus Theodoſii Imperatoris reſcriptum, *l. Viros. C. de diverſ. offi. lib. 12.* viros ſpectabileis Duces, & Limitaneos, caſtrorumq; Præpoſitos ſententia Magiſtri Officiorum tantummodò conveniri: ſi tamen Magiſtri Militum in hoc conſuetudinem aliquam in Oriente, Thracia, vel Illyrico longo tempore obtinuerint, illis haud dubiè conſervanda eſt. Itaq; hoc loco nihil commodius videri poteſt, quàm ut, qui milites prudenter regere conſueverunt, ij ſoli in eos omne Imperium, & juriſdictionem habeant. Cæterùm cordati Judicis partes ſunt, de alienis juſtè judicando ſua juxtà ritè diſponere. Neque quiſquam Judex eò debet oculos adjicere, quòd Caligatus, aut è vulgo quæſitus miles ſit, cùm juſtũ non ſit, pluris, vel minoris æſtimare pœnas pro ingloriis, quàm celebribus. Omnes enim legi injuriam faciẽtes ex æquo puniẽdi ſunt. Prætereà Judicibus, ſi (ut debẽt) calumniã malorũ maximum eſſe arbitrãtur, in po-

in posterum accusationes pernoscendę sunt, & à militia longè rejiciendæ. Quid namq; pejus reperias eo, quod mendaces gratos efficit? veritatem funditus deprimit? falsas opiniones ingerit? Deniq; ij Judices intelligant velim, nihil rerum omnium, nedum jus ipsum, vel bonum, vel malum esse. *Isocrates in Archidamo.* Sed ut quisq; rebus omnibus utetur, ita futurum successum, eventumq; æstimari. Ac neq; ignorent, alios ipsa justitia plùs juvari debere, quàm eũ, qui illam exercendam susceperit.

CAPUT VII.

Actiones Militum.

POMPONIUS libro singulari Enchiridij decîdit, ex Legibus duodecim Tabularum actiones esse compositas, atq; in unum ordinem redactas: *l. 2. §. Deinde. 6. ff. De orig. jur.* prius tamen inventas contra nonnullorum Doctorum opinionem non dubitaverim asserere: *Bart. l. Ita stipula. ff. De verbo. oblig.* licet per illas certa formula perscripta sit, qua qui excidisset, caussa cadere dicebatur. Sed cùm eæ formulæ veritati potius insidiari, quàm inniti viderentur, Constantini Rescripto & sublatæ sunt, & amputatæ. *l. 1. C. De formu. sublat.* Quod etsi meritò fecisse videatur, attamen in hoc Christianissimo Re-

gno tantum possunt eæ formulæ, ut ijs non observatis, quàm ex ipsa facti veritate, plureis caussa cadere cognoscamus. Per forum hiantes volitāt infiniti penè Caussidici, ociosi homines, qui prætereà nihil agunt, quàm ut ex formularum aucupijs nescio quot captiunculas conficiant, quiq; ijs studijs tantum quæstum faciunt, ut multum olei in ijs consumpsisse nusquā pœniteat. Planè Claudius Imperator laudandus jure videtur, qui ei, qui plus petendo formula excidisset, actiones restituit, nihili ducens hujusmodi formulas, quæ ne tantillum quidem ad veritatem caussę faciunt. *Tranq. in Claudi.* Atq; ideo à militia nostra omnino abesse volumus. Quę autem sint Militum actiones, dicendum est. Apud Tertyllianum notum est, filium invito Patre habere actionem, & persecutionem castrensium rerum: *l. Miles. §. actionem. ff. De castren. pecu.* nam peculium filij militis à patrijs bonis separatur. Ideoq; Patri non potest imponi necessitas defensionis: neq; cogendus est actionem pati propter æs alienum, quod filius castrensis Peculij nomine confecisse dicetur. *l. Ex castrensi. §. fi. Eod.* Veruntamen si filius, qui castrense habet peculium, furtum Patri fecerit, cùm habeat, unde satisfaciat, Pater in eum actione utili agere poterit. *l. Si quis Vxori. §. sed si filius 5. ff. De furtu.* Paterq; filio obligatur, si rem ejus castrensis peculij sub-

traxe-

traxerit. *d. l. si quis uxori §. An autem 6. Eod.* Præterea cùm legitimũ sit, actionem extinctam omnino sublatam videri, *l. Qui res. §. aream Vers. Nec admissum. ff. de solu.* tamen si quis post noxam admissam hostium servus effectus fuerit, Pomponius scripsit extingui actionem: sed si postliminio reversus fuerit, eam iterũ nasci: *l. Si cum. § fi. ff. de fur.* nam & si cui, cùm in hostiũ potestate esset, furtum factum sit, & postliminio redierit, dicemus eum furti actionem habere: Præterea lege Hostilia permissum erat, furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent: sed posteà per Procuratores agere cœperunt. *§ præterea Inst. De ijs per quos agere possumus*: Cui proximè videtur accedere Solonis Lex, qua statutũ est, Athenis omnibus licere de injuria alteri illata caussam intentare. *Plutarc. in vit. Solo.* Nam rogatus, quæ civitas optimè habitaretur, illa, inquit, in qua nulla affecti injuria non minus, quàm affecti, reos peragũt, & ulciscuntur eos, qui intulerunt. De exceptione hostica apud Neapolim est constitutio, si quis jam iturus ad exercitum, vel qui jam jverit, conveniatur ab eo, qui non est in exercitu, vel jam in judicium vocatus est, quando proficiscitur ad prælium, potest ex beneficio opponere hosticam exceptionem: hoc est differre judicium jam inceptum, vel incipiendum. *Constitut. Neapolitan. titul. 3.* Quo etiam privilegio illi uti possunt, qui

Rei-

Reipublicæ caussa abesse dignoscuntur: *l. 1. C. Quib. ex cau. maio.* quod verum credimus, nisi agens ejusdem esset conditionis. *l. fina. C. Qui po. in pig. hab.* Proinde qui filiofamiliâs mutuam dat pecuniam propter Senatusconsultum Macedonianum, actionem non habet: tamen si pendet, an in potestate sit filius, veluti quando Pater est apud hostes, etiam in pendenti est, an sit locus Senatusconsulto: nam si reciderit in potestatem, locus est: *l. 1. §. 1. ff. de Senat. Maced.* si non reciderit, cessat. *d. l. 1. §. 1. Eod.* Si etiam filius habet castrense peculium, cessat Senatusconsultum, usque ad quantitatem castrensis peculij: quia in eo vice Patrumfamiliâs funguntur. *l. 2. Eod.* Nam & cum eo, quem in potestate habemus, ex castrensi peculio est actio: aliter nulla lis esse potest. *l. Lis nulla. ff. De judi.* Milites tandem, qui caussas alienas defendere, vel propter sacramentum accusare non possunt, *l. Qui accusare. 8. ff. De accu.* ad accusationem criminis læsæ Majestatis admittendi sunt: *l. Famosi. §. 1. ff. Ad l. Iul. maiestat.* atque ij maximè, qui pro pace excubant: neque item prohibentur accusationem, quæ publici judicij est, intendere, si suam, suorumque injuriam persequantur. *l. non prohibentur. 8. C. De his qui accus. non poss.* Atque cùm regula sit, ut, si quis possessiones comparaverit ea pecunia, quam apud eum deposueras, res ut tua

à te

à te vindicari non possit. *l. Si ea pecunia. 6. C. De rei ven.* tamen si ex pecunia Militis res aliquas is, qui depositam habebat, nomine suo comparaverit, Præses Provinciæ obtentu militiæ militi utilem vindicationem impartietur: quod Imperatores Philippo militi rescripserunt. *l. Si ut proponis. Eod.* Veruntamen Milites nonnunquam agere prohibentur ratione possessionum, quas sibi donatas asserunt, si judicij mutandi caussa donatio facta fuerit: quo casu, prior dominus debet experiri, ne magis litem, quàm rem, in militem transtulisse videatur. *l. penul. ff. De alie. judi. mut.* Quod nominatim Imperatores vetuerunt: nam aperta censetur esse voracitas, alios actionum suarum exactores redimere. *l. fi. C. ne liceat poten.* Etenim in litibus inferendis modus quidam certus per Legislatores adhibitus est. Ac veluti non ex quavis caussa litem protinus intendere oportet, ita & alienam litem redimere, non mediocre peccatum existimamus. Quis enim litigiosum hominem ut Reipublicæ inimicum, infestumq; non vehementer aversabitur?

CAPUT VIII.

De Iudicijs.

NATURALIS rerum ordo postulat, ut actiones propositas convenientia judicia

dicia sequantur. Quæ ita disponenda sunt, ut non tam spectetur, quid Romæ, aut alibi sit factum, quàm quid fieri debeat. *l. Sed licet. 12. ff De offi. præsi.* Primùm itaq; satis manifestum est, in privatorum negotiis nemini militarem executionem concedi debere: nam Pagani, aut privatæ conditionis homines cogi non possunt vel militare judicium subire, vel in eo actiones suscipere. *l. 1. & 2. C. offi. mili. judi.* Et, si militaris Judex super ea caussa, de qua civilibus actionibus disceptandum erat, non datus, à quo dari poterat, quicquam cognoverit, id quod ab eo statutum est, firmitatem judicati non habet. *l. 2. C. si à non compe. judi.* Prætereà judex militaris, vel Imperator hoc observare debent, ut neminem mittant, nisi addita caussa missionis: intelligo caussam, cur mittit, adijci debere. Nam Macer scripsit, *l. 2. §. ignominiæ. Vers. sed etsi eum ff. de ijs, qui no. infa.* si missi sunt sine ignominiæ mentione, ignominia missos intelligi debere. Sunt his judiciis militaribus eæ libertates concessæ, ut ex Rescripto Divi Traiani ad Minitium Natalem feriatis diebus peragi possint: sicut & Custodiarum cognitio, & ea maximè, quæ ad militarem disciplinam pertinent. *l. Divus ff. De ferijs.* Kanutus autem Danorum Rex hunc inter milites judiciorum ordinem observari præcepit: *Saxo. lib. 10. histo. Dano.* Is, qui à Commilitone injuria affectus

fuerat,

fuerat, imprimis Regem jus dicturum sella sedere rogabat: deinde Reum trino edicto, in jus vocari per duos Milites opus erat: concione inita, qui vocaverant in jus Militem, jurabant se neq; dolo, neq; fraude, sed sincerè accusare. Pòst testes adducebant, quos sacramento astrictos objecta refutatione repellere non licebat: & si Reus ab Actore testimoniis convictus non esset, sex Commilitonibus secum assumptis, juramento præstito, se alienũ ab objectis criminibus fuisse monstrabat: tum Judices ferebant sententiam: Demum Rex cæteros interrogabat, an illud judicium placeret: non enim Rex volebat eos damnare, quos militiæ stipendiis fovisset: ipse tantùm Auditoris parteis exequens, ab aliis arbitrium expetebat, malebatque in judicando silentio fidem, ac amicitiam Militum retinere, quàm sententiam suam severitatis testem esse, in eos præsertim, quorum egregia opera in bellis usus fuerat. Hoc tandem loco addere visum est, quibus casibus milites fori præscriptione uti non possunt. Ac primùm Ulpianus scripsit, *l. Si quis. 7. ff. De judi.* si quis, posteaquàm in jus vocatus est, Miles esse cœperit, in ea caussa revocandi forum jus non habere quasi præventum: tamen si Reus capitalis criminis voluntariæ se dedat militiæ, non est remittendus, ubi Reus postulatus fuerat: sed ubi,

acce-

accedente caussa militiæ, audiendus est: *l. Qui cum. §. reus. 5. ff. de re mili.* quod à Traiano rescriptum existimo in odium eorum, qui militare prohibentur: atq; ut militibus sint in exemplum: licet Accursius intellexerit, tantùm dici de armatis militibus: cui non omnino assentiri velim, ne quicquam verbis, & menti Jurisconsulti detrahere videar. Præterea Milites pro publicis functionibus coram Præsidibus Provinciarum respondere coguntur sine aliqua fori præscriptione, nisi sint armatæ militiæ viri, vel alij, qui commeatum ad rem privatam componendam unius anni se accepisse ostenderint: *l. Vni. C. In qui. cau. mili. for.* quod suprà latius est expositum. Non est enim dubium, unumquemq; super caussis publicis, quas, dum militaret, exercuit, vel super ratiocinijs militaribus in militari judicio debere respondere: neq; fori præscriptione uti posse. Ibi enim & instructio sufficiens, & testimonia verissima præstari possunt. *l. 2. C. Vbi de rat. tam pub. quàm pri.* Idq; etiam verum est, si militiæ cingulum deposuerit, & privatæ suæ domui sit redditus.

Caput IX.

De Testibus, & Procuratoribus.

Quemadmodum Romulus inter instituta

tuta Romana, quæ in longum posteà tempus perdurarunt, Clientibus, & Patronis prohibuit accusare se invicem, aut testimonium dicere, & si quis horum aliquid fecisset, lege proditionis teneri: & depræhensum si quis occidere vellet, pium erat tanquam Jovis inferni hostiam: *Dio. Halic. lib. 2. Antiqui.* ita in jure manifestum est, militibus prohiberi vel testes esse, vel Procuratores, cùm nefas ducamus, eos à signis, vel numeris evocari, quibus perpetuò debēt insistere. Propterea Divus Hadrianus *L.3. §. testes. 6.ff. de testi.* sapienter rescripsit, testimonij dicendi caussa, eos à militia minimè evocandos esse. Et Scævola libro tertio Regularum sanxit, *l. Inviti. eod.* invitos Milites non cogi testimonium dicere. Similiter illos, qui cum Magistratu Reipublicæ caussa absunt: nam ipsa testimonia voluntatum esse nemo ambigit: ad quæ neq; miles, neq; is, qui exercitui aliquid præbendum conduxerit, cogendi sunt, *d. l. Inviti. Eod.* Sed quia testes, quibus fidem adhibere volumus, diligenter examinandi sunt, an vani, an leves, an spe, an metu, an iracundia impulsi sunt: explorandumq;, an Decurio, vel Plebeius, an egens, vel locuples, non quoslibet oportet admittere in testimonium adversus milites. *d. L.3. in princi. Eod.* Hinc constitutio est Neapolitana, *Titu. De pug. subla.* neminem Villicum, aut vilis conditionis contra milites

P capitis

capitis reos in testes adduci posse. Nobilitas enim militaris non subit accusationes hominum sortis infimæ, quòd in falsitatis vitium facilius dilabãtur. Exemplo fuit M. Volscius, qui Cæsonium strenuum militem accusaverat, & cùm falsus convictus esset, damnatus Lanuvium exulatum abiit. *Livius lib. 3. Decad. 1.* Sequitur nunc, ut dicamus de Procuratoribus. Milites licet per Procuratores actiones quærere possint, sicut Pupilli per Curatores: *l. Si pecuniam. 26. ff de Rebus creditis.* tamen Alexander Imperator Macrino scripsit. Militem nec pro Patre, nec pro Matre, nec Uxore, etiam sacro Rescripto Procuratoris nomine experiri oportere, cùm neq; defensionem alienã suscipere, vel negocia redimere utilitas publica illis non permittat. *l Militem. C De Procur.* Veruntamen illi sine offensione militaris disciplinæ suis negotijs vacare possunt: neque dici potest, eum, qui, honesta præcedente caussa, mandatas sibi actiones exercuit, alieno negocio fungi: cùm licet contentio ex persona alterius sumatur, hunc tamen rem suam agere, non ambigimus: quod militibus interdici & absurdum esset; & iniquum. *l. Qui stipendia 9 C. eodem.* Atq; ideò Gordianus Imperator Luciano Militi rescripsit, ita demum mandatam actionem sibi à Matre intentare posse, si, cùm litem contestaretur, non est opposita militiæ præscriptio: si tamen res integra

gra eſt, non poterit alieno nomine, ut dixi, actionem intendere. *l Ita demum.13. Eod.* Veterani quidem Procuratores fieri poſſunt: Milites autem, etiamſi velit adverſarius, Procuratores dari nequeunt, *l. Filiusfamil. §. Veterani. ff. de Procur.* cùm non idoneos defenſores eos jam dixerimus, veluti eos, qui abſint cauſſa Reipublicæ: *l. Neq; fœmina. Eod.* ideò inviti judicium pati non poſſunt: eos tamen excipio, qui in rem ſuam dati ſunt, & quibus non eſt oppoſita militiæ præſcriptio. Excipio etiam eum, qui communem ſui numeri cauſſam ſuſceperit, & perſequitur: *d. l. Filiusfamiliâs. §. Veterani. Eod.* tunc enim videtur eſſe propria cauſſa, quæ & omnium communis eſt. *l. 2. §. 1. ff quan. app. ſit.* Videtur etiam propria cauſſa eſſe, quando pro neceſſariis perſonis litigat. *l. 3. § Militi. ff. De lib. cauſ.* Hæc tamen militibus ſpeciali privilegio conceſſa non negavero. Imperatores deniq; voluerunt, ut ſi quis Militem ad negocia Procuratorem fecerit, ac propter hoc pecuniam numeraverit, quicquid ob cauſſam datum eſt, cauſſa non ſequuta, Judex illi reſtituat. *l. Si militem. C. De condict. ob cauſ. dat.* Siquidem legibus interdictum eſt illis, negociatores fieri, ne omiſſo armorum uſu, à ſignis abeſſe cogantur, & propter militiæ cingulum aliis graves, moleſtiq; exiſtant. *l. Milites. C. Locati.*

Caput X.

Restitutio in integrum.

Restitutionem in integrum militibus dari nemo non justissimum esse confitebitur, ut eorum jura sarta, tectaque sint, qui Reipublicæ continuam dant operam vel ab hostibus infeliciter detinentur: quibus illud infortunium non obesse, sed prodesse debere videtur. In integrum autem restituere, est honoribus, ordini, reliquisq; restituere. *l. 1. C. De senten. pas.* Nos hic tantùm dicturi sumus de ijs, quæ Prætoris edicto cõtinentur: *l. 1. ff. ex quib. cau. maio.* de actionibus scilicet, ad quas, cognita caussa, Prætor milites in integrum se restituturum spondet: in quo non modica sunt Militum privilegia. Imperator sanè voluit minores, post completum viginti quinq; annorum terminum, habere continuum quadriennium, quo restitutionem in integrum petere possint. *l. fin. C. de Tempo. in integer. restitu.* Horum exemplo majores etiam restituuntur, post finitũ tempus, quo Reipublicæ caussa occupati erant: estque illis continuum illud quadriennium pro anno utili. De quo Gordianus Pudenti Militi scripsit, ei licere auxilium restitutionis postulare toto tempore militaris expeditionis, tempusq; utile prefinitum à die missionis

juxta

juxta rationem juris computari debere. *l. 1. C eo. titu.* Est & aliud majus privilegiũ. Quod si quis intra annos, quibus restitutio conceditur, constitutus est, certum est omnibus, adversus usucapionem restitui. Atque si is eo tempore nomen militiæ dedit, & in militia sit occupatus, manet illi beneficiũ restitutionis, licet usucapio ante militiam impleta fuerit. *l. 3. C. Eod.* Etenim si ab hostibus captus, & postliminio reversus sit, restitutionis auxilio juvabitur, neq; timere debet possessionem adversarij quocunq; tempore præscriptam. *l. Ab hostibus. 6. C. qui non obijci. long. temp. præscri.* Accedit aliud privilegium. Si pater nondum finito tempore restitutionis in fata concesserit, filiusq; hæres intra vigintiquinque annos, vel post eam ætatem intra tempus restitutionis, quod Patri, cui hæres extitit, supererat, nomen militiæ dedit, ex persona defuncti subuenietur illi, beneficio restitutionis. *l. 2. C. De tempo. in integ.* Quod privilegium est Militis, qui non militanti successit: verùm etiam non militans, qui militanti fratri successit, uti poterit tempore restitutionis in integrum, si frater minor quinq; & viginti annis militaverit, & in militia diem suum functus sit. *l. Ex persona, C. Eod.* At verò non solùm milites restituuntur, sed etiam successores filiorum familiâs Militum. *l. Non solùm. ff. de restit. in integ.* Occupatos milites

intelligo circa rem bellicã, & expeditiones: nam alijs locis, temporibúsve occupatos ea privilegia nihil penitus juvant. *l. fi. C. De restit. mili.* Prætereà Imperatores nonnullos restitutionis Militum casus annotaverunt, quos hîc addere visum est. Severus, & Antoninus voluerunt, *l. 1. C. eo. titu.* ut, si Miles antè vita decessit, quàm possessionem rei alicujus acciperet, hæres ejus ex persona defuncti restitui possit: id etiam fit, si post exactos dies, quibus bonorum possessio defertur, in militia sit defunctus: quod simile est ei, qui, ut suprà dixi, non militans militanti successerat. Nimirum quicquid tempore militiæ de bonis alicujus possessum est ab alio, intra tempora restitutionis, postquàm Reipublicæ caussa abesse desierit, possessionem vindicare potest, rejecta medij temporis prescriptione. Idem est, si quid de bonis eorum, qui pro Republica absunt, detractum fuerit. *l. 2. & 3. Eod.* Insuper si hæredes Creditoris possessiones militis obligatas distraxerunt eo tempore, quo bellis, & armis Miles navaret operam, in integrum restitui, nemini dubium est, & eo modo venditionem retractari oblato debito, vel pretio: *L. Si cum militaribus Eod.* non tamen filius pro militari disciplina debuit in irritum revocare, quæ à patre gesta sunt *l. Ea quæ 7. Eod.* Succurritur quippe militi non tantùm adversus possessorem, sed etiam adver-

sus

ſus eos, qui à poſſeſſore emerũt, ita ut res vindicari poſſit, ſi Miles hæreditatem agnoverit: quod & annotavit Julianus. *l. Iulianus. in pr. ff. ex qui. cau. major.* Deinde cùm filiusfamiliâs habeat caſtrenſe peculium, procul dubio in ijs, quæ ad illud peculium ſpectant, reſtituendus erit in integrum tanquam in proprio patrimonio. *l. Deniq; § Si autem filiusfa. ſit 10. ff. de minori. 25. annis* Reſtituetur etiam ille, ac cauſſæ inſtaurationem petet, qui ideo apud Arbitrum prȩſens coràm adeſſe non potuit, quòd ſub cuſtodia militari juſſu Præſidis detinebatur, *l. 2. C. ex quib. cau. maio.* ad exemplum ejus, qui in inſulã deportatus eſt, ac poſtmodùm reſtitutionem à Principe impetravit: tunc quicquid ex bonis ejus, quæ adempta nõ erant, ab alio uſurpatum fuerit, ei reſtituendũ eſt. *l. Si qua. ff. eo. titu.* Tandem hîc annotabo: in actione reſciſſoria, quæ adverſus militẽ competit, *Inſti. de actio. § rurſus.* veluti ſi cùm Reipublicæ cauſſa abeſſet, rem ejus, qui in civitate eſſet, uſuceperit, fructus ejus temporis, quo abſens non eſt defenſus, reſtituere debet Miles. *l. Nec non. § fi. ff. Ex qui. cau. ma.* Si autem Miles intentet reſciſſoriam, neq; poſſederit, ei fructus reſtituendi erunt: quod æquiſſimum eſſe Pomponius ait, ne cui officium publicum damno ſit, vel diſpendio. *l. Videlicet. 29. Eod.* Reliquas militum reſtitutiones infrà trademus.

Caput XI.

Peculium castrense.

Etsi Tertullianus antiqui juris Interpres Librum singularem edidit de peculio castrensi, *l. fi. C. de Cura. fur. & prodig.* ego tamen in tam divite suppellectile hoc compendium ita collegi, ut, quod attinet ad peculium, militibus satisfecisse me putem. Itaque quò brevissimè rem exponamus, Peculium dicitur quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium: *l. Depositi §. 3. ff. de peculio.* consistitq; ex eo, quod parsimonia sua quis paravit, vel officijs meruit ab aliquo sibi donari. *l. Peculium. 39. Eod.* Idq; est velut propriũ patrimonium, quod quidem nascitur, crescit, decrescit, ac moritur: *l. Peculium 40. Eod.* ideoq; eleganter Papyrius Fronto dicebat peculium Homini simile esse. Peculium in treis parteis dividitur: nam vel paganum est peculium; vel castrense: vel, quod medium inter utrumq; obtinet, quasi castrense nuncupatum, *l. fi. C. de inoffi. testa.* Nos hîc tantùm de castrensi dicemus. In peculio castrensi res mobiles, vel se movẽtes donatæ à patre inesse possunt; non autẽ prædia, quæ eunti in castra filio pater donaverat. Veruntamẽ ea prædia, quę occasione militię filijsfamiliâs obveniũt, castrensi cedunt peculio. *l. Si filiusfa. 4. C. Famil. Ercisc.*

Erciſc. Nam Alexãder Imperator ſcripſit, ea omnia, quę eũti in militiã donata ſunt, & quę occaſione militiæ in caſtris quæruntur, effici caſtrenſis peculii: *l. 1. C. De caſtren. pecu. lib. 12.* in quo tamen ea præcipua habere debet, quæ concedente Patre in caſtra detulit. *l. 4. in pr. ff. De caſtren. pecul.* Annumeratur quoque in caſtrenſi peculio ea pecunia, quam mulier filio viri Militi ad caſtrenſeis, vel militareis res comparandas reliquit. *l. 3. ff. Eod.* In ſumma: caſtrenſe peculium eſt, quod à Parentibus, vel Cognatis in militia agenti donatum eſt: vel quod ipſe filiusfamiliâs in militia acquiſivit, quod niſi militaret, acquiſiturus non fuiſſet: etenim quod ille erat etiam adepturus ſinę militia, id peculium ejus caſtrenſe non eſt. *l. Caſtrenſe ff. eo. titu.* Propterea ſi Uxor filiofamiliâs Militi ſervum manumittendi cauſſa donaverit, caſtrenſi peculio non annumerabitur: quia Uxor ei propter militiam non eſt cognita: poterit tamen ſine voluntate Patris manumittere, & ad libertatem perducere. *l. Si Militi. 6. Eod.* Nam ſi fortè Uxor, vel Cognatus, vel quis alius Notus non ex caſtris filiofamiliâs quid donaverit, vel legaverit, etiamſi expreſſerit, ut in caſtrenſi peculio habeat, id caſtrenſi peculio aggregari non debet. Siquidem veritas ſpectanda eſt, an vera caſtrenſis notitia, vel affectio fuit: non quod quis finxit. *l. Si fortè. ff. eo. titu.* Idq; adeò verum

est, ut hæreditas non videatur castrensi peculio quæsita, quam Frater Patruelis in alia Provincia stipendia merens Fratri Patrueli, cum quo nunquam militavit, reliquit: sanguinis enim ratio, non militiæ caussa, occasionem capiendæ hæreditatis præbuerat. *l. Dotem.§.hæreditatem.ff.eo.titu.* Si autem à Fratre, aut Commilitone in iisdem castris quis institutus est hæres, successio castrensi peculio acquiretur: nam peregrinationis labor, & obeundorum munerum consortium affectionis nonnihil addidit: quinimò vice mutua chariores invicem sibi donasse, credendum est. *l. Cùm allegas.4.C eo.titu.* Hinc Tryphoninus scriptum reliquit, si quis & antè notus, & amicus potuit antè dare, & non dare, nisi commilitium charitatem auxisset, si ante cōmilitium factum testamentum est, non futuram castrensis peculij hæreditatem: si autem posteà, peculio annumerabitur. *l. De hæreditate.19.in pr.ff.eo.* Quę igitur adventitio jure quæruntur, in castrensi sunt peculio: cujusmodi Divi Hadriani temporibus Jurisconsultis visum est, filiumfamiliâs militem uxori hæredem extitisse, & hæreditatem in castrensi peculio habuisse: licet dos filiofamiliâs data, vel promissa, non sit in castrensi peculio. Cujus etiam diversa ratio est: nam hæreditas adventitio jure quæritur: dos autem matrimonio cohærens oneribus ejus, ac Liberis

beris

beris communibus, qui sunt in Avi familia, confertur. *l. Dotem. in prin. ff. eod.* Prætereà ut reliqua persequamur, dicamus castrense peculium tam inhærere militi, ut pater dando in adoptionem filium militem peculium ei auferre non possit, quod semel tenuit jure militiæ: atq; ideò sicut emancipando filium, peculium ei non aufert, ita nec in familia retento auferre potest. *l. Pater. 1. Eod.* Eam ob rem si pater filio stipulanti spondeat: item si Pater filio stipulatur, ex caussa peculij castrensis valebit stipulatio: non tamen ex alia caussa: *l. Pater. 2. §. 1. Eod.* nam licet jure sacramenti militaris à paterna potestate non sit solutus, ac nihilominus milites in Parentum potestate remaneant, habent tamen castrense peculium proprium: in quo Patri nullum omninò jus est: *l. Erat qui. C. Eod. lib. 12.* ideoq; sine voluntate Patris illud alienare poterit. *l. 2. C. Eod.* Pater etiam, licet servis ex castrensi peculio, vel prædiis usumfructum, vel servitutem imponere non possit, potest tamen servos ex eo peculio usufructu, prædiaq; tam usufructu, quàm reliquis servitutibus liberare, & illis servitutes acquirere. *l. Ex castrensi. 18. §. Servos. ff. Eod.* Certum quippe est omnibus, Patrem in aliis peculiis filiorũfamiliâs aliunde, quàm ex patriis bonis quæsitis habere tantùm usumfructũ, non autem dominiũ: in peculio castrensi filiusfam. & dominiũ, & usumfructum

fructum habet. *l. Cùm oportet. C. de bon. quæ Libe.* Veruntamen si filius recusat adire hæreditatem, quæ ei ex castrensibus rebus obvenit, Pater eam adire potest, ut ad eum tam dominium, quàm ususfructus pleno jure perveniat: commoda quoq;, & incommoda hæreditatis subibit, quorum nulla unquam pars in filium poterit redundare. *l. Cùm non. § simili. C. eo. tit.* Nam Imperatores rescripserunt, *l. Intelligiu. C. De castr. pecu. lib. 12.* peculium filij defuncti, qui militavit, penes Patrem remanere: neq;, si decedit intestatus, bona ejus Patri deferuntur, ut hæreditas, sed tanquam peculium: si autem testamentum fecit, peculium castrense habetur pro hæreditate: *l. 2. ff. eod. titul.* & si ignorans ille filiusfamiliâs Patrem suum decessisse, de castrensi peculio in militia sit testatus, non pertinebunt ad hæredem ejus Patris bona, sed sola castrensia, cùm ea duntaxat, quæ habent, scriptis milites relinquere possint: *l. Ex militari. 11. §. Si filiusfamiliâs. 2. & L. Milites. 12. ff. de Testamento milit.* quæ infrà in materia testamentorum statim exponentur. Adhæc cùm peculium filii à Patris bonis sit separatum, Pater cogendus non erit, propter æs alienum, quod filius peculii nomine in castris confecerit, actionem de peculio pati: etsi sponte patiatur, satisdato filio in solidum non peculio tenus defendere debebit. *l. Ex castrensi. §. fin. ff. De pecu. castr.* Sed

etiam

etiam ejus filij nomine ille non aliter movere actionem potest, quàm si satisdederit, eum rem ratam habiturum. Actionem quidem, persecutionemq́; castrensium rerum semper filius habet invito Patre: *l. Miles. §. 1. Eod.* nam ipse Patri non tenebitur furti: servi autem sui nomine castrensis tenebitur, si Patri servus furtum fecerit. *l. Si quis Vxori. §. Idem dicendum. 4. ff. De furtis.* Sed si filius, qui castrense peculium habet (ut ab eo, qui non habet, casus iste differat) furtum fecerit, Patri tenebitur: *d. l. Si quis uxori. §. Sed si filius meus. 5. Eod.* Pater item filio, si res ejus castrenseis peculio subtraxerit. *d. l. Si quis uxori. §. An autem pater. 6. Eod.* Insuper, quamvis ex Prętoris edicto actio de peculio sit annalis, postquàm is, qui in potestate est, aut mortuus, aut emancipatus, alienatúsve fuerit, *l. 1 §. 1. ff. Quando actio de peculio annalis:* tamen si servus, cui creditum est, apud hostes sit, actio de peculio in dominum non est finienda anno: quia ille Postliminio reverti potest *l. 2. §. 1. ff. Eod.* Nam etsi servus peculii castrensis ab aliquo hæres scriptus sit, atq; jussu Militis hæreditatem adierit, ea fiet bonorum castrensis peculij. *l De hæreditate. §. Sed si servus. ff. De cast. pec.* Atque si filiusfamiliâs Miles ancillam castrensis peculij manumiserit, secundum constitutiones Patronus erit, neq; Patri hoc jus competet. *l. In eo iure. § planè. ff. De ritu nupt.* Denique generaliter dictum

est.

est, Militi permitti administrationem earum rerum, quas in castris acquisivit, etiamsi sit Paterfamiliâs, qui militiæ tempore, vel post missionem arrogandum se præbuerit. *l. Miles. §. si paterfamiliâs. ff. De castr. pecul.* Peculium enim istud tam altè inhæret, ut nullo pacto convelli, ac separari possit. Porrò Miles, qui castrense peculium habet, in tantum condemnabitur, quantum solvere poterit: ac ex eo peculio non castrensibus Creditoribus satisfacere cogetur, *l. Si castrense. Eod.* hoc modo scilicet, ut separatio inter Castrenseis Creditores, & cæteros non fiat, nisi qui cum eo contraxerint, antequàm militaret. Et si quid in rem Patris versum fuerit, Creditor potius cum Patre experiri poterit, ac debet, ne castrense peculium, cui toto pectore favemus, vel disturbetur, vel commoveatur. *l. 1. §. Si filijfamiliâs. ff. De separatio.*

CAPUT XII.

De acquirenda, vel adeunda hæreditate.

ACQUIRENDI disciplina secundum Naturam pars esse videtur rei familiaris, quæ circa cibos, aliasq; corporis necessitates versatur, ex pastu, agricultura, & præda consistens. Nam & fruges, & fructus, & animantia hominum quidem gratia facta sunt: *Aristoteles Politicor. 1.* quò bellicam acquisitionem

nem adjicere possumus, cùm nõ longè absit à Natura: eam præsertim acquisitionẽ intelligo, quam contra feras exercemus, & adversus eos homines, qui nati sunt ad parendum, & parêre recusant: est enim id bellum natura justum. Est & aliud acquirẽdi genus pecuniariũ, quod non natura, sed arte poti⁹, ac peritia comparatur: ob idque diversum multò est à priori: ejusq;, cùm nullus divitiarum finis esse videatur, nullum est pretium, nulla utilitas, utpote quod necessaria non respiciat: ac sæpè fieri videamus, ut plerumq; locuples penuria prematur alimenti. Ideoq; huic generi nemo ullus priorem illam acquisitionem necessariam non præponet, si modò Philosophiam amplexari velit. Atqui cùm inter Jurisperitos quotidiè versemur, quibus posterior ista acquisitio plùs placet, quantum militiæ nostræ intererit, breviter explicabimus. Prior quidem militi tum conveniens, tum necessaria est: posterior hæc non admodum dissimilis. Etenim nõ absurdum, neq; præter rationem esse ducimus, si quid mobile, immobiléve Milites possideant: licet illi prohibeantur in iis Provinciis, in quibus militiam exercent, prædia comparare, ne scilicet studio culturæ militia sua avocentur: neq; tamẽ in alia Provincia agros, domúmve acquirere, illis prohibitum est. *l. Milites agrum. in pr. ff. De re militari.* In ea autem Provincia, in quam

quam caussa prælij venerint, agrum emere ne alieno quidem nomine licet: alioquin Fisco vindicabitur. *l. Milites agrum. in pr. ff. De re milita.* Veruntamen si quis, contra disciplinam, agrum comparaverit, ac missionem acceperit, prius quàm de ea re quæstio illi moveatur, possidere sine controversia potest: nam scriptum est, prædium illicitè comparatum Fisco nõ vindicari, nisi delatum fuerit. Quòd si stipendia impleta sint, vel missio contigerit, delationi non esse locum, cùm stipendiis impletis militibus acquirere permissum sit. Prętetr id quoq; concessum est illis, Rescripto Divorum Severi, & Antonini, *l. Milites. 1. §. 1. ff. eo. titu.* in ea Provincia, in qua militant, prædia possidere, veluti cùm ab aliquo hæredes instituuntur. In bonis quippe castrensibus Militis intestatò defuncti legitimus hæres succedit: non autem ea Fisco vindicantur. *l. fi. ff. de Vete. & mili. success.* Si autem legitimum hæredem non habuerit is Miles, sive Legionarius sit, sive in numeris existat, hæreditas ad Vexillationem, in qua militabat, pertinet: quod intelligimus, si testamentum non fecerit. *l. 2. C. De hære. Decurio.* Nam filiifamiliâs Militis hæreditas, in qua peculium etiam annumeratur, *l. 2. §. 2. ff. Famil. hercis cun.* ex testamento nobis obveniens peti potest. *l. Filijfam. in pr. ff. De petit. hæred.* Quod privilegium licet antiquitùs in militis hæreditate tantummodò con-

dò concederetur, nunc verò in Pagano, & ab intestato ab omnibus peti potest hæreditas. *Nov. 118. De hæred. ab intest. c. 2.* Attamen si secundum probabilem voluntatem Militis hæreditas ejus non est adita, etiam castrenses res hæredibus non competent. *l. Si secundum. ff. De milit. testamen.* Etenim ut adeunda est militibus hæreditas, ita & Miles delatam hæreditatem adire debet. In quo vetus constitutio Gordiani ad Platonem erat, de militibus, qui per ignorantiam hęreditatem adierant: quatenus pro his tantùm rebus convenirentur, quas in hæreditate defuncti invenerant: arma enim eos magis, quàm jura, scire debere Legislator existimavit. *l. fin. C. De iure delibe.* Ea tamen constitutio à Justiniano Imperatore per Inventàrij beneficium ad omneis amplificata est. *Instit. De hære. quali. & diffe. §. extraneis.* Primùm quidem Divus Hadrianus majori viginti quinque annis speciali beneficio veniam dedit, cùm post aditam hæreditatem grande æs alienum emersisset: Gordianus posteà ad Milites extendit id privilegium: at Justinianus omnibus tandem impartitus est. Item scriptum est, filium ejus, qui in hostium potestate decessit, invitum hæreditati obligari: quamvis suus hæres dici non possit, quia in potestate morientis non fuit: *l. Lege Cornelia. 12. ff. Qui testamen. fac. poss.* quod ut clarius fit, annotandum est: Si filiusfamiliâs

Q Miles

Miles decedat testatus, peculium ejus quasi hæreditatem deferri hæredi scripto, sive extraneus sit, sive Pater. Sed si nihil decernit de peculio, & hæres scriptus post Patris filijfamiliâs mortem hæreditatem repudiat, castrense peculium neq; omninò obvenisse Patri dicetur, neq; etiam recessisse à Patre: *l. Proponebatur. ff. De castren. pecul.* non obvenisse quidem, quia, prius quàm hæres repudiaret, mortuus erat Pater. Cùm itaque hæres non adierit hæreditatem, peculium retrò patris bonis accessisse videbitur: ideoq; Patris bona aucta dicentur per hanc repudiationem, licet persona Patris defecerit. Sed hæredibus scriptis deliberantibus super aditione hæreditatis, si servus filijfamiliâs, qui hæredes scripserit, stipuletur aliquid, vel traditum accipiat, utrum id peculio, quod apud Patrem remanebit, hærede vel repudiante, vel non adeunte hæreditatem, debeat annumerari? Negandum id videtur: cùm illo tempore servus patris non fuerit. Atqui verecundia paterna movit Jurisconsultum, ut dixerit, id quod per stipulationem servi acquiritur, aut per traditionem servus acquirit, remanere apud Patrem, ubi pristino jure est peculium. *l. Filiusfamiliâs. §. proxima. ff. Eod.* Idem in legato, quod servo relictum est, quod omisso testamento tum primùm Patri acquiritur. Hinc scriptum

ſcriptum eſt, *l. Senatuſconſulto. §. 1. ff. De Senatuſconſ. Silla. & Claud.* ſi filiusfamiliâs, qui de caſtrenſi peculio teſtatus eſt, ſit occiſus, ex quibus cauſsis ad Fiſcum bona Patrisfamiliâs pertinent, his etiam caſibus hujus peculium pertinebit potius, quàm ad hæredes, qui deliquerunt in adeundo. Miles quoq; acquirere poteſt per ſervum peculij: nam licet ſit filiusfamiliâs, atque is ſervus ab extero ſtipuletur, aut per traditionem accipiat, res ad filium pertinebit ſine aliqua diſtinctione: non enim duplex jus ſuſtinet Pater, ut filius: videlicet & Patris, & filiifamiliâs: nempè ſervus caſtrenſis peculij, quamdiu filius vivit, nullo jure Patri ſubjectus eſt. Hinc ratio ſuadet, ut, ſi à Patre ſervus, qui ad filium pertinet, ex quacunq; cauſſa ſtipuletur, vel traditum accipiat, acquiratur filio res, & ſtipulatio, quēadmodum ſi extero promiſiſſet: quia perſona ſtipulantis, & accipientis ea eſt, ut ſine differentia, quod per eum agitur, emolumentum filii ſpectet. *l. Pater. §. Servus. 3. ff. de pecu. caſtr.* Sed ante aditam hæreditatem filijfamiliâs Militis, quicquid caſtrenſi ſervo legatur, ſi adeatur hæreditas, omnia ut in ſervo hæreditario ſpectanda ſunt: *l. In eo. 33. in pr. ff. De acquir. rer. dom.* ſi verò adita non ſit, ut in proprio Patris, ſpectare oportet. Prætereà cùm neque ſervus, neq; per ſervū dominus, qui apud hoſtes eſt, poſſideat, *l. Neq; ſervus ff. de uſuc.* tamen ſi

apud hostes moriatur, quicquid servus ejus, qui ab hostibus captus est, posteà stipulatur, hoc habebunt hæredes ejus, quia si captivitatis tempore decessisset, acquisitum foret hæredi ejus. *L.1.ff.De capti.& postlim.* Atq; si quid servus peculij nomine, dum apud hostes esset, possederit, id eo tempore Miles usucapiet: eas namq; res inscientes solent usucapere. *l.Si postliminio.29.ff.eod.titu.* Hoc modo etiam hęreditas nondum nato posthumo, aut nondum adita augeri per servum hæreditarium potest. In quo tamen paulùm attendendum censeo: nam si servus ejus, qui in hostium potestate est, emerit, in pendenti esse usucapionem Julianus ait, cùm, si dominus reversus fuerit, intelligitur usucaptum: si ibi decesserit, non intelligitur usucepisse: nam fieri non potest, ut quisquam plus juris habeat in ijs, quæ servi egerunt, quàm in ijs, quæ per se possidebat, cùm ad hostes pervenit. *l.Si is, qui. 15. ff. De usucap.* Sanè per captionem interrumpitur usucapio, & ipsi reverso non prodest. Proinde filia Militis apud hostes defuncti, quæ illi hæres existit, ad Matrem transmittit successionem: *l. Apud hostes. C. de suis, & legiti. liber.* quæ item, cùm secundum legis Corneliæ beneficium adierit hæreditatem, vel petita bonorum possessione successerit, bona illa vindicare non prohibetur. *l. Si his, C. De legiti. hære.* Sed cùm militum successiones alio loco latis-

latissimè tractandæ sint, hîc annotasse sufficiat, si filius, cùm in Patris potestate esset, in insulam deportari meruit, peculium ejus, vel quod in castris acquisivit, vel quod ei militaturo Pater donavit, Patri auferri non debere. *l. Si filius. 3. C. De bonis proscript.* Atque ita hæredes ejus, qui primipilum administravit, commoda administrationis petere poterunt, si ille prius, quàm ea acceperit, rebus humanis exemptus est. *l. 1. C. de Primipil. lib. 12.* Oportet enim non Militum hæreditates tantùm sartas, tectasq; esse, & ad hæredes æquo jure pervenire: sed etiam si quod ædificium in solo publico Miles extruxerit, aut quicquam pro utilitate sua fecerit, id in suo jure perpetuò remanere, & nullius calumniis everti, Honorius, & Theodosius voluerunt. *l. 1. titu. De rei vendicat. in C. Theodosii.* Nimirum illis non modò non invidendum, sed & maximè favendum est.

Caput XIII.

Quomodo Milites hæredes instituant, vel instituantur.

Vnusquisque nostrûm summo studio curare debet, ut filios, quos habet in potestate, hæredes instituat, vel nominatim exhæredes faciat: nam si eos silentio præterierit, inutiliter testatus censebitur. *Inst.*

De exhær. liber. in pr. Hæc quidem est generalis omnium regula; à qua tantummodò Milites excipio: qui in expeditionibus occupati si testamentum faciant, & Liberos suos jam natos, vel posthumos nominatim non exhæredaverint, sed silentio, non ignorantes se Liberos habere, præterierint, silentium istud pro exhæredatione facta valet. *§. Sed si. Inst. Eod.* Hîc vides, Milites, præter jus commune, singulare privilegium habere. Ac velut Miles hoc jure speciali filium potest silentio præterire, ita filiusfamiliâs Miles, similiter ac Paganus, nominatim à Patre aut hæres scribi, aut exhęredari debet, sublato ad hæc Divi Augusti edicto, quo cautum fuerat, ne Pater filium Militem exhæredaret. *l. Filiusfamiliâs. 26. ff. de liber. & posthu.* In quo Paulus mihi rectè sic scripsisse videtur: si apud hostes est filius, Pater jure facit testamentum, & potest eum præterire: sed si in potestate esset filius, nihil omninò valiturum esset testamentum. *l. penult. Eod. tit.* Hîc mirari non debes, filium apud hostes, qui jure civili putatur mortuus, hæredē institui, quia jure postliminij omnia civitatis jura in suspenso sunt, neq; rumpuntur. Itaq; reversus ab hostibus adire poterit hæreditatem. Item reversus potest jubere servum, qui hæres est institutus, adire hæreditatem: & si ibi apud hostes decesserit, qui ei hæres existit, per servum hæres fiet. *l. Illa institutio. §. 1. ff.*
De hæ-

De hæred. institut. Nam eos actus, qui non statim, sed posteà alicujus rei alienationem præstant, illo maximè tempore spectare, & considerare debemus, quo habere effectum consueverunt. *l. Ex castrensi.18. §. 1. ff. de Castrensi peculio.* Porrò Miles filiusfamiliâs à Commilitone, vel alio, quem per militiam cognovit, hæres institui potest: atque tunc sine Patris arbitrio pro hærede poterit se gerere: *l. Miles. 2. ff. De pecul. castr.* quod suprà in Capite de peculio annotatum est: nam societas illa laboris affectioni fraternæ nonnihil addidisse videtur, neq; inter Cives tantùm, sed inter nos, & Barbaros. *l. 1. & 4. C. De pecul. castr.* Atque adeò inter nos, & hostes militiæ illud sodalitium nescio quid fraternæ charitatis præ se fert. Cujus quidem rei unicum exemplum propono. Cùm Perannius Romanorum Dux Gothos Romam obsidentes in fugam vertisset, Romanus quidam pedes in altam foveam, seu puteum, quo exhausta humus editos à se fructus recipit, delapsus est, ibique noctem peregit. Sequenti die cum Gothi in fugam agerentur, Gothus in eandem foveam cadit: tuncque conciliata amicitia fidem sibi mutuò tradidere, alterius salutem curæ utrique fore. Tum emissa ingenti voce, Gothi proximi percunctabantur, cujusnám vox esset: at Gothus intus latens, Romano ex industria subticente, patria

lingua respondit, & restim petiit: illi statim reste summissa, Romanum primò evexerunt: inde Gothum: tandem rei novitate stupefacti, & tam benè compositam à Fortuna inter hostes amicitiam admirantes, Romanum incolumem in Urbem remiserunt. *Procopius lib. 2. Belli Gotho.* Sed plura dicamus de militum institutione. Ac primùm, cùm deportati hæredes institui non possint jure communi, sintq; plurimi, quibuscum testamenti factio nulla est, omnes tamen illi à milite hæredes institui possunt: *l. 1. C. De hæredib. instit.* ac si quis mortis tempore talis reperiatur, qui à milite institui possit, valebit ea institutio; ideoque si servum pœnæ hæredem scribat, institutio nulla erit, nisi mortis tempore in civitate inveniatur: tunc enim institutio incipit convalescere. *l. Idem est. 13. §. Et deportati. 2. ff. De milit. testa.* Si autem Servum proprium, quem tamen liberum esse credidit, hæredem sine libertate Miles instituat, in ea conditione est, ut institutio non valeat, *d. l. Idem est. §. Si Servum, cum §. seq. Eod.* nisi manifesta sit Testatoris voluntas, qua libertas simul, & hæreditas ad eum pervenire censeantur. Præthereà cum jure communi hæres ex certo tempore, aut ad certum tempus in hæreditatem vocari nequeat, *Instit. De hæredib. instituend. §. Hæres.* Miles tamen ad tempus hæredem facere potest, & alium post tempus, vel ex conditione, vel in condi-

conditionem: *l. In fraudem, §. Miles. 4 ff. De test. milit.* quod Gordianus Imperator Aeterno militi rescripsit. *l. Certi. C. eo. titu.* Item similiter potest hæredes instituere, alium quidem rusticorum, alium urbanorum prædiorum, alium verò cæterarum rerum, valebitq; ea institutio, atq; perinde habebitur, ac si sine partibus hæredes instituti essent. *l. Si certarũ in pr. ff. eo. titu.* Cùm igitur alium castrensium, alium quoque cæterarum rerum hæredem scripserit, quasi duorũ hominum duæ hæreditates intelliguntur: ita ut in æs alienum, quod in castris contractum esset, is solus teneatur, qui Castrensium rerum hæres est institutus: extra castra verò ære alieno contracto is solus obligetur, qui cæterarum rerum hæres relictus est. Quòd si alterutra pars bonorum æri alieno non sufficiat, & propter hoc, is, qui ex ea parte, qua pendet æris alieni contracti caussa, hæreditatem non adierit, alter, qui adiit, compellendus erit aut defendere totam hæreditatem, aut totum Creditoribus solvere. *d. l. Si certarum §. Iulianus Eod.* Insuper, sicut miles nuda voluntate hæreditatem dare potest, ita etiam adimere: *d. l. In fraudem. §. Sicut. Eod.* veluti si eodem testamento eundem hæredem, deinde exhæredem fecerit, adempta videtur hæreditas: cùm tamen in Paganorum testamentis sola exhæredatione hæreditas adimi non possit. *d. l. si certarum*

§. Si eodem. Eod. Exemplum habes, hæreditatem Servo adimi non posse, propter quam Liber, & hæres esse jussus sit: & quamvis dominus eodem testamento ademerit libertatem, nihilominus & hæreditatem, & libertatem habebit. *l. Si ita scriptum. §. Regula. ff. De Liberis, & Posthu.* In Jure demum certum est, militem, qui scit se filium habere, & alios facit hæredes, tacitè eum exhæredare: si tamen ignorat se filium habere, non obest filio adēptio hæreditatis. *l. Sicut. C. De test. milit.* Hinc Imperatores Justino militi rescripserunt: *l. Si cum C. Eod.* si, cùm in utero esset filia inscio patre milite, vel cùm non esse eam in humanis, falso rumore perferretur, in testamento patris sit præterita, hoc silentio exhæredata nō intelligitur. Ad extremum dico: ut captatoriæ omnes institutiones in testamentis à Senatu rejectæ sunt, *l. Captatorias. ff. De hær. inst.* Ita & illas in militum testamentis nullius momenti esse Imperatores prudenter censuerunt: *l. Captatorias, C. De test. mil.* non enim privilegiorum multitudinem, quæ militibus concessa sunt, in fraudem, damnúmve alienum erumpere oportet.

Caput XIV.

De Substitutione militari.

QUEMADMODUM verborum vis, & natura exigit, ut nemo subordinari possit

ci,

ei, qui non est ordinatus, ita nemo substitui potest ei, qui prius non fuerit institutus: ex quo facile colligere est, substitutionem sine institutione esse non posse. *glos. l. 1. ff. De vulg. & pupil.* Erat autem consuetudo Romanis, dum testamenta conficerent, ut primis hæredibus secundos adderent, ut, si primi hæreditatem non adijssent nanciscerentur ultimi. *Appianus, lib. 2. De bel. civil.* Quod aliquando constitit in testamento Julij Cæsaris publicè recitato post mortem ejus: in quo Octavius adoptivus filius hæres institutus erat: Decimus autem Brutus inter secundos hæredes repertus: quod triste Romanis longo tempore visum est, cùm ipse ex ijs, qui in necem Cæsaris conjuraverant, Princeps fuisset. Nos sanè hoc loco de compendiosa tantùm substitutione tractabimus, reliquas species, Vulgarē scilicet, Pupillarem, & Breviloquam, relinquentes: nam ista Compendiosa (quod ad militē facit) disjuncta est species: diciturq; Compendiosa à verborum compendio, quibus Vulgarem, Pupillarem, & Exemplarem continet. Sive enim hæres non sit institutus, sive sit hæres, & in pupillari ætate, vel furore moriatur, substitutus jure cōmuni succedet. Compēdiosę substitutionis istud propriū est, quòd tractū temporis in se cōtineat, licet sub cōpendio plureis substitutiones cōplectatur Diximus itaq; militis insigne privilegiū esse, quòd

quod potest hæredi per eum instituto, sive sit filius, sive extraneus, sive impubes, sive major natu, substituere directò, etiam post pubertatem, & ad quodcunq; tempus placuerit: *l. Milites. 5. & l. Miles. 41. ff. De testamen. milit.* ut si dicat: *Instituo Petrum Commilitonem meum: & quandocunq; decesserit, substituo Ioannem.* Hîc directè instituitur, & substituitur, ac substitutus accipiet bona testatoris, cum fructibus in hæreditate inventis, jure directo, manu propria, propria autoritate. *l. Centurio. ff. De vulga. & pupil.* Et ista est Compendiosa, prout distincta est species ab alijs: nã si Miles substituat filio impuberi, quandocunq; decesserit, propriè est Compẽdiosa: quia directa, ut dixi, Vulgarẽ, & Exemplarẽ, & Pupillarẽ continet. Quod si institutus non est hæres, sive est hæres, tamen neq; in pupillari ætate, neq; in furore moritur, sed post pubertatem, jam erit Compendiosa, tanquam distincta species ab alijs, quia substitutus accipiet bona Testatoris cum fructibus inventis in hæreditate ipsius post mortem instituti. Reliqua bona pupilli, qui pubes factus est, accipient hæredes ab intestato: vel si fecerit testamentum, hæres testamentarius succedet. Ita intelligo Papiniani responsum *d. l. Centurio.* non procedere solùm in impubere per militem instituto, sed etiam in majori natu, cui militariter substitueretur. Verba quidem directa

cta in substitutionibus ea esse interpretor, per quæ immediatè succeditur testatori, alterius neq; factum, neq; ministerium requirendo. In substituto sanè id procedit, ad quẽ bona post mortem instituti hæredis directè, & immediatè devolvuntur, nihil omnino distinguendo: *Gl. l. Eam quam. C. De fideicom.* veluti si dixero, hęres esto, hęredẽ instituo, hæreditatem relinquo. *ff. De hæred. inst. per totum.* Sed quid, si testator Miles instituit filium impuberem, & substituit ei compendiosè, quandocunq; morietur iste filius? Fingamus jam in pupillari ætate mortuum: tunc substitutus jure pupillaris, bona patris, & filij, exclusa etiam matre, accipiet. Sed si post tempora pubertatis, ille filius moritur, mater, quæ mortuo filio post pubertatem bona ejus occupaverat, restituet substituto bona Testatoris, velut jure fideicommissi, quamvis verè non sit fideicommissum. *l. Precibus. C. De impub.* Atq; licet in Rescripto illo Imperatorũ Diocletiani, & Maximiani *d. l. Precibus.* sint ista verba directa, hæredes scripsit, hæredes habeat, tamen favore matris verè, & non per simulationem obliquantur: ita ut mater filio succedat, sed bona Testatoris cogatur substituto restituere: sic verba directa favore matris obliquantur. Ne igitur tantis ambiguitatibus, quantas congesserunt Doctores, involvamur, dicimus: filio impubere per mi-

litem

litem instituto per Compendiosam, quandocunq; decesserit, post tempora pubertatis substitutus accipiet bona Testatoris jure directo: si autem in medio sit mater, accipiet bona Testatoris per fideicommissum, & petet à matre, quæ deducet quartam. Habes istud militis privilegium apertè expositum. Jam verò cùm militis in testando sola voluntas spectetur, *Instit. De hæredib. instit. §. hæreditas Vers. Neq; enim.* ac illi concessum sit, pro parte testatum, & partim intestatum decedere, potest hac mente substituere hæredem, ut ea sola velit ad substitutum pervenire, quæ ab illo ad institutum pervenerint: *l. Sed si plures §. Ad substitutos. ff. De vulg. & pupill.* in pupillari autem Paganorum substitutione, si quid posteà pupillis obvenerit, comprehenditur: neque enim Testator suis bonis, sed impuberibus substituit: quod tamen, ut dixi, in milite non observatur. Nam milites ijs etiam, qui hæredes eis extiterint, possunt in his duntaxat substituere, quæ testamento eorum fuerint assequuti: *d. l. Milites. ff. De test. mil.* possunt quoq; & exhæredatis, & emancipatis filijs substituere, sed in rebus tantùm, quæ ab ipsis ad eum, cui substituunt, pervenerint. *l. Miles. 41. §. Miles & emancipato filio 4 ff. Eod.* Addamus etiam hoc loco: si in testamento ejus, qui non miles fuit, duobus hæredibus institutis, altero, cui potuit usq; ad tempus pubertatis facere testamen-

ſtamentum, altero, cui poſtquàm hæres extitit, ſubſtituere non potuit, ſubſtitutio invicem iiſdem verbis facta ſit, illa hoc caſu locũ habet, quo utriq; pari ratione potuit ſubſtitui. *l. In teſtamento. 6. C. De teſt. mil.* At ſi ex teſtamento militis ſit controverſia, notum eſt, licere militibus ex privilegio etiam hæredibus extraneis mortuis, poſtquam hæredes extiterint, ſubſtituere.

CAPUT XV.

Teſtamenta Militum. I.

HIc vereor, ne quis Philoſophus rem plus ſatis ridiculam arbitretur, Juriſconſultorũ more, teſtamentorũ rationes vel ordinare, vel ſcribere. Nam illi, dũ extremas tantùm volũtates inſpiciunt, è quibus omnia judicare volũt, nõ vident morituros omneis, aut qui ſe jamiam mori putant, ſtulta quadam, & abjecta moroſitate premi, ac ſæpius ſibi ipſis minimè conſtare: atq; ideo illorum voluntatẽ non aliter conſiderari debere, ac ſi à mente abalienati eſſent. Quod ſi verum eſt, non tam inviolata, ut volunt, teſtamenta eſſe debent, quę extremę voluntatis judicia ſunt. Eſt enim proculdubiò difficilè admodũ morituro, res ſuas, ac ſeipſum cognoſcere: tum nullus Philoſophus exiſtimat rem familiarem eſſe morituri, quin potius & præteriti, & futuri generis, imò totius Reipublicę tum genus

genus esse, tum divitias. Neq; etiam inauditum est, eos, quos morbus abripit, vel seniũ vexat, assentationibus, ac blanditijs sæpissimè commoveri, distrahiq; velut furore quodam lymphatico. Id quod sapienter prospexisse videtur Ulpianus, dum decernit, *l. Si quis* §. 1. *ff. De Senatuscon. Sylla. & Claud.* si quis moriens dixisset à Servo vim mortis sibi illatam esse, domino credendũ non esse, si moriens hoc dixit, nisi potuerit probari: nam in morituris plerumq; ratio vacillat. Veruntamen hoc loco grave nimis esset, non licere militi, cuicunq; velit, sua relinquere, atq; extremas eorũ voluntates ratas non haberi, in ijs præsertim, quę lõgo labore, & industria quæsiverunt. Quas tamen non solùm firmas manere sancitũ est, sed & Divus Traianus scriptũ reliquit, milites quoquo modo volent, facere testamenta, sufficereq; nudam Testatoris voluntatem. *l. 1. ff. De testam. milit.* Similiter quoque Papinianus ait, *l. Ejus militis.* §. *Nec tamen. Eod.* quomodocunq; miles testamentum fecerit, novissima voluntate rescindi posse: quoniam militis voluntas testamentum est. Adhæc, imperfectum testamentum militis perfecti potestatem habet, cùm sola perficiatur voluntate: & qui plura per dies singulos scribit, sæpè facere testamentum videtur. *l. Miles. seq.* Intelligimus jam militum voluntates ratas habendas esse: *l. Divus. 24. ff. De testa. milit.*

milit. oportet tamen prius constare, testamẽta esse facta, qualia & sine scriptura, & à non militantibus fieri possunt. Fiebant autem militum testamenta in procinctu, cùm milites ituri in prælium nulla legum solennitate, tribus, aut quatuor adhibitis testibus raptim apud Commilitones testabantur. Ita scriptum est in Annalibus, ante Numantiam deletam tam ferum fuisse Q. Macedonici in Hispania Imperium, ut, cùm urbem Cantabriam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinq; Cohortes Legionarias eodem protinus subire juberet, facientibus omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem ruendum foret. *Velleius Paterculus, lib. poste.* Divus Julius Cæsar primus militibus liberam testamentorum factionem concessit, sed ea concessio temporalis erat: *l* j. *ff. De test. milit.* posteà verò primus Divus Titus dedit: pòst hæc Domitianus: deinde Divus Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit: eamq; & Traianus sequutus est: & inde mandatis Principum inseri cœptum est, milites, quomodo voluerint, facere testamentum, sufficereq; eorũ nudam voluntatẽ. Hoc modo notũ est, Julium Cęsarẽ scripsisse primùm Cneũ Pompeium hæredẽ testamento, idq; militibus publicè pro concione recitavisse. Sed posteà novissimo testamento, quod voluntate sola va-

luisse confitemur, treis instituit hæredes sororum nepotes, C. Octavium ex Dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium ex Quadrante: populo hortos circa Tiberim publicè, & viritim trecenos sestertios legavit. *Tranq. in vit. Iul. Cæsa.* Apud Athenienses quidem ante Solonem non licebat aliò derivare hæreditates: nam pecunias, simul & domum in familia defuncti manere oportebat. Solon autem permisit, pro cujusq; voluntate, cui superessent filij, hæredem constitui: atq; ita sibi visus est amicitiam propinquitati, & gratiam necessitati prætulisse. *Plutar. in vita Solo.* Hocq; modo militibus conceditur, suo jure testari: decisumq; est, ultimam militis voluntatem vim postremi judicij obtinere. *l. si C. de inoffic. testa.* Hinc pergentes ad prælia res suas donare sibi mutuò possunt, licet non ita sit inter privatos: id enim illis Imperatores concessere. *l. Licet. C. De pactis.* Neq; credendum est, militē, qui jure communi testari voluit, statim beneficio militari renuntiasse: nam nemo genus testandi eligere videtur ad impugnanda sua judicia: tuncq; militē propter fortuitos casus utroq; genere testari voluisse, censendum est: spectamus enim tantùm ipsam voluntatem. *l. Similes 3 ff. De test. mil.* Sed ne ordinem testamentorum, quorum materies in jure latissimè patet, confundamus, hîc primùm dicendum est de ijs, quæ Militis testantis personam

ſonam reſpiciunt. Præmitto igitur, furioſum, mutum, poſthumum, infantē, filium familiâs, & ſervum jure communi teſtamentū facere non poſſe: attamen teſtamenti factionē habere, cùm ex teſtamento ſibi, vel alij acquirere poſſint. *Inſtit. De hæred. qualit. per diſc.* Nunc ſingularia militum jura accipe. *l. 2. ff. De teſt. mil.* Etenim mutus, & ſurdus etſi teſtamētum facere non poſſint, *l. Qui in poteſtate. §. 1. ff. Qui teſt.* ſi tamen quis Miles mutus in numeris exiſtat, vel ſurdus, teſtamentum facere poterit ante cauſſariam miſſionem: *l. Iure 4. ff. De teſta. milit.* idq; intelligo, quatenus militat, & in caſtris degit: nam ſi extra caſtra fecerit, omniū communi Romanorum jure feciſſe intelligetur. *Inſt. De milit. teſt. §. quinimo. & ſeq.* Præterea, qui incertus eſt, an ſui juris ſit, dubitatq́;, an ſibi teſtari liceat, is neq; teſtari, *l. 1. ff. De lega. tertio.* neq; fideicommittere poteſt: *l. Ex milita. §. Si Miles. ff. De teſt. milit.* ſi tamen miles incertus, an ſui juris ſit, teſtamentum fecerit, id ſanè in ea conditione erit, ut valeat. Siquidem ſit incertus, pater vivat, necne, & teſtamentum fecerit, teſtamentū valebit, cū tamen de ſtatu ſuo dubitantes, vel errantes teſtamentum facere nequeant: quippe qui de ſtatu ſuo incerti ſunt, certam legem teſtamento dicere non poſſint: *l. Qui in teſtamento. 14. cum l. ſeq. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* quod tamen Militibus conceſſum eſt. *d. l. Ex milit. §. Si miles. ff. de teſtam. militis.*

Si tamen, ignorantes Patres ſuos deceſſiſſe, de Caſtrenſi peculio in militia teſtati ſint, non pertinebunt ad hæredes eorum Patrum bona, ſed ſola caſtrenſia: quia pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poteſt: *l. Si miles. 6. ff. De teſta. milit.* ideoq; ſi ex fundo unum hęredem ſcripſerit, credetur, quantum ad reſiduum teſtamenti, inteſtatus deceſſiſſe. Filiusfamiliâs autem paganus exiſtens, ſi de Caſtrenſi peculio fecerit teſtamentum, ignoretque ſe patri hæredem exiſtere, non cenſebitur pro caſtrenſibus teſtatus, pro paternis inteſtatus deceſſiſſe, ſicut Miles: ſed tunc caſtrenſis peculij hæres ſcriptus univerſa bona habebit: *l. De hæreditate. §. filiusfamilias ff. De caſt. pecul.* in quo ſummam extremæ militum voluntatis obſervationem manifeſtè potes cognoſcere. Accedit aliud Privilegium. Cùm jure communi ij, quibus aqua, & igni interdictum eſt, neque facere teſtamentum poſſunt, neque, ſi antea fecerint, valebit: ij quoque, qui ad beſtias, aut ad ferrum, aut in metallum damnantur, teſtamenti factionem non habent: *l. Eius, qui §. 1. 2. 3. & 4. ff. Qui teſta.* militibus tamen, etiamſi ex militari delicto capite damnati ſint, ex bonis Caſtrenſibus teſtamentum licet facere, niſi ſacramenti fides ſit rupta. *d. l. Ex militari in fin. pr.* Paulus enim, & Menander militi teſtamentum facere permiſerunt, etiamſi pœ-

nas capitis meruerit: quod intellige ex militari delicto (ut dixi) non communi. *l. 1. ff. De vete. & mil. succes.* Ita ergo testari ei permittitur, ut, si quod habuerit antea factum, testamentum valeat: & si militari jure ei testandum sit, dubitari non oportet, quin, si voluerit valere testamentum, fecisse id credatur: spectamus enim solam voluntatem. *l. Si quis §. Sed & si. 6. Vers. Qua ratione. ff. De injust. rup. irri.* Existimo tamen eum impetrare debere testamenti factionem ab eo, qui sententiam dixit: quod Hermogeniano visum est, *l. Si quis 22. §. Miles. ff. De Leg. tertio.* cui accedit Ulpiani responsum, *l. Cùm hic §. Si miles: ff. De donat. inter virum, & uxo.* Si miles uxori donaverit de Castrensibus bonis, & fuerit damnatus, quia permissum est ei de his testari (si modò impetravit, ut testetur, cùm damnaretur) donatio valebit. Neque tamen ex Imperatorum rescripto permittitur ob militare flagitium damnatis aliarum, quàm castrensium rerum, testamentum scribere. *l. Et militibus. 13. C. De test. mil.* Veruntamen Miles in hostium potestate positus facere testamẽtum non poterit: *l. Facere. ff. De testam. milit.* nam impedimentum servitutis est de jure gentium: cum quo non facilè fit, ut jus civile dispenset. Tribuni autem, & præfecti, & cæteri, qui militare desinunt, omnesq́;, qui ejus sunt conditionis, ut jure militari testari non

possint, si apud hostes sint, & illic decedant, quomodo velint, ac potuerint, testamentum scribent: *l. si ff. eo. tit.* quod & Ulpiano visum est: *l. Unic. ff. De bono. pos. ex testam. milit.* Sed pupillo militi non permittemus testamentum conficere, cùm indignum Justiniano, ac Jurisconsultis videatur, hunc militum privilegijs gaudere, qui stabilem mentem nondum adeptus est, cujus animi nullum est certum judicium. *l. fi. C. De testam. milit.* Ii tamen, si in potestate parentum sint mentis compotes, nihil impedit, quo minus testari possint ex his, quæ in castris acquisivere: sunt enim sua propria castrensia. *Insti. Quib. non est permis. face. testa. in pr.* Hîc tandem concludemus ex Papiniani Responso, *l. pen. ff. De testa. milit.* filiumfamiliâs equestri militia exornatum, & in comitatu Principum retentum, cingi confestim jussum, testamentum de castrensi peculio facere posse: nam ex eo tempore jure militari incipiet testari, quo in numeros erit relatus. *l. Ex eo tempore. 42. ff. Eod.* Etenim Divus Pius rescripsit *l. Idemq; erit. §. 1. ff. Eod.* in eo, qui, cùm esset Paganus, fecit testamentum, ac mox militare cœpit, illud quidem militari jure valere, si hoc maluit miles.

Cap.

CAPUT XVI.

De Testamentis militum. II.

SECUNDO loco dicendum est de ijs, qui militum testamento hæredes scribi possunt. Ac primùm advertendum est, milites servos proprios sine libertate hæredes instituere non posse, *l. Idem est. 13. §. Si servum. 3. ff. De test. milit.* quia jure communi jus gentium nullo utiq; modo imminuitur: servitus autem est de jure gentium. Sed cùm servi sub appellatione libertorum hæredes sunt scripti, id ita benignè est interpretandum, ac si liberi, & hæredes instituti fuissent. *l. 2. C. De necessa. servis.* Ergo milites, quantum ad hæc, contra jus gentium nullum privilegium habent: neque item contra jus civile, si alterius jus tollitur: nam scriptum est, militem in fraudem Creditorum non amplius, quàm unum, necessarium hæredem facere posse. *l. in fraudem in pr. ff. De test. mil.* Atq; ideo si miles dotalem fundum legaverit, non erit ratum legatum propter legem Juliam, *l. sequen. Eod.* qua dotale prædiũ invita muliere alienari prohibetur. *in pr. Instit. Quibus alie. non licet.* Quando verò miles jus alterius non tollit, tunc institutus nonnulla habet privilegia: ac illud imprimis, quòd deportati, & ferè omnes, qui testamẽti factionem non habent, à milite hæredes institui possunt: *d. l. Itẽ est 13. §. Et deporta. 2. ff. De test. mil.*

cùm de jure communi, qui deportantur, si hæredes scripti sunt, tanquam peregrini nihil capiant: & hæreditas in ea caussa est, in qua esset, si scripti non fuissent. *L.1. C.De hæredi. instit.* Propterea Paulus *l.Si deportati.§.1.ff.De lega.3.* ex sententia Marcelli prudenter respondit, si Miles deportato fideicommissum reliquerit, id eum capere posse: & generaliter in omnibus, quos Miles hæredes scribit, id dici potest, institutionem vires habere, si mortis tempore talis inveniatur, ut à milite institui potuerit. *d.l.Idem est.13. §. Et deportati. 2. in fin.ff.De testam. milit.* In aliis autem tria tempora considerantur: primum tempus testamenti: secundum tempus mortis Testatoris: tertium, cùm adiit hæreditatem. *l.Si alienum.49.§.1.ff. De hæred.instit.* In milite verò solum tempus mortis inspicimus. Præterea in favorem militis à jure est introductum, ut mulieri, in quam turpis suspicio cadere potest, nihil testamento relinquere possit: *l. Miles.41. §.mulier.ff. De testam. milit.* eam intelligo, quæ stupro cognita in contubernio militis fuit: *l.Mulierem.14.ff. De iis, qui ut indig.* aliis autem donationes, si quas personis inhonestis facere velint, non sunt prohibitæ affectionis gratia *l.Affectionis.5.ff.De don.* Crediderim tamē, si mulier mortis tēpore talis inveniatur, ut à milite institui possit, in quā scilicet per id tēpus turpis suspicio nō cadat, hæredem rectè

scribi

ſcribi poſſe, per ea, quæ ſuprà dicta ſunt. Demum Miles incertis perſonis nihil relinquere poteſt ex Reſcripto Divi Hadriani: nam neq; legata, neq; fideicommiſſa incertis perſonis olim relinquebantur, *Inſtit. De legatis. §. incertis.* Inſuper, militi hoc privilegium à jure conceſſum eſt, ut tam ſibi, quàm filio jure militari teſtamentum faciat: & ſoli filio facere poteſt, tametſi ſibi non fecerit, valebitq; teſtamentum, ſi pater in militia, vel intra annũ militiæ deceſſerit: *l. In fraudem. § Item. ff. De teſta. milit.* idq; Tryphonino Juriſcõſulto viſum eſt, *l. Miles ita. §. fi. Eod.* licet jus cõmune dicat, quiſquis Impuberi teſtamentum facit, ſibi quoq; facere debere. *l. 2. §. Quiſquis. ff. De vulga. & pupill.* Et quemadmodum certum eſt, militem, qui ſcit ſe filios habere, aliosq; ſcripſit hæredes, tacitè ſuos exhæredare: ita etiamſi ignoret ſibi filios eſſe, non oberit filio ademptio hæreditatis. *l. Sicut certi. 9. C. de Teſtament. milit.* Hinc Imperatores ſcripſerunt, ſororem à fratre militante hæredem inſtitutam bona ejus poſſidere, neq; filios Teſtatoris evincere poſſe. *l. Si à fratre. 14. C. Eod.* Hîc tandem annotabo, hæreticos neq; legatum, neq; fideicommiſſum, neq; hæreditatem accipere poſſe ex ultimis militum voluntatibus, ſive jure communi, ſive militari teſtentur. *l. fin. C. De hæretic.*

Caput XVII.

De Testamentis militum III.

Tertio loco commodè succedit forma, seu solennitas testamentorum militarium: in qua milites multis illustres sunt privilegiis. Primùm, ut testamentum in scriptis perfectum sit, oportet uno & eodem tempore septem testibus adhibitis, & subscriptione testium signacula testamentis imponi: deinde, per manus Testatoris, vel testium nomen hæredis exprimi. *Instit. De testa. ord. § Sed cum paulatim.* Si quis autem testamentum sine scriptis ordinare voluerit, septem testibus adhibitis, & sua voluntate eis manifestata, perfectum, firmumq; faciet. *§. fin. Inst. Eod.* At militibus propter nimiam eorum imperitiam tam diligens observatio remissa est, neque legitimum numerum testium, neque aliam solennitatem servare oportet: quoquo enim modo voluntas eorum suprema inveniatur sive scripta, sive sine scriptura, eorum voluntate testamentum valet. Illis itaque sufficiet, convocatis hominibus suam voluntatem declarare, ut rata, firmaq; sit. *Instit. De test. milit. §. 1.* Hoc modo Romani, cùm bellum gererent adversus Volscos Posthumio Cominio Arunco Consule, more suo in acie constituti, priusquàm clypeos recipe-

rent,

rent, togasq; circumcingerent, tribus, aut quatuor audientibus, sine scriptis testamentum confecerũt, hæredesq; nuncupaverunt: in quo solennis illa testium regula non observabatur. *Plutar. in vita Coriola.* Porrò favore militum introductum est, ut pater ejus, qui de castrensi peculio potest testari, adhiberi possit testis, testamento ante missionem confecto. *l. Qui testamento. §. Per contrarium. 2. ff. Qui testam. fac.* Quòd si post missionem factum est, nec pater rectè esse potest téstis, nec qui in ejusdem patris potestate est. *Instit. De test. ordin. §. In testibus 9. vers. Sed si filius.* Itaque legitimè factum testamentum esse probare oportet: *l. Lucius Titius. ff. De test. mil.* cui rei satisfacere putaverim duos tantùm testes. Etenim ubi numerus testium non adjicitur, duo sufficiunt: nam pluralis elocutio duorum numero concluditur. *l. Vbi. 12. ff. De testibus.* Neque mirari debemus, militum privilegium ad duos tantùm testes restringi, cùm nullorum magis intersit, talia exempla admitti, quàm eorum, quibus id privilegium datum est: alioquin post mortem militis testes existerent, qui facilè affirmarent se audivisse militem, qui bona relinqueret, cui illis videretur. *l. Divus. 24. ff. De testam. militari.* Adhæc cùm jure communi statutum sit, ut, si quis post factum testamentum illud mutare voluerit, omnia ex integro facienda sint: *l. Hæredes. §. 1. ff. Qui testam. fac.*

mili-

militis tamē teſtamentum facillimè vel confirmatur, vel infirmatur: nam, ut dictum eſt, ſola voluntate deſtrui poteſt, non ſecus atq; nuda voluntate poteſt fieri, *l. In fraudem. §. 1. ff. de Teſt. milit.* Et ſi cancellaverit teſtamentum ſuum, vel incîderit, nullius erit momenti: ſi tamen cancellaverit, & mox valere voluerit, valebit ex ſuprema voluntate. Ideò cùm miles induxerit teſtamentum ſuum, mox annulo ſuo ſignaverit, Judex, cui de ea re cognitio erit, conſiderare debet, quo propoſito id fecerit: nam ſi mutata voluntas probatur, revocatum teſtamentum intelligemus. Attamen ſi Veteranus moriens teſtamentum jure communi tempore militiæ factum irritum eſſe voluit, & inteſtatus eſſe maluit, hæredum inſtitutiones eodem in ſtatu remanebunt: *l. Militis. §. Veteranus, Eod.* nempe jure communi teſtamentum perfectum non ſic mutari potuit. *l. Sancimus. C. De teſtam.* Si qui verò legata petierint, exceptione doli mali jure communi ſummovebuntur, cùm nuda voluntate legata adimi poſſe, notiſſimum ſit. *l. 3. §. fi. ff. De adimen. lega.* In qua exceptione Papinianus ſcripſit, in re pari potiorem cauſſam eſſe poſſeſſoris: *d. l. Militis. §. Veteranus. ff. de Teſta. milit.* hoc ſcilicet modo: ſi Legatarius poſſidet, repellit hæredem exceptione, quaſi non habeat voluntatem defuncti: contrà, ſi hæres poſſidet, Legatarius eadem exceptione ſummove-

move-

movebitur. Militis verò teſtamentum quoquo modo noviſſima voluntate reſcindetur: nam voluntas Militis teſtamentum eſt. *l. Eius militis §. Nec tamen. 2. ff. De teſt. mil.* Aliud privilegium militare eſt. Cùm jure communi, qui impuberi teſtamentum facit, ſibi quoq; facere debeat, *l. 2. §. Quiſquis. ff. De vulga. & pupilla.* Miles tamen, ut ſuprà dixi, filio teſtamentum facere poteſt, quamvis ſibi non fecerit. Sequitur ergo, ut ad confirmationem tabularum pupillarium militis, aditio hæreditatis non ſit neceſſaria: etenim ſi militis non eſt adita hæreditas, tamen ſubſtitutio, quam pupillo fecit, valebit, cùm illi permittatur facere teſtamentum, quamvis ſibi non fecerit. *l. Miles ita. §. fi. ff. De teſtam. milit.* Item privilegium aliud eſt. Jure communi nemini licet plura facere teſtaméta, quin unum per aliud rumpatur: nam ſcriptum eſt, prius teſtamentum rumpi, cùm poſterius ritè perfectum eſt, *l. 1. & 2. ff. De iniuſt. rup. irr. facto teſtam.* niſi utrumque vice unius habeatur: *l. 1. §. Sed etſi in duobus. ff. De ſecund. tab.* militi autem licet plura teſtamenta facere: ac ſive ſemel fecerit, ſive ſeparatim, utraque valebunt. Hinc Miles, qui habebat jam factum teſtamentum, ſi aliud fecerit, & in eo compræhendat ſe fidei hæredis committere, ut priores tabulæ valeant, valebit utrumq;, cùm illi plura facere liceat: ſic tamen non ipſo jure valere voluit, ſed magis per fidei-

deicommissum, id est, in caussam fideicommissi vim prioris testamenti convertisse. *l. Quærebatur. 19. ff. De test. milit.* Hæc itaq; militum jura ex eo Imperatorum Rescripto pendent, *l. 1. ff eo. tit.* quo sancitum est, eos, quoquo modo voluerint, testamenta facere.

Caput XVIII.

De Testamentis militum IV.

Tandem quarto loco dicendum est de ipsa testamentorum militarium dispositione: in qua etsi jure communi idem non possit partim testatus, & partim intestatus decedere, id tamen militi à jure concessum est. *Instit. De hær. instit. §. Hæreditas. 5. vers. Neq; enim.* Hinc si miles unum ex fundo hæredem scripserit, quantum ad residuum, credemus intestatum decessisse, si ita voluisse constiterit: *l. Si miles. ff. de mil. test.* nam verisimile est, illum hæredi residuum dedisse: quòd cum in re certa, fundo scilicet, hæredem scripserit. Etenim si filiam ex duabus unciis, uxorem ex una hæredem fecisset, & de residuis portionibus nihil quicquam scripsisset, in treis parteis videtur divisisse hæreditatem: ut scilicet, quæ in sextante est hæres scripta, duas parteis totius habeat: quæ verò ex uncia est hæres, tertiam: declaravit enim testamento nō rem certam, sed quotas parteis: quod in Valeria-

leriani quodam Centurionis teſtamẽto obſervatum legimus, atq; eam inſtitutionem ex jure communi autoritatem accepiſſe. *l. Quanquam. 3. C eod. tit.* Miles igitur hoc ſpeciale habet, ut partim inteſtatus è vivis excedere poſſit. Ideoq; ſi, duobus ſcriptis hæredibus à milite, alter omiſerit hæreditatem, videbitur pro parte inteſtatus deceſſiſſe, niſi voluntas defuncti, ut dixi, probata fuerit, ut omittente altero, ad alterum vellet totam hæreditatem redire. *l. Si duobus. 37. ff. eod. titulo.* Poteſt etiam Miles bonorum, quæ in villa habet, ſolum hæredem facere: atque is petere non poterit ea bona, quæ in caſtris reliquerit, ſed ſuccedentes ab inteſtato: quia videtur noluiſſe caſtrenſia bona ad eum pervenire. *l. 1. C. eod. titu.* Proinde notandum eſt, verba enuntiativa in teſtamento militis emiſſa propter aliud, inducere diſpoſitionem. Servis quidem, in teſtamento Dominorum non data libertate, Legatum relictum, irritum eſt: *l. Servis. C. De legat.* neque Servus ex iis verbis, Fortunato Liberto meo do, lego, vindicare ſibi libertatem poterit, niſi Teſtator fuerit Miles: qui ſi nullo errore ductus Libertum credens dandæ libertatis animum habuerit, Liberto directa libertas competet, licet in teſtamento ſint verba enunciativa, quæ propter aliud

aliud ſcripta videbantur. *l. Ex his. C. De teſt. milit.* Inſuper, quemadmodum in portione bonorum ex privilegio competit militi, utut voluerit, liberè teſtari, ita & in temporis ſpatio, ut ex tempore, & uſque ad tempus inſtituere poſſit: *l. Miles. 41. ff. eod. tit.* quod ſuprà diximus in Capite de Inſtitutione. Nunc videamus, qualiter intelligatur militis teſtamentum. Planè illud intelligimus factum, quatenus militant, & in caſtris degunt, & quod in caſtris fecerint, poſt miſſionem intra annum tantùm jure militari valere. *Inſtit. De milit. teſt. §. Sed hactenus.* Si itaq; Titius, priuſquàm Tribunus Legionis factus eſſet, teſtamentum fecit, & poſteà cinctus eſt, ibiq; in militia defunctus, teſtamentum, quod fecit, ad jus commune pertinet, niſi, poſtquàm factum eſſet, probaretur dictum, quod valere vellet: nam conſtitutionibus Principum non militum teſtamenta, ſed quæ à militibus facta ſunt, confirmantur. *l. Titius. 25. ff. eod. tit.* Et ſi prius fecerit teſtamentum, deinde militare cœperit, non intelligitur militiæ tempore factum, niſi aliquo modo voluntatem ſuam declaraverit, veluti incîdendo tabulas, legendo teſtamentum, ſignando ſigno ſuo, perdûcendo, adjiciendo, emendando, aut quidvis aliud faciendo. *l. Tribunus. §. 1. ff. eod. tit.* Dictum eſt autem, ſi Miles intra annum, quo miſſus eſt, deceſſerit, valere teſtamentum, quod

quod jure militari fecerat: quod verum est, etiamsi post annum conditio institutionis extiterit: *l. Quod dicitur. 38. in pr. ff. eod. tit.* atque etiam intelligo ad eos duntaxat, qui mitti solent, id beneficium pertinere: ideò neque Tribuni, neq; Præfecti, qui militare desinũt, id privilegium habent. *l. Quod constitutum. ff. eo. tit.* Quæsitum est à Paulo, cùm Miles testamentum fecisset, deinde missus rursus in alia militia cinctus fuisset, valerétne testamentum jure militiæ, quod in militia fecerat: Respondit, Si intra annum, quo desiit in numeris esse, in aliam militiam assumptus est, jure militari valere: quia rursus eo jure testari posse videtur, suntq; quasi conjuncta munera militiæ. *d. l. Quod dicitur. §. 1. Eod.* Prætereà si filiusfamiliâs Miles capite minutus fuerit, vel emancipatus, vel in adoptionem datus à Patre suo, testamentum ejus valet quasi ex nova voluntate: *l. Miles filius. 22. ff. eo. titu.* ita etiam valent codicilli, quos captivus tempore captivitatis scripsit: licet jure subtili dicere non possimus testamento prius in civitate facto confirmari, quia non sunt ab eo facti, qui testamenti factionem habuit: verùm quia postliminio jus suum recepit, humanitati congruum est, eos effectum suum perinde habere, quasi nulla captivitas in medio intervenisset. *l. In bello. 12. §. Codicilli. 5. ff. De capti. & postlim.* Sed tamen si Miles in militia testa-

S mentum

mentum fecerit, codicillos poſt militiam, in eis juris communis regulæ ſpectari debent, quia non ſunt à milite facti. *l. Si certarum. 17. § fi. ff. De teſtam. mil.* Si autem Miles ante militiam teſtamentum fecit, & codicillos in militia, codicilli jure militari valent. *l. Conficiuntur. 8. §. ſi miles. 4. ff. De iur. codic.* Si tamen ante captivitatem quis codicillos confirmaverit, & in captivitate codicillos ſcribat, non valent. *l. Quædam. in pr. ff. cod. tit.* In ſumma, codicillis ad teſtamentum factis militis hæreditas jure datur: ideò ſi dimidiam codicillis dederit, teſtamento ſcriptus hæres alteram dimidiam ex aſſe habebit *l. Militis. ff. De teſt. mil.* Hæc verò privilegia ijs tantùm, qui in expeditionibus occupati ſunt, tribuuntur, *l. pen. C. eo. tit.* neq; Apparitores Magiſtrorum militum jure militari teſtari poſſunt, licet eorum nomina ſint in numeros relata. *l. Scriniarius. C. eodem.* Valent autem militum teſtamenta, ſive in vagina, ſive clypeo ſanguine quicquam annotaverint, vel in pulvere gladio inſcripſerint eo tempore, quo in prælio occubuere. *l. Milites. C. eo. titu.* Porrò veluti militum voluntates in teſtamentis ſpectari debent à Judice, ita etiam hæredes eorum non debent negligere, cùm Imperatores ſtatuerint, Patrem, & Matrem hæredes militis voluntatem ejus circa monumenti conſtitutionem diligenter obſervare. *l. Militis. 5. C. De Relig. & ſumpti. fune.* Is autem,

tem, qui in bello cecidit, etsi corpus ejus non appareat, lugeri tamen debet. *l. si in fin. ff. De iis, qui not. infam.* Majores verò minimè lugendum putaverunt eum, qui ad Patriam delendam, & Parentes, & Liberos interficiendos venit. *l. Minimè. 35. ff. De religio. & sump. fune.* Is autem filiusfamiliâs Miles, castrense habens peculium, qui contra Barbaros in acie diem suum obierit, summo cum honore sepeliri debet, & ad funeris impensas successores ejus obligantur. *l. Si filiusfamiliâs ff. eod. tit.*

CAPUT XIX.

De rupto, & irrito militis testamento.

QUAMVIS Cicero *lib. 1. de orat.* in hoc genere juris nulla esse judicia asserat, sic tamen quantum ad milites attinet, indicabimus testamẽtum rumpi vel alio testamento facto, vel agnatione sui hæredis, & irritari non adita hæreditate. *l. 1. ff. De iniuſ. rup. irri. testam.* Et verò ut militis testamentum rumpatur, strictim volũtas eorum observanda est: nam qui jure militari testatur, etsi ignoraverit prægnantem uxorem, vel cùm prægnantem scierit, hoc tamen animo sit, ut velit, quisquis sibi nasceretur, exhæredẽ esse, testamentum non rumpitur: *l. Qui iure militari. 7. De testa. militu.* in quo servanda est voluntas, cùm, si ignorans uxorem esse prægnantem,

ventris non meminerit, filia poſt mortem patris nata teſtamentum rumpat. *l. Militu. §. 2. ff. eo. tit.* Accedit Tertylliani Reſponſum, *l. Si filiusfamiliâs. ff. Eod.* Si filiusfamiliâs miles feciſſet teſtamentum more militiæ, deinde poſt mortem patris poſthumus ei naſceretur, utique rumpitur ejus teſtamentum: verùm ſi perſeveraſſet in ea voluntate, ut vellet adhuc illud teſtamentum valere, valiturum illud quaſi rurſum aliud factum. ſi modò militaret adhuc eo tempore, quo naſceretur illi poſthumus. Sed ſi filiusfamiliâs miles feciſſet teſtamentum, deinde poſteà vivo eo, & avo ſuperſtite naſceretur ei poſthumus, non rumpitur ejus teſtamentum: quia, cùm is, qui naſcitur, in poteſtatem ejus non perveniat, non videtur ſuus hæres adgnaſci: ac ne avo quidem ſuo hic nepos poſthumus ſuus hæres adgnaſcitur, cùm vivo filio naſcatur: ideò neq; avi teſtamentum rumpitur, quoniam licet inciperet protinus eſſe in poteſtate avi, tamen antecederet eum filius. Idcirco ſi filiusfamiliâs Miles teſtamentum fecerit, & per errorem omiſerit poſthumum, quem nolebat exhæredatum, deinde poſthumus poſt mortem avi, vivo filio, hoc eſt patre ſuo, natus fuerit, rumpit illius teſtamentum: & ſi Pagano jam illo facto natus ſit, non convaleſcet ruptum: & ſi militante adhuc natus fuerit, rumpetur: deinde ſi pater voluerit ra-

tum

tum esse, convalescet sic, quasi denuò factum. Sed & si vivo avo nascatur posthumus, hic non rumpet continuò patris testamentum: si supervixerit post mortem avi, vivo adhuc patre, rumpet: quia novus tunc primùm illi hæres adgnascitur: ita tamen, ut non possit duorum simul testamenta rumpere, & avi, & patris. Adhæc, alius casus est. Si quis filium exhæredaverit, nepotemq; ex eo præterierit, hæredem alium instituens, filiusque post mortem ejus supervixerit, licet ante aditam hæreditatem moriatur, nepos tamen non rumpet testamentum: nam alius eum mortis tempore præcedebat: *Instit. De hæred. ab intest. §. Sui autem. 2. vers. ita demum*, eaq; est Juliani, Pomponij, & Marcelli opinio *l. Si quis posthumos. §. Si filium. 2. ff. De lib. & posthumis.* Si autem filius Miles in hostium sit potestate, & ibidem decesserit, hoc casu nepos rumpet testamentum, cùm hic filius, qui vivente patre est captus, etiamsi post mortem sui patris moriatur, fingitur tamen lege Cornelia decessisse ea hora, qua captus est: rumpet enim iste Nepos testamentum, si pater apud hostes moriatur, succedendo Avo post mortem ejus. *l. Si quis. §. Sed si. 1. ff. De iniust. rupt. testam.* Nec ei obstat persona Patris captivi, quia non creditur in humanis rebus fuisse: licet, si captivus revertatur, facere possit injustum testamentum patris in eo præteritus. Si tamen

men Pater ab hostibus capiatur, filio hærede instituto in civitate manente, reverso eo non rumpitur testamentum, neque etiam filius postliminio rediens, etiam institutus rumpet patris testamentum. *l. Si pater. 9. & l. seq. ff. eo. tit.* Quærebat Jabolenus: si quis uxorem prægnantem habens in hostium potestatem pervenerit, eiq; nascatur filius, quo tempore testamentum factum rumpetur? an per captivitatem? an per nativitatem filij? non per captivitatem, quia fictione leg Cornel. quæ confirmat eorum testamenta, qui in hostium potestate decesserint, valebit: rumpetur ergo per nativitatem filii. *l. Qui uxorem. 15. ff. Eod. t.* Sed si præmoriatur filius, an reconvalescat? deciditur, non reconvalescere: sicq; hæreditatem ex eo testamento ad neminem pertinere, cùm in jure certum sit, ruptum testamentum nunquam restitui. *l. 1. & 2. C. de posthu. hære.* Est quoq; iste verè posthumus jure civili post mortem scilicet fictam natus, neq; redintegratur facilè testamentum: nam si Miles jure cõmuni testatur, posteaq; testamentum jure militiæ ex bonis omnibus faciat, & post annum militiæ vita decedat, testamentum, quod ruptum est, per secundum non redintegratur. *l. Militis. 36. §. fin. ff. De milit. testa.* Dein, cùm jure cõmuni testamenta eorum, qui doloris impatientia, aut aliqua furoris rabie se præcipites dederunt, non valeant, *l.*

2. C.

2. C. *Qui testam. fac. pos.* Militis tamen testamentum, qui doloris impatientia, vel tædio vitæ mori maluit, valuit, ex Divi Hadriani Rescripto, *l. Eius. ff. De mil. test.* qui in Epistola ad Pomponium Falconem ita distinguit. Si quidem ob conscientiam delicti militaris mori maluit, irritum erit ejus testamentum: si tædio vitæ, vel dolore, valet: & bona, si intestatus decesserit, Cognatis: aut si non sint illi, sunt, ut dixi, vindicāda Legioni. *l. Si quis 6. § 7. v. quòd si. ff. De iniust. rup. test.* Irritatur quoq; Militis testamentum, quotiens ab hostibus captus est: *d. l. Si quis. 6. § irritū. 5. Eod.* quod ita intelligi debet, si postliminio revertatur, vires jure postliminij recipere: si ibi decedat, lege Corn. confirmari: interim tamē irritatur. *d. l. si quis. §. pe. Eod.*

CAPUT XX.

De Legatis Militum.

NULLI omninò dubium est, milites Filiosfamiliās, licet sine testamento decedant, posse tamē fideicommittere, vel legare. *l. Filiusfamiliás. 114. ff. De Lega. 1.* atq; ideò hîc nonnihil de Legatis dicendum est. Paulus existimat militiam legari posse: *l. Mortuo. 49. ff. De leg. 2.* hoc est militiæ pretium, ut vult Ulpianus *l. Fideicommissa. 11 §. Si servo. 16. ff. De legat. 3.* Sed si Titius Mævio testamento militiam reliquerit, cumque supervixisset Titius testamento, militiam vendidit, & pretium exegit, quod

posteà dedit, ei cui militiam dari voluerat: & Mævius, post mortem Titij, militiam ab hæredibus Titij petat, Celsus existimavit, pretium militiæ præstari non oportere: nisi Legatarius ostenderit, Testatorem, post factam solutionem, iterum eum militiæ pretium accipere voluisse. *l. Lucius. 22. ff. De legat. 2.* Enimverò ut in testamentis magna sunt militum privilegia, ita & in Legatis: nam quo modo testari possunt (ne suprà dicta repetamus) ita & legare. Etenim si Miles ad sororem epistolam miserit, quam post mortem aperiri mandavit, fideicommissum, quod in ea relictum est, sorori deberi constat: spectamus enim supremam voluntatem. *l. Miles. 75. ff. eod. titu.* Ea voluntate si quis die natalis sui militibus divisiones dari voluisset exemplo Tiberij, qui, cùm æquis partibus hæredes testamento reliquisset Nepotes Cajum ex Germanico, & Tiberium ex Druso, universis Militibus Legata dedit, *Tranq. in Tiberio.* perpetuum Legatum intelligetur ex Rescripto Divorum Severi, & Antonini; *l. Cùm quidam. ff. De annu. legatis.* non tamen possunt incertis personis legare, cùm neque Legata, neque fideicommissa incertis personis relinqui concessum sit, *Institut. De legatis. §. incertis.* Potest autem Miles Titio & Mævio servum legare, quem si Titius manumittit deliberante Mævio, & mox legatum omittente, liber

liber erit Seruus: quia etiamsi hæres servum alicui legatum manumisisset, deinde Legatarius repudiasset, liber esset. *l. Si Miles. 31 ff. De testa. mili.* Præter hæc, veluti hæredem Milites instituere possunt eum servum, qui apud hostes est, ita & legare. *l. Servus ab. ff. De lega.* 1. Servus quidem ab hostibus captus jure legari potest: nam & res hostium legari potest, si casu aliquo emi potest: eaq́; est Sabini sententia. *l. Ab Omnibus 104. §. etiam. ff. eo. titu.* Si tamen ei, qui in hostium potestate est, legatum fuerit, & is apud hostes decesserit, nullius momenti Legatum erit, quamvis postliminio confirmari potuit. *l. Si servo. §. 1. ff. eo. titu.* Et si servus legatus ab hostibus captus sit, sine dolo hæredis non præstabitur: si verò dolo, præstari debet. *l. Quid ergo. § si ff. eo. titu.* Proinde annotandum est, si Milites Veterani Legata faciant, legem Falcidiam ad eorum testamenta pertinere, sive patresfamiliâs sint, sive filijfamiliâs, & intra annum missionis decesserint. *l. Ad Veterani. ff. ad l. falci.* Atq; etiam, si post missionem codicillos fecerint, Legata ex codicillis præstari debent, habita ratione Falcidiæ, dum tamen intra annum missionis moriantur. *l. Si post missionem. 17. ff. eo. titu.* Nam Veterani post missionem jure communi testari intelliguntur, & codicillos facere, à quibus Falcidia detrahitur. Milites verò si jure militari testantur, ex eorū

testamentis plena erunt Legata. Hinc scriptum est, si Miles, dum paganus erat, fecerit testamentum, & militiæ tempore codicillos, legem Falcidiam in codicillis tempore militiæ factis locum non habere: in testamento verò habebit. *l. fi. eo. titu.* Ideoq; sensit Marcellus, *l. Si Miles. 92. ff. eo. titu.* si Miles testamento facto partem dimidiam hæreditatis suæ tibi restitui jusserit, deinde post missionem, factis codicillis, alteram partem Titio restitui rogaverit, si post annũ missionis decedat, hæres tibi, & Titio quartam partem retinebit: quia eo tempore Testator decedit, quo testamentũ ejus ad beneficium militare pertinere desijt. Si verò intra annum missionis decedit, à solo Titio deducetur quarta pars: quia eo tempore Legatum est relictum, quo Testator jure militari testari non potuit, factis scilicet post missionem codicillis. Rectè igitur sanxit Alexander Imperator in testamento Militis jus legis Falcidiæ cessare. *l. In testamento. C. eo. titu.*

Caput XXI.

De bonorum possessionibus.

Post successiones ex testamento militari, hîc nonnihil dicendum est de ijs, qui militibus jure Prætorio succedunt. Neq; differentiam faciam inter bonorum possessionem,

nem, & possessionem bonorum, cùm nullam ex Jurisconsultis ne acutissimus quidem colligere possit. Bonorum itaq; possessio est jus persequendi, retinēdiq; patrimonij, sive rei, quæ cujusq;, cùm moritur, fuit. *l. 3. §. bonorū. ff. de bo. posses.* In quo Prætor exigit, ut is, cujus bonorum possessio datur, jus testamenti faciendi habuerit, & cum testamentum facit, & cùm moritur. *l. 1. §. exigit. 8. ff. De bono. pos. secun. tabu.* Hinc si filiusfamiliâs putans se patremfamiliâs testamentum fecerit, & mortis tempore paterfamiliâs inveniatur, non potest bonorū possessio secundum tabulas peti, quia tempore conditi testamenti testari non poterat. Atqui si filiusfamiliâs Veteranus de castrensi peculio fecerit testamentum, deinde paterfamiliâs factus decedat, potest ejus bonorum possessio peti, quia utroq; tempore potuit testari. *d. l. 1. §. Exigit. Vers. Sed si filiusfamil. Veteranus. Eod.* Et si quis decesserit, de quo incertum est, utrum paterfamiliâs, an filiusfamiliâs sit, quia fortè Pater ab hostibus captus adhuc vivit, nondum peti potest ejus bonorum possessio, quia, nondum intestatū eum esse, apparet, cùm incertū sit, possitne testari. Sed cùm cœperit certi status esse, tūc petenda est bonorū possessio. *l. 2. §. Si quis ff. Unde legit.* Prætereà requiritur cert⁹ obitus: etenim postquàm constat, Matrem apud hostes fati mun⁹ implevisse, hæredes possunt agnoscere

suc-

successionem per possessionem bonorum: sed non, cùm dubitatur, an sit mortua, an non. *l. Nec nos. C. De postlimi.* Propterea si Libertus captus ab hostibus, ibi decedat, quāvis Liberti appellatio nihil tunc ad eum pertineat, tamē propter legem Corneliam, quæ testamentum sic confirmat, atq; si in civitate decessisset, Patrono quoq; bonorū possessio danda erit: *l. Si necem. §. 1. ff. De bon. libertorum.* nam ejus, qui apud hostes decessit, bonorum possessio admitti potest, quamvis in servitute decedat. *l. Bona. § Sed & ejus 6. ff. De bo. posses.* Et si filij ab hostibus redierint, ad contra tabulas bonorum possessionem admittentur. *l. 1. §. Sed etsi ab hostibus 3. ff. de bono. pos. contra tabul.* Is quoq; qui ab hostibus captus post mortem Patris redijt, licet moriente Patre nihil habuerit, quia apud hostes erat, tamen ad bonorum possessionem admittetur: & conferet ea, quæ moriente Patre habuisset, si ab hostibus non fuisset captus. Nam si redemptus ab hostibus tempore mortis paternæ inveniatur, æquè collatio erit facienda; *l. 1. §. Qui ab hostibus. 17. ff. De colla. bono.* attamen castrense peculium fratribus non confertur. *d. l. 1. §. Nec castrense. 15.* Si demum filius ab hostibus captus sit, Uxor ejus prægnans in bonorum soceri possessionem mittenda est: nam aliquo casu spes est, id, quod nasci debet, inter suos hæredes futurum: utpote si Pater ejus apud

apud hostes moriatur. *l. 1. §. Si filius. 8. ff. De ven. in pos. mitten.* Sunt deniq; Creditores eorum, qui ab hostibus capti sunt, in possessionem bonorum mittendi: neq; tamen statim, ut in alijs, bonorum venditio permitti debet, sed bonis interim Curator dari. *l. In possessionem. §. 1. & 2. ff. Quibus ex caus. in pos. eatur.* Hîc disputare nolo, an filij Militum cum nepotibus ad bonorum possessionem admittantur: quod à Jurisperitis satis tractatum est: verùm hîc annotabo, in hoc Regno pluribus locis consuetudinem invaluisse, ut indistinctè nepotes cum filijs admittantur: quomodo legem tulit Otto Saxonum Rex, nepotes scilicet cū patruis æquo jure hæreditatem dividere. *VVitichindus Mona, lib. 2. De gest. Henri. & Ottonis.* Hæc autem de Militum testamentis satis sint.

CAPUT XXII.

Hostis.

CUM hostes sint altera pars belli, eos minimè prætereundos existimavimus. Hostis quidem apud majores is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: *Cice. offi. lib. 1.* quod nomen sequens ætas durius effecit, nam à peregrino jam recessit, & propriè in eo remansit, qui contra ferret arma: & qui nunc Hostes, olim perduelliones, seu perduelles. *l. Quos nos 234. ff. De verb. signific.* nam bellum

bellum Antiqui duellũ dicebant. Hostes itaque ij sunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decernimus. *l. Hostes. 118. ff. eodem titu.* Nam Ulpianus ita definit, hostes esse, quibus populus Romanus bellum decreverat, uel ipsi populo Romano: ut puta Germani, vel Parthi, quibuscum Romanis bellum erat. *l. Hostes. 24. ff. De capti. & postl. rever.* Planè Latrunculi, & Prædones hostes dici non possunt: nec qui à latronibus captus est, servus latronum est, nec postliminium illi est necessariũ. Qui verò ab hostibus captus est, servus est hostium, & postliminio statum pristinum recuperat. Hinc ejus, qui apud hostes decessit, dici hæreditas non potest, quia servus decessit: *l. 3. § 1. ff. De verb. signifi.* nam quos bello capiebant, jure gentium servos efficiebant, dominiumq; eo jure acquirebant. Atq; licet ex sua malitia lucrati nemo debeat, captivos tamen acquirebant, quia non per malitiam, aut fraudem agere, sed æqua cum Romanis caussa rem gerere existimabantur. Alij sanè contra Romanos propter æmulationem, alij pro libertate pugnaverunt: propter æmulationem Parthi: pro libertate Germani, qui tandem Romanum Imperium everterunt, quibuscum ad necem usq; pugnandum erat. Nã apud Atheniẽses in usu erat, adversus hujusmodi homines usq; ad victoriã: adversus Barbaros usq; ad necẽ decertare. *Plato in orat. Funebr.*

Funebr. Etenim Barbari ſunt veri Romanorũ hoſtes: quibus ſi quis facultatem fecerit deprædandi agros, vivus comburi debet: *l. Si quis 9 C. De re mil. lib. 12.* quibus ſi quis venundederit cotem ferro ſubigendo neceſſariam, pœnam capitis merebitur: veluti ille, qui fœnum, frumentumve illis venundederit. *l. Cotem. 11. ff. de publicanis, vectigal.* Romanis autem erat conſuetudo, nullam omnino accipere ab hoſte armato conditionẽ: quod aliquando Q. Ciceronem reſpondiſſe, memoriæ eſt proditum: *Cæſar. lib. 5. bell. Galli.* eſt enim illis manibus, pedibuſq; ad internecionem uſq; reſiſtendum. In Macedonia lex erat, eum, qui nullum hoſtem interfeciſſet, capiſtro cingi. *Ariſto. Politi. 7.* Apud Scythas verò non licebat ſolennibus epulis pateram circumlatam accipere eum, qui nullũ occidiſſet hoſtem. Iberis mos eſt, tot obeliſcos circa ſepulchrum defuncti erigere, quot homines è numero hoſtium necaverit. Eandem legem Reutha Rex apud Scotos tulit, ut ſcilicet tot obeliſci ad ſepulchrum mortui adhiberentur, quot ex hoſtibus occiderat: & in illa inſula adhuc plurimi obeliſci tales conſpiciũtur. *Hect. Boëth li. 2. hiſt. Scot.* Apud Perſas lex erat, Exploratores, quòd clàm ad hoſtes ire & redire cõſueverãt, quodq; eos mille incom̃odis, & periculis afficiebant, publicis expenſis ali. *Procop. li. 1. bel. Perſi.* Sit licet cũ hoſtibus ubiq; capitale odiũ, legi-

legimus tamen apud Indos, belli tempore, opera rustica exerceri, tutosq; esse Agricolas, & intactos tanquam communis utilitatis ministros. *Diodo. Sicu. libro 3.* Asiatici feruntur, Themistoclem, qui pro Græcia navali prælio ipsos aggressus fuerat, maximis præmiis honorasse: *Isocrates in Panegyrico.* Cononem verò, qui pro Asia pugnans Lacedæmoniorum Imperium dissolverat, ad mortem corripuisse. Adde, perduellionis crimen, de quo meminimus, esse, cùm quis hostili animo adversus rempublicam, vel Principem animatus fuit: *l. fi. ff. Ad le. Iuli. majest.* neque tamen perduelles hostes dicere volo. Præterea Pomponius scripsit *l. fi. ff. De rer. divisio.* hostile esse, Cives Romanos alià, quàm per portas egredi, eaq; de caussa, Remum Romuli fratrem occisum fuisse, quòd murum transcendere voluerit: neq; tamen hostis erat. Ad hæc rectissimè censuit Martianus, *l. Ejusdem. in fi. ff. ad l. Iul. de Sicarijs.* transfugas, ubicunq; inventi fuerint, velut hostes interficiendos: non autem hostes vocavit.

Caput XXIII.

Legati ad hostes.

Apud Romanos Legationis munus omnium sacratissimum, & honoratissimum erat, potestatem, & vim habens Imperantis,

rantis, nec non Sacerdotis venerationem. *Dio. Hali. lib. ultimo.* Venientes enim Romam, primò Saturni ædem adibant, ut ibi nomina sua ederent apud Præfectos ærarij, ac scribi curarent. *Plutar. in Proble.* Hinc Legationem apud hostes inibant. In quo imprimis animadvertendum censeo, illos maximè mittendos esse, qui vel astu, vel multarum rerum cognitione hostium integumenta, & callida consilia evolvere possint. Cujusmodi Scipio Africanus occasione capta mittendæ ad Syphacem Legationis Tribunos, & Centuriones electissimos habitu servorum ire jussit. Notumq; est illud Catonis de Legatis Romanorum missis ad componendam pacem inter Nicomedē, & Prusiam, quorũ unus multis cicatricibus sparsum caput habebat, alius pedibus æger erat, tertius ingenio secors, ea Legatio, inquit Cato, nec caput, nec pedes, nec cor habet, *Appia. in Mithridatico.* Debent autem Legati ubiq; gentium inviolati esse: nam Sagmina, à quibus sanctum dicitur, herbæ erant, quas Legati populi Romani solebant ferre, ne quis eos violaret, veluti Legati Græcorum ferunt ea, quæ cerycia vocantur. *l. Sanctum §. Sanctum. ff. De rer. divisi.* Si quis verò Legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id fecisse existimabatur, quia sancti habebantur Legati. *l. si ff. De legationibus.* Ideò cùm Legati alicujus gentis apud Romanos

T essent,

essent, posteà quàm bellum ejus indictum erat, responsum est, liberos eos manere, idq; juri gentium esse conveniens. Itaq; eum, qui Legatum pulsasset, Q. Mutius dedi hostibus, quorum erant Legati, solitus erat respondere: quem si hostes non recepissent, quæsitum est, an Civis Romanus remaneret: non remanere videbatur, quia quem semel populus jussisset dedi, civitate expulisse videbatur, perinde ac si igni, & aqua interdiceret: in qua etiam sententia P. Mutius fuit. Id autem maximè quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt: de quo tamen posteà lex lata est, ut Civis Romanus esset: quod & Pomponio Jurisconsulto visum est, *d. l. fin. in fin.* Veruntamen apud Historiographos reperias, non semper Legatos inviolatos extitisse. Nam Dioscorides, & Serapion Legati à Cęsare missi ad Achillam, cùm in ejus conspectum venissent, prius quàm ille eos audiret, aut, cujus rei caussa missi essent, cognosceret, corripi, ac interfici jussit. *Cæsar, lib. 3. bel. civi.* Cæsar quoq; ad Ariovistum Legatum misit Marcũ Valerium Porcillum sum̃a virtute, & humanitate adolescentẽ: qui ab eo in vincula conjectus, à Cæsare posteà hostium equitatum persequente, cùm vinctus catenis in fuga à Custodibus traheretur, liberatus est. *Idem lib. 1. belli Gallic.* Comius Atrebas, qui in Britanniã

à Cæ-

à Cæſare præmiſſus erat, à Britannis in vincula conjectus eſt. *Ibidē lib. 4.* Laërtes Tolumnius Rex Vejentum quatuor Legatos populi Romani interemit: quorum ſtatuæ longo pòſt tempore in roſtris ſteterunt. *Cicero Philippica 9.* Iis enim, qui ab inimicis populi Romani occiſi erant, ſolebant ſtatuæ in publico erigi, ut per interitum in honorem æternum venirent. Legati Lacedæmoniorum Ariſteus Corynthius, Aneriſtus, Pratodemus, Timagoras ad Regem Cyrum in Aſiam miſſi ſunt, ſi qua ratione illi perſuaderent, ut pecuniam daret, belliq; ſocietatem iniret: ij prius Sitalcem Teris filium adivere volentes inducere eum ad commutandam amicitiam, ac ſocietatem, quam cum Athenienſibus habebat. Hos tamen Sadorus Sitalcæ filius intercepit, captoſq; tradidit Athenienſibus, qui indēnatos una die omneis interemerunt, arbitrati ſe juſtè ſuis, ſocijsq; parentare. *Thucydid. lib. 2. bel. Pelopo.* Adhæc legimus bellum aliquando Illyricis indictum eſſe, propter unum ex Legatis, quem Romani ad eos miſerant, occiſum. *L. Florus Epito. 20.* Alexander Tyrum civitatem obſidens Legatos miſit, qui ad pacem Cives hortarentur: hos Tyrij contra jus gentium occiſos ex alto præcipitaverunt. *Q. Curtius libro 4.* At paulò mitius Alexander Mammeæ Romanus Imperator quadringentos Legatos Artaxerxis Perſa-

rum Regis vestitu eleganti, auroq; ornatos comprehendi jussit, omniq; adempto cultu in Phrygiam relegavit, vicosq;, atque agros concessit, quos colerent: occidere quippe eos nefarium facinus, minimeq; virile arbitrabatur, cùm non in acie capti essent, sed sui Regis tantùm mandata exequerentur. *Herodia. lib. 6.* Est etiam memoriæ proditum, Legatis Thebanorum apud Persas locum sedendi ante Reges datum fuisse: *Dio. Sicul. lib. De Gest. Alex.* cujus forsan ea extitit ratio, quòd temporibus Alexandri soli è tota Græcia cũ Barbaris fœdus inierant. Hîc omittere nolo, quod, pugnantibus Sabinis contra Romanos, Senatusconsultum factum est, regnante Romulo, quo Sabinis mulieribus filios Romę habentibus facultas data est, relictis apud viros filijs, apud suos, Sabinos scilicet, Legationem obeundi: cujus Legationis Princeps fuit Hersilia. *Dio. Hali. libro. 2.* Est autem in Legatione non utilitas solùm, sed & Legatorum dignitas inspicienda: nam Annibal ille Romanos pacem respuere dicebat, quòd parum dignitatis in Legatione eorum conspiceret: eaque de caussa ipse pacem curiosius appetebat. *Livius, lib. 10. Secundi belli. Punici.*

Cap.

CAPUT XXIV.

Capta ab hostibus.

QUI ab hostibus capiuntur, jure gentium capientium fiunt, *l. Naturalem. in fi. ff. De acqui rer. domi.* adeo ut & liberi homines in servitutem deducantur: *Insti. De rer. divi. §. Item ea.* qui tamen si evaserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt. Quos enim bello capimus, eosdem jure servos nostros facimus: dictiq; sunt servi, quòd servarentur: unde apparet, non licere nobis hostem occidere, postquàm captus est, & in præsidia nostra deductus: licet, antequam deducatur, occidi jure possit, cùm interim multa possent accidere. Quid namq;, si fugam capesseret, vel cum hostibus rursus congregaretur? Veruntamen in ipsa acie hostem interficere, licitum mihi non videtur, cùm neque humanum sit, neque boni Imperatores id passi fuerint. Etenim satis pervulgatum est illud *Horat. libro 1. Epistolarum. 16.*

Vendere cùm possis Captivum, occidere noli:
Serviet utiliter, sine pascat durus, aretq;
Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis,
Annonæ prosit, portet frumenta, penusq;.

Nos itaq;, si Imperatorum consilia sequi velimus, videamus, quæso, Alexandrum capti-

vã fœminam Roxané legitimo matrimonio sibi copulasse: quo honore nullus major esse potest. *Q. Curtius, lib. 8.* Quid Agesilaum memorem, qui utiq; prædicabat, captivos non injustè cruciandos esse, sed ut homines servandos? *Xenophon. in orat. De laudi. Agesil.* Hujus exemplo, Henricus septimus Anglorum Rex Lambertum Hyberniæ Regem bello cepit cũ Richardo ejus Præceptore, ac vitæ utriusque pepercit, quòd ille innocens nihil per ætatem peccasset: hic verò sacris initiatus, ac Deo dicatus esset. *Polyd. Verg. lib. 26. Angli. historiæ.* Sed cùm intelligeret lapidem solere super caput ejus cadere (ut est in proverbio) qui illum in altum emittit, vinculis, tenebrisque demandatus est. Lambertus autem ex Rege Accipitrũ domitor factus, postea quàm in Regia coquina veru aliquandiu vertisset, vilioraq; similia munera obivisset. Pulchrũ est, mehercule, Pyrrhi Epirotarum Regis Responsum, apud Ennium, Legatis Romanorum captivos repetentibus:

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis:
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro, non auro vitam cernamus utriq;.
Vosne velit, an me regnare hera, quidue ferat Sors,
Virtute experiamur: & hoc simul accipe dictum.
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Illorum me libertati parcere, certum est.
Dono ducite: doq; volentibus & magnis Dijs.

Hunc

Hunc Georgius Castriotus Epirotarum Princeps, qui à Turcis Scanderbegus vocabatur, prælio gesto adversus Gallos in regno Neapolitano insequutus est, cùm Joannes Andegavensis, & Jacobus Picenus Duces captivos suos repeterent. *Marius Barletius, libro 10. De reb. gest. adver. Turcas.* Hìc adducere lubet exemplum cujusdam mulieris Paulæ nomine Busa, quæ, post cladem Cannensem, eos, qui Canusium perfugerant, mœnibus tantùm, & tectis à Canusinis acceptos, frumento, veste, viaticoq; juvit: pro qua ejus munificentia, bello confecto, à Senatu honores habiti sunt. *Livius, libro 2. Decad. 3.* Fuit autem tertium Romuli institutum, quod & firmæ libertatis initium fuit Romanis, ut nec captas bello urbes funditus everterent, nec in servitutem redigerent, nec eorum agrum pascuum pecori relinquerent, sed missis in eam Colonis, pro portione aliqua regionis Colonias Romanorum facerent, & nonnullas urbes victas suæ quoq; Reipublicæ participes. *Dion. Halicarnass. lib. 2.* Non tamen negavero, aliquando à Majoribus nostris in hostes captivos sævitũ esse: nam Afri memorantur captivos Carthaginensiũ, ipsum insuper Gestonem Ducẽ precisis manibus, fractisq; crurib⁹ vivũ in scrobem conjecisse, temporibus belli Africani. *Polybius, lib. 1. historiarum.* Item Hasdrubal post Megarã à Romanis occupatam in

in obſidione Carthaginis captivis Romanorum muro impoſitis oculos, linguas, ac pudenda ferreis hamis ademit, digitos abſcidit, cutem ſuſtulit, & ſpiranteis adhuc omneis in muris ſuſpendit: *Appia. in Lybico.* Neq; placere poteſt cõſuetudo longo antè tempore apud Thulitas populos obſervata: victimarum enim potiſſimam eſſe hominem ducunt, quẽ omnium primum in bello ceperint: hunc mactando Marti ſacrificant, quem Deorum maximum credunt. *Procopius, lib. 2. De bel. Gothorum.* Enimuerò bellorum jus eſt, ut, qui vicerint, ijs, quos vincant, cum bona pace dominentur, & imperent. Quo modo fœdus inter Romanos, & Albanos ictum eſt, cùm tergemini Horatij pro patria dimicaverunt. *Livius, libro 1. Decad. 1.* Arioviſtus etiam C. Cæſari reſpondit, populum Romanum victis non ad alterius præſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium imperare conſueviſſe. *Cæſar, lib. 1. bel. Gallici.* Et Corbulo dicere ſolitus erat, ſe tributa, ac leges, & pro umbra Regis jus Romanum victis impoſiturum. *Cor. Tacitus Annal. lib. 15.* Qui itaq; in hoſtium poteſtatem devenerunt, eorum ſervi efficiuntur: neque videri poſſunt aliquid poſſidere, cùm ab alio poſſideantur. In ijs tamen ſingulare jus eſt, retinendo ſuarum rerum jura, licet corporalem poſſeſſionem amittant: hinc reverſis illis nova poſſeſſione eſt opus,

etiam

etiamsi nemo medio tempore res eorum possederit. *l. Cùm hæredes 23. §. 1. ff. De acquiren. vel amitt. possess.* Interim tamen Rector Provinciæ cavere diligenter debet, ne bona captorum ab hostibus, qui nondum postliminio sunt reversi, fraudibus partium dissipentur: neq; sanè illos jura sua perdere oportet. *l. Cùm cognatos. C. de postlim. revers.* Atq; quemadmodum, cùm postliminio redijt, contra debitores agere potest, ita & qui negocia ejus administravit, cùm ab hostibus erit reversus, habet in eum negociorum gestorum actionem: & si apud hostes decesserit, adversus successorem. *l. At quin natura. 19. §. fi. cum l. seq. ff. De neg. gest.* Accedit ad hæc Servij Responsum, *l. Nam & Servius. ff. Eod.* cùm à Lusitanis tres capti essent, & unus ea conditione missus, ut pecuniam afferret pro tribus, & nisi redijsset, duo quoq; pro eo pecuniam darent, isq; reverti noluisset, & eam ob caussam illi pro tertio pecuniam solvissent, æquum, justumq; esse, Prætorem in eum reddere judicium. Nam si is, qui in civitate existens, negociaq; captivi gerens, actionem in eum habeat, cur non etiam captivus, si negocia ejus, qui in civitate est, gesserit? atq; ij maximè, qui, fide data, obsides pro socio se constituerint. Est prætereà hîc annotandum, omnia loca capta ab hostibus desinere esse sacra, vel religiosa: tamen liberata ab hac calamitate postliminio revertuntur,

tur. *l. Cùm loca. ff. De religio. & sump. fune.* Ideoque cùm sepulchra hostium nobis religiosa non sint, nec sepulchri violati actio competit. *l. Sepulchra. 4. ff. De sep. violat.* Expulsis porrò hostibus ex agris, quos jam ceperant, constat, dominia eorum ad priores Dominos redire, nec aut publicari, aut loco prædæ cedere. Sed publicatur ille ager, qui ex hostibus est captus, ceditq; in prædam: *l. Si captivus. ff. de Captiv. & postlim.* intelligo publicari immobilia ab hostibus capta: nam res mobiles hostium, quæ apud nos sunt, non publicæ, sed occupantium fiunt: *l. Transfugam. 51. §. 1. ff. De acquirendo rerum dominio.* non tamen negavero, aliquando fuisse limitatos agros, datosque Militibus, qui eos manu ceperant: limitatos quidem, ut sciretur, quid cuique datum esset, quid venisset, & quid in publico relictum esset. In quibus ea tamen est differentia. Nam Divus Pius constituit, in agris limitatis jus alluvionis locum non habere: & Trebatius ait eum agrum, qui, hostibus devictis, ea conditione concessus sit, ut in civitate veniret, habere alluvionem, neque esse limitatum. *l. In agris. ff. eodem titulo.* Adhæc notum est, Alexandrum Severum, quæ de hostibus capta erant, limitaneis Ducibus, & Militibus donasse, ita ut eorum essent, si hæredes eorum militarent:

tarent: nec unquam ad Privatos pertinerent. Dicebatque eos attentius militaturos, si sua rura defenderent. *AElius Lamprid. in vita Alexandri Severi.* Sesostris Aegyptiorum Rex militibus agros fertileis distribuit, ut rebus fulti necessariis, nullaque ducti inopia, liberius militiæ vacarent. *Diod. Sicul. lib. 2.* Atqui quando de hostium præda meminimus, hîc admonebo, Frothonem Danorum Regem legem hanc tulisse, ut Primipilus, prædæ partitione facta, majorem portionem acciperet: Ducibus, quibus in acie signa anteferri solebant, dignitatis caussa captivum aurum concessit: Gregarium Militem argento voluit esse contentum: arma ad Pugiles redundare: captiva navigia popularibus cedere jussit: utpote eis debita, quibus condendi rates, instruendique jus esset. *Saxo libro 5. Histor. Danorum.* Probus Imperator, cùm ex hostibus captus esset equus non decorus, neque ingens, sed (ut loquebantur captivi) qui centum miliaria uno die curreret, omnesque crederent, Probum tale animal sibi reservaturum, dixit ille, fugitivo Militi potiùs, quàm forti hunc equum convenire. Deinde jussit milites in urnam nomen suum mittere, ut quis eum sorte acciperet. *Flavius Vopiscus in vita Probi.* Georgius Castriotus

Epi-

Epirota, post victoriam habitam contra Bassam Præfectum Turcici exercitus, cùm duos è militibus contendere vidisset in dividendis hostium spolijs, petiit, pransíne essent: Et cùm se pransos respondissent, ait, Bacchus litem fecit, Bacchus litem dirimat, non Mars, aut Deus alius. *Marius Barlet. lib. 9. De reb. gest. advers. Turcas.* Adhæc non omittam ejusdem Georgij sententiam. Cùm parta victoria egregium quendam Juvenem captivum Barbarum Musachio dedisset, Juvenisq; pro redemptione ducentos aureos nummos deprompto sacculo, quod occultaverat, Musachio numerasset, is eam omnem pecuniam, quæ cum eo capta erat, suam esse contendit, ac aliunde pro redemptione numerandam esse. Ille verò contrà instabat: re tandem ad Castriotum delata, sanxit pecuniam illam, quam Juvenis occultè gerebat, suam esse (habuerat enim eum captivum Castriotus) neq; Musachio donasse ait, quod nesciebat: ne tamen in re propria judex esset, Musachio omnia dedit, ac juvenem in libertatem, additis aliquot donis, restituit. *Barlet. lib. 7.*

Caput XXV.

Redempti ab hostibus.

Quoniam captos ab hostibus vel illic relinquere, vel redimere tandem oportet,

tet, hîc de redemptis ab hostibus aliquid est dicendum. Redimuntur autem, quando virtute Militum sunt liberati ab hostibus: qui illicò statum, quem captivitatis caussa amiserant recipiunt: neq; eos captos judicare debemus, sed receptos: nam Milites oportet eorum defensores esse, non Dominos. *l. Ab hostibus. 12 C De postlim.* Similiter si quis extraneus ab hostibus quempiam redemerit, is Servus ejus non erit, sed vinculo quodam detinebitur, quoad pretium exolverit. *l. Qui testamento. §. 1. ff. Qui testamenta fac. poss.* In id Gordianus Imperator Publiciano scripsit, redēptos ab hostibus, quoad pretium persolverint, magis esse in caussa pignoris constitutos, quam in servitutē redactos. *l. Ab hostibus. 2. C. De postlimin.* Hinc si quis redemptam ab hostibus, post dissolutum veluti naturalis pignoris vinculum, in matrimonium duxerit, nihil est, quòd de statu ejus, seu Liberorum communium pertimescat: dum enim illi matrimonio jungitur, eam nexu pignoris liberat, ac Natalibus restituit. *l Si is. 13. C. eod. tit.* Præterea si qui captos ab hostibus redemerint, accepto pretio, illos suæ ingenuitati restituunt, cogeturque Redemptor oblatum pretium accipere, ac posteà nullam status quæstionem movere *l. Cùm &. 6. C. eod. titu.* Qui autem nuptias contrahit, ut jam dixi, pretium mulieri censetur remittere. Si tamen ali-

aliqua fœdissima mulier filiam, quam ingenuam sciebat, ab hostibus captam redemerit, eamque prostituerit, tum ea ad conservandam pudicitiam ad Patrem confugerit, indigna est ea mulier, cui pretium exolvatur, in odium quæstus detestabilis, intactaque erit filiæ sua ingenuitas. *l. Fœdissima. 7. C. Eod.* Istud tandem generale est, Liberum captum ab hostibus, & redemptum, tunc, cùm pretium solvitur, vel ei qualicunq; judicio remittitur, statum pristinum recipere: *l. Liber captus. C. Eod.* interim tamen, dum non est restitutum pretium, favore ingenuitatis potest successionis jura sibi vindicare, ut ex illa possit aliquando pretium persolvere. *l. Is, qui. 15. C. eod. titulo.* Præterea si is, qui redemit, vinculum pignoris remittat, redemptus sanè non efficitur Libertus, sed ingenuitati, quam amiserat, restituitur, neque ullum filijs obsequium præstare cogetur. *l. Si liberum. 11. C. Eod.* Atq; cùm ea, quę è pignoribus nascuntur, pignori obligata dicamus, *l. Grege. 13. in pr. ff. De pignori.* tamen Imperatores noluerunt eos, qui post redemptionem nascuntur, pignoris vinculo ob pretium, quod pro iis datum est, obligari. *l. Præses Provinciæ. 8. C. De postlimi.* Enimverò ut Redemptoribus etiam faveamus, Ulpianus scripsit, *l. Quod & lex. §. Si quis 3. ff. De libe. ho. exhib.* si quis eum, quem ab hostibus redemit, retineat, in ea caussa esse, ut interdicto de libe-

libero homine exhibendo non astringatur: si tamen obtulerit pretium, interdictum locum habet: & si eum remisit, pretio non accepto, interdicto locus erit, si, posteaquàm semel remisit, velit retinere. Constat autem, Annibalem post cladem Cannensem captivis Romanis copiam fecisse redimendi se. *Livius lib. 2. Decad. 3.* Redemptionis pretium in capita erat, Equiti quingenos Quadrigatos numos: tricenos Pediti: Servo centum. Hîc demum annotabo si aliquæ pecuniæ, vel res relictæ sint, vel donatæ legitimo modo in redemptionem captivorum, eas ad centum annos usque peti posse. *l Vt inter. 23. in fin. pr. C. De sacrosanct. Eccl.* Neque miretur aliquis partem hæreditatis, aut totam pro captivorum redemptione relictam esse, cùm incertis personis id relictum esse videatur: nemini autem nedum Militi, ut diximus, id juris est, ut incertis personis aliquid relinquere possit. Nam Imperatores *l. Nulli. 28. & l. Si quis. 49. C. de Episc. & Cler.* pietatis caussa, & Militum infortunijs moti, voluerunt talem institutionem, qua tota etiam hæreditas pro redemptione captivorum datur, valere, neq; esse rejiciendam: nihil enim non conferendum est Militibus nostris, qui bellorum fortuna Rempublicam defendentes ab hostibus captivi detinentur.

CA-

geſtabat, dum caperetur, ſi poſteà cum Matre redemptus ſit ab uno homine, uno, eodemq; pretio, poſtliminio reverti dicitur. Ac multò magis, ſi diverſi emptores extiterint utriuſq;, offerri tamē oportebit Redemptori pro ſingulis, quod hoſtibus pro uno quôque datum eſt, ut ſeparatim poſtliminio revertantur. *l. In bello. 12. in fi. ff. eod.* Liberi autem homines poſtliminio non revertuntur, niſi eo animo ad ſuos venerint, ut eorum res ſequantur, illosq; relinquant, à quibus diſceſſerunt. *d. l. In bello. 12. §. Manumittendo. 9.* Ideoq; in Attilio Regulo, quem Carthaginenſes Romam miſerunt, reſponſum eſt, non eſſe eum poſtliminio reverſum, quia juraverat, ſe Carthaginem rediturum, neque illi erat animus Romæ commorari. *l. Poſtliminij. 5. §. Captivus. ff. Eod.* Prætereà naves longæ, & onerariæ poſtliminium habent, propter uſum belli: non autem piſcatoriæ, aut actuariæ, quæ voluptatis cauſſa parantur: neq; etiam arma poſtliminio reverti dicimus, quia ſine flagitio amitti non poſſunt. *l. 2. in princ. & §. 2. Eod.* Item Transfugæ nequeunt poſtliminio redire: nam, qui malo conſilio, & Proditoris animo Patriam relinquit, hoſtium numero habendus eſt. *l. Poſtliminium. 19. §. transfugæ. 4. Eod.* Etenim Antiquis placuit, eum, qui ab hoſtibus capitur, vel deducitur, jure poſtliminij reverti: non autem eum, qui priùs hoſtibus ſe

V dedi-

dedidit, deinde revertitur. *l. Eos, qui. 4. ff. eod. titulo.* Oportet deniq;, eos, qui nobis sunt hostes, aliquem è nostris capere, & intra præsidia sua deducere, illinc reverti, antequàm postliminium habeat: & tunc omnia jura ei restituuntur, perinde ac si captus ab hostibus non fuisset: *l. Postliminij. 5. §. 1. Eod.* estq; illud in bello postliminium. Nam inter nos, & populum fœderatum, seu Liberum (qui tamen nobis externus non est) nullum est postliminium, cùm illi apud nos & libertatem suam, & suarum rerum dominium æquè atq; apud se retineant, & nobis eadem apud eos contingant. *l. Non dubito. in pr. Eod.* Dixit quoq; Papinianus, *d. l. Postliminij. §. 2. Eod.* aliquando in pace esse postliminium, si cum Gente aliqua neq; amicitiam, neq; hospitium, neq; fœdus, amicitiæ caussa, factum habeamus: hostes quidem non sunt, quia illis non est indictum bellum: quod autem ex nostris rebus ad illos pervenerit, illorum fit, & Liber homo noster ab eis captus, fit Servus eorum. Idem si ab illis ad nos aliquid pervenerit: in quo casu postliminium etiam datum est. Verùm ego inter hæc duo postliminij genera magnam differentiam non facio: ejus tamen duas species constituo, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus. Ideò cùm filius revertitur, duplicem in eo oportet esse caussam postliminij, quòd Pater eum recipiat, & ipse

ipse jus suum. *l. Cùm duæ. 14. ff. eod. titulo.* Qui autem ab hostibus revenit, retrò creditur in civitate fuisse, *l. Retrò. 16. Eod.* atque ei est postliminium: sed si captivus, de quo in pace cautum fuerat, ut rediret, sua voluntate apud hostes mansit, ei posteà nõ est postliminium; *l. Si captivus. 20. Eod.* Si autem quis non est reversus ab hostibus, quasi tunc videtur decessisse, cùm captus est: quod in omnibus partibus juris observandum est: *l. In omnibus. 18. Eod.* nam si homo captus ab hostibus revertitur, eadem res, quæ priùs fuit, semper extitisse intelligitur. *l. Si mater. 11. §. Eandem. ff. De except. rei iudica.* Pulchrè quidem (mea sententia) C. Cotta in Oratione, quam habuit ad populum, ubi Postliminio reversus est, vocat se bis genitum in Urbe: vita enim, & mors jure Naturæ sunt, ut sine dedecore cum Civibus fama, & fortunis integer agas, quod tunc dono datur, & accipitur. Constat namque, apud eos, qui reversi sunt, idem jus remanere, cùm pro eodem habeantur, ac si nunquam hostium potiti fuissent. *l. In bello. §. Cetera. 6. ff. De capti. & Postlimin.* Et licet quis possidens per semetipsum, dum usucaperet, si posteà captus est, usucapionem interrumpit, quia certum est, eum desiisse possidere: attamen si per subjectas juri suo personas possideat, non desinit usucapere. *d. l. In bello. §. facti. 2. Eodem.* Porrò qui postliminio reversi sunt,

ſtipendia, & donativum temporis, quo apud hoſtes fuerunt, accipere non debent, niſi illis ſpecialiter ſit indultum: *l. 1. C. De re militari.* quod ſuprà latiſſimè oſtendimus. Poſtremò cùm Civem Romanum ſine autoritate Senatus, civem eſſe deſinere fas eſſet, niſi ab hoſtibus capti eſſent, tum etiam, propterea quòd captivi erant, jus civium, & civitatem amittebant: qui, ſi in Urbem poſteà redirent, jura civitatis, & libertatis poſtliminio reciperent. Sic itaq; Liberi, & Cives Romani fiebant. Statutum etiam apud Romanos fuit, ut, quem Pater, aut populus vendidiſſet, vel Pater patratus hoſtibus dediſſet, ſi ab hoſtibus receptus fuiſſet, nullum poſtliminium fore. Si verò is, quem Pater patratus devovit, non ſit receptus, poſtliminium eſſe, omnibus notum eſt, cùm nulla deditio, nulla deniq; donatio ſine acceptione intelligi poſſit: quod hoc loco annotaſſe, haudquaquam pœnitebit. Natura enim comparatum eſt, ut quivis alius, non ſolùm quidem miles, ad ſuorum potiùs amplexum redire geſtiat, quàm in ſervitute apud hoſtes ſpiritum miſerè ducere, & vivus ſenſim emori velit.

Caput XXVII.

De lege Cornelia, & Poſtliminio.

Dictum eſt ſuperiùs, teſtamēta eorum, qui

qui ab hostibus capti sunt, irrita fieri: cui adjiciendum est, & postliminio reversorum vires suas recipere jure postliminij: aut si ibi decesserint, lege Cornelia confirmari. *l. Si quis. 6. § Quatenus. 12. ff. De iniust. rup. & irri. testam.* Nam lex Cornelia testamenta eorum, qui apud hostes decesserunt, perinde confirmat, ac si illi, qui ea fecerunt, in hostium potestatem non devenissent: & hæreditas ex iis eodem modo ad unumquemq; pertinet. *l. Lege Cornelia. ff. Qui testamenta facere poss.* Etenim lex Cornelia fingit eum, qui in captivitate mortuus est, tunc decessisse, cùm est captus: *l. In omnibus. 18. ff. De cap. & postlim.* neq; Jurisconsultus dicit eum verè decessisse, sed videri decessisse. Adhæc, quis etiam vivens dicitur mori civiliter: hic namq;, cùm capitur, Liber est, & Liber Servus efficitur, ideoq; mori civiliter intelligitur: hoc enim modo lex Cornelia fingit eum mortuum tempore, quo capiebatur, in quo verè Liber erat: ideoq; testamentum ejus validum erit. Sunt autem legis Corneliæ casus aliquot diversi apud Julianum, & Papinianum. In quibus jure potest desiderari Triboniani compilatio diligentior: qui non uno tantùm in loco casus tam negligenter involvit, ut talibus tricis ne solertissimus quidem facilè possit sese eximere. Primus igitur casus est: si Pater instituto impubere filio substituerit, deinde Pater ab hostibus

captus ibi decesserit, ac posteà relictus impubes in civitate moriatur, hæreditas ad Substitutum pertinet, perinde ac si Pater in hostium potestatem non cecidisset: *l. Lex Cornelia, in princ. ff. De vulgar. & pupil.* quoniam si referamus diem mortis ad diem captivitatis, vel diem captivitatis ad diem mortis, per legis Corneliæ fictionem, nihil impedit, quò minùs substitutio vires suas habeat: *l. Pater. 10. in princip. ff. De capt. & postlim.* neque legis Corneliæ fictio substitutionem confirmare potest, quando ipsa veritas repugnat Naturæ: sed hoc casu verum est, mortem Patris præcessisse filium. Diversus casus est, si filius antè moriatur in civitate, quàm Pater apud hostes: quo casu, substitutio locum non habet: *l. Quòd si filius. 11. in princ. ff. eod. tit.* quoniam vivo Patre, filiusfamiliâs moritur, & quia credimus filium patremfamiliâs decessisse, quamvis patria potestate, quamdiu in vivis fuit, non fuerit omninò liberatus: *l. pen. ff. De su. & leg. & l. in bello. §. si quis. 1. ff. de capt. & postli.* poterat enim Pater postliminio redire ab hostibus. Et licet lex Cornelia fingat Patrem hora captivitatis mortuum, id quidem verum est, quoad confirmationem testamenti, non tamen super patria potestate fingere potuit, Alius casus est, si Pater in Civitate decedat, filius impubes apud hostes: nam si vivo Patre, in hostium potestate decedat, legi Corneliæ

neliæ locus non est: quia ea lex non facit, ut is, qui nulla bona in civitate reliquit, hæredes habeat: filius autem patre vivo, nihil habeat. *d. l. Lex Cornelia. versic. Si verò.* Sed benè fingit hora captivitatis mortuum filium. Et propterea puberis, qui vivo Patre captus fuit, deinde mortuo Patre in civitate, in hostium potestate decessit, hæreditas, quæ nulla fuit, ex lege Cornelia non defertur: sed Patris, non filij hæreditas ex lege duodecim tabularum ad Agnatum pertinebit. *d. l. Lex Cornelia. in fine.* Si autem mortuo patre, filius impubes in hostium potestatem devenerit, hæreditas ejus ad Substitutum non pertinebit ex lege Cornelia: *d. l. Lex Cornelia.* nam lex Cornelia hunc casum nõ complectitur: ideò quantum ad vim legis illius, secundæ tabulæ irritarentur: ejus enim duntaxat personam adjuvat, qui testamentum facere potest: filius autem impubes testamenti factionem non habet. Attamen licet hoc casu secundæ tabulæ per legem Corneliam non fulciantur, nihilominus cùm legitima hæreditas deferatur lege Cornelia, æquum visum fuit Jurisconsulto, secundarum tabularum successionem adjuvari. *d. l. Pater. in fine.* Ac licet lex Cornelia hunc casum non complectatur, tamen Prætor legis effectum ad hunc casum porrigit, ut

ſuſtineatur tam Patris, quàm legis voluntas: dabunturque utiles actiones Subſtituto in hæreditatem. Eam nempe utilem actionem appello, quæ nec ex verbis, nec mente legis tribuitur, ſed ex quadam æquitate ad legem extenditur. *Bart. l. Actio. ff. De neg. geſt.* Alius demum caſus eſt: ſi Pater captus ſit ab hoſtibus, moxq; filius, & ibi prior Pater decedat, ſubſtitutus ad ſucceſſionem ex lege Cornelia admittetur, ſi, cùm Pater apud hoſtes deceſſerit, filius in civitatem revertatur: *d. l. Pater. verſ. Verum.* ope legis Corneliæ, quæ fingit Patrem in civitate vitam ſolviſſe, & jure poſtliminij, quo reverſus filius ſemper fuiſſe in civitate cenſetur. Sed ſi ambo apud hoſtes deceſſerint, tabulæ pupillares irritantur, quia lex Cornelia, ut dixi, ſuper pupilli tabulis non fingit, quòd teſtamenti factionem non habeat. *l. Si pater. 29. ff. De vulga.* Tandem ſi filius antè, & Pater pòſt hoſtium potiti ſint, ibique deceſſerint, ſubſtitutio non habet locum: quia quo tempore Pater fingitur domi mortuus, filius jam captus erat. Si autem ambo uno die capti apud hoſtes decedant, teſtamentum Patris propter fictionem legis Corneliæ ſuſtinetur, ſed tabulæ pupillares concidunt, quia lex utriuſq; mortem eadem hora complectitur. Inſuper ex lege Cornelia idem jus in eadem cauſſa omnium rerum jubetur eſſe, quæ futura eſſet, ſi ii, de quorum

rum hæreditatibus constituebatur, in hostium potestatem non cecidissent. *l. Bona eorum. in prin. ff. De capti.* Hinc filius ab hostibus captus, si in Patris potestate tempore illo, quo capiebatur, fuit, lex Cornelia, dum reversus est, Patri hæredem medio tempore facit: *l. Captum ab hostibus. 9. C. De postlimi.* ac ideo res hæreditariæ illi restituentur: tamen fictio legis Corneliæ, quæ legitimos hæredes defuncto apud hostes constituit, non pertinet ad filiam apud hostes susceptam, cùm tempore, quo captus est Pater, lex fingat eum decessisse. Illa quidem postliminium habere non potest, quia capta non est: sed Patris restitutio reddit Patri filiam. *l. 1. C. ibid.*

CAPUT XXVIII.

Servi Militum.

SERVI fiunt aut natura, aut bello, aut pretij participatione. Pretio participato fit Servus, cùm major viginti annis se vendit, ut in pretio participet, vendive se patitur, præbetque caput Domino venale sub hasta. *l. Et servorum. §. Servi. ff. De sta. homi.* Natura fiunt Servi, qui ex Ancillis nostris nascuntur vel in matrimonio, vel extra matrimonium. Qui enim suijpsius non est secundum naturam, sed alterius homo, hic natura est Servus: alterius autem homo est, qui possidetur. Sed

dubitari potest, sitne aliquis hoc modo natura Servus, sitne servitus omnis præter naturam. Pleriq; taleis nullos esse existimant: quod tamen abesse à ratione videtur. Atque licet Indi sanxerint, neminem omnino Servũ esse, omneisq; æquo jure, ac honore haberi voluerint: *Diodo. Sicul. lib. 3.* veruntamẽ secundum naturam videtur esse servitus, cùm imperare, & parêre non solùm necessariorum sit, sed & utilium: aliaq; ab ipsa generatione ad parendum, alia verò ad imperandum sint distincta. Nam & in ijs, quæ vitæ sunt expertia, instar harmoniæ est quoddam imperium: ac omne animal ex anima, & corpore constat: quorum alterum secundum naturam imperat, alterum paret. Sanè Maris in fœminam secundũ naturam est aliquod imperiũ. Qui tantum distant, quantum anima à corpore, quantum Homo à bestijs, Servos, Dominosq; appello. Illos, si tantùm in corporis usu versari sunt soliti, horum Dominorũ, natura Servos jure vocabo, quibus, melius est, ut imperetur: est enim natura servus, qui potest alterius esse. Planè Romani, etsi omnes aliæ Nationes servitutem ferre possent, eam tamen nullo pacto ferendam censuerunt, cùm pro libertate, vitæ periculo decertandum esse crederent. *Cicero, Philippica. 10.* Vita enim Servo nulla omnino est. Fiunt præterea bello Servi: quos ego secundum leges

leges Servos fieri dico. Nam lex eſt quædam conſenſio, per quàm, bello capta illorum fieri dicuntur, qui ceperunt: quod etiam videtur contra naturam eſſe Juriſconſulto. *l. libertas. ff. eod. titul.* Et non poſſum non duriſſimum judicare, quemquàm Servum fieri ejus, qui vim afferre poteſt, & potentia præcellit, cùm contingeret, nobiliſſimos quoſq; Servos eſſe, atq; à Servis capi, & venundari. Hos tamen non Servos, ſed Barbaros vocabo. *Ariſtotel. Politic. 1.* Dixerunt enim Poëtæ, Græcos Barbaris dominari oportere, quod idem ſit Barbarus, & Servus. De ijs igitur, quod ad militiam attinet, pauca tractabimus. Miles etiamſi filiusfamiliâs ſit, & Servum caſtrenſis peculij manumiſerit, ſecundum conſtitutiones Patronus ejus erit: *l. in eo. 45. §. Planè 3. ff. De ritu. nuptia.* Scripſit ſanè Divus Hadrianus, *l. Servum. 8. ff. De jure patron.* Servum à filiofamiliâs milite manumiſſum Militis Libertum fieri non Patris, admitteturque ut Patronus ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem. Servum intelligo de caſtrenſi peculio manumiſſum, *l. 3. §. Si quis 8. ff. De bon. lib.* licet Julianus Libro vigeſimo quinto Digeſtorũ probaverit Patris fieri Libertũ: *l. Si filiusfamiliâs, 22. Eod.* ſed tamen certum eſt, militẽ manumittendo Servum ſuum peculiarem, ſuum

suum facere Libertum, & ad legitimam hæreditatem admitti. *l. Intestato. §. Miles. 7. ff. De suis, & legit.* Præterea si filijfamiliâs in castris Servos acquirant, non in Patris familia computabuntur, neq; Pater taleis filij Servos manumittere poterit: *l. Servi. 17. ff. De manumiss.* Nemo enim alienum Servum, quamvis ut proprium manumittat, ad libertatem perducere potest. *l. Si non 4. C. De his qui à non Domi. manu.* Miles autem Filiusfamiliâs minor annis faciens testamentum libertatem servo dare non potest, nisi per fideicommissum ei dederit libertatem ex caussa, quæ probabilis vivo manumittente visa fuisset. *l. Si Rufinus. C. De test. milit.* Milites nempe in his servis hoc singulare habent privilegium, ut, si Miles testamento ita dixerit, Fortunato Liberto meo do, lego, ei Libertas competat ex testamēto: nam cum Legato eidem etiam Libertas data videtur. *l. Ex his verbis. 7. C. eo. tit.* Si tamen Paganus idem dixerit, cum Legato Libertas data non erit. *l. 2. C. De necess. Servis.* Quærit Ulpianus, si fideicommissaria Libertas hostium Servo fuerit adscripta, an efficax sit: indignū quippe videbatur, Civem Romanum Hostiū Servum fieri: sed si Libertas ei relinquitur in casu, quo noster esse incipiet, nihil prohibet Liberum fieri. *l. Generaliter. 24. §. Hostium, 2. ff. De fideic. lib.* Etenim licet neq; mortis tempore, neq; testamenti in potestate testantis, sed

hostium

hostium fuerit, pervenit tamen ad libertatē, si Liber esse jussus est. *l. Si servi. ff. De manu. test.* Insuper si qua mulier concepit in servitute, deinde ab hostibus capta peperit ibi post existentem conditionem libertatis, interim Servum hostium esse nemini dubiū est: sed postliminio eum Libertum fieri non dubitamus, quia si mater esset in civitate, Liber nasceretur. *l. Si statulibera. ff. De statulib.* Jam verò de communi Servo manumittendo apud Veteres dubium extitit, & apud Martianum inventum est, Severum Imperatorem voluisse necessitatē imponi hæredibus militis emendi partem socij, & Servum libertati donare. Adhæc Severi, & Antonini constitutio cogit socium socio partem vendere, quatenus libertas Servo imponitur: quod tamen posteà Justinianus sanxit nulla omnino differentia posita inter Militem, & Paganum. *l. 1. C. De communi ser. ma.* Itaq; socio necesse erit socio suam partē vendere, quantam in Servo possidet, ut inde Servus libertatem consequatur. Ad extremum, quia suprà dictum est, Servos militare non posse, addemus, neq; etiam Dominis ignorantibus ad militiam aspirare: quā si meruerint, tunc Domini poterunt adire judicem, & Servos à militia domum evocare, nisi eos id scivisse constiterit. *l. Super servis. 6. & l. Si quis 7. C. Qui milit. non pos. lib. 12.* Servos autem in pugna Dominis adesse non prohibeo, quos

quos manibus, pedibusq; juvent: ac licet illi apud Erulos ne scutis quidem in pugna uterentur, nisi postquàm viri fortes in bello evasissent, *Procopius, lib. 2. de bel. Persi.* facilè tamen eis quodlibet armorum genus concedemus. Hîc non possum non meminisse Appionis, aut Menenij Servorum. *Appia. lib. 4. de bell. civil.* Illi quidem Dominorum, qui proscripti erant, vestibus assumptis, pro illis à Triumviris interempti sunt. Rescionis item Servus Dominum ab eisdem proscriptum in palude latentem tam callido astu servavit, ut manus militum evaderet, quamvis ille servus à Domino ob nequitiam stigmatibus, Barbarorum more, compunctus fuisset: qua forsan de caussa illi infensus futurus videbatur.

Caput XXIX.

Recepti Servi, & Postliminio reversi.

Recipere Servum, propriè est abscondendi caussa refugium Servo præstare vel in suo agro, vel in alieno loco, ædificiove. *l. 1. §. 2. ff. De servo corrup.* Isto modò hîc non accipimus receptos servos: sed eos tantùm, qui ab hostibus reversi sunt, vel redempti. In quibus statutum est, eum, qui Servum captum ab hostibus redemerit, suum facere, etiamsi alienum fuisse sciat: sed oblato ei pre-

pretio, quod dederit, receptus esse creditur, aut postliminio redijsse: qui si captivũ ignoraverit, & putans eum vendentis esse, redemerit, usucapere videbitur, ita, ut post legitimum tempus offerendi pretium priori Domino facultas non sit. *l. In bello. §. Si quis 7. & §. Et si 8. ff. De capti. & postli.* Servus quoq; apud hostes manumissus liberatur: sed si prior Dominus eum in præsidijs nostris nanciscatur, servum retinebit jure postliminij, licet is eo consilio venisset, ut ad hostes reverteretur. *d. l. In bello. §. manumittendo. 9. Eod.* Quod aliter observatur in liberis, qui postliminio, ut dictum est, non revertuntur: nisi hoc animo ad suos veniãt, ut eorum res sequantur, hostesq; relinquant. Fingamus aliquem statuliberum ab hostibus capi: si redimatur pendẽte conditione libertatis, suam caussam retinebit. Sed si libertati est apposita conditio, si decẽ dederit, quæro, unde dare debebit illa decẽ? Responsum est, ex operis ejus quęsita esse debere: *l. 3 §. Si quis 8. ff. De statulib.* potest & ex peculio alia caussa, quàm ex operis ejus, quæsito: ita tamen, ut conditioni benignè paruisse credendum sit. *d. l. In bello, §. Quid ergo. 11. ff. De captivis & postlim.* Potest etiam quis alienum Servum ab hostibus redimere, & hæredem eum cum libertate instituere, qui liber erit, & necessarius hæres: sed priori Domino æstimationem suam offerre debet, vel

vel manebit ei obligatus, donec pretium solverit. *l. Si Servum. ff. De acqui. hær.* Potest item Servus, qui apud hostes est, rectè hæres institui: & qui ei est hæres, per Servum hæres fieri potest: *l. Illa institutio. §. 1. ff. De hær. instit.* & cùm ab hostibus reversi sunt, locupletiorem faciunt hæreditatem. *l. Servi. 43. ff. ad l. Falcid.* Præterea si quis Servus, antequàm caperetur, pignori datus fuerit, dimisso redemptore in veterem obligationem revertitur: & si Creditor offert ei, qui redemit, quanti redemtus est, habet obligationem & in debiti caussam, & in eam summam, qua eum liberavit. Posterior tamen, qui redemit, præferendus est ei, qui prior fuerat tempore: quia effecit, ut is Servus apud nos esset. *d. l. In bello. §. si pignori 12.* Et si plurium Servus fuerit redemptus, & ei, qui redemit, omnium nomine restitutum sit pretium, in communionem redibit: aliâs ad eum, eosve, qui solverunt, pertinebit. *d. l. In bello §. Si plurium. 13.* Nam quemadmodum liberis captis ab hostibus, & postliminio reversis stat' pristinus restituitur, ita etiam Servi Domino, vel Dominis: *l. Sicut 10. C. de Postlim. Revers.* neq; tamen fideicommissam libertatem sibi debitam petere poterit, nisi redemptori sit satisfactum. *d. l. In bello §. si fideicommissa. 14.* Veruntamen si deportatus in insulam ab hostibus captus sit, & redijt, iterum deportabitur: nam in eam caussam

veniet

veniet, in qua futurus esset, si captus non fuisset. *d. l. In bello. §. Si deportatum. 15.* Itaq; per redemptionem ab hostibus prior caussa non immutabitur. Servi, qui ad hostes transfugerunt, nullum quidem habent postliminiũ: nam qui malo consilio, & proditoris animo patriam relinquit, hostium numero habendus est. *l. Postliminium. §. Transfuga. 4. Eod.* Etenim Senatusconsulta fugitivos Servos usq; adeo odio habuêre, ut aditum dederint & militi, & pagano in prædia Senatorum, vel quorumcunq; ad investigandum fugitivum Servum: ad quod etiam lex Favia respexit, nec non epistola Divorum Imperatorũ Marci, & Commodi, *l. 1. §. 2. ff. De servis fugi.* Quæsitum est ab Africano, si Contubernalibus vasa utenda communi periculo dederim, deinde Servus meus his subreptis ad hostes fugerit, & posteà sine vasis sit captus, essetne mihi commodati actio cum Contubernalibus: Is respondit esse pro cujusq; parte: sed illi etiam mecum furti, nomine Servi, agere poterunt, quoniam & noxa caput sequitur. *l. Rem mihi. 21. ff. Commodati.* Sed si Servus captus sit ab hostibus, egoq; de jure interrogatus, respondeam in mea esse potestate: locus tamen non erit noxali actioni, quia non est in potestate: *l. Si servus. 16. ff. De inter. acti.* quamvis postliminium possit interim dubitationem afferre. Sed forsan aliquibus in istis

nimiùm immorari videbor, quia hodie inter Christianos, quantum ad personas hominum, non observamus jura captivitatis, & postliminij: & nec habentur, nec venduntur Servi captivi: *Bart. l. Hostes 24. ff. De capt. & postlim.* licet quantum ad res, jura ista servare videamur. Iis tamen respondebo, id omnino mihi esse propositum, ut, quæ à Jurisconsultis militibus concessa sunt, sine ulla fraude referam.

Caput XXX.

Obsides.

Saepissime usuvenit concordiæ firmioris gratia, ac ut pacis conditiones serventur, utrinq; Obsides dari, quos omnino Jurisconsulti prætermittere noluerunt, neque ego silentio præteribo. Datis enim Obsidibus, firmius stabilita pax esse videtur. Horum itaq; bona, sicuti captivorum, Commodi Imperatoris Rescripto in Fiscum omni modo cogenda sunt: *l. Divus. ff. De jure Fisci.* bona intelligo ibi quæsita. Hinc Ulpianus dixit, eos testari non posse, nisi illis permissum sit. *l. Obsides. ff. De testam.* Obsides dari volo vel pro captivis, vel pro pace componenda: neque exemplo Ariovisti, à quo, ne obsidibus quidem datis, Hedui pacem redimere potuerunt, reijci à nobis, aut recusari. *Cæsar. lib. 1. bel. Gal.*

Gal. Neq; illi erunt loco pignoris obligati, ſed tantùm id præſtabunt, ut fiat, quod inter parteis convênit: ac poſteà redeant: cùm obligatio pignoris in liberos homines cadere nequeat. *l. Qui filios. 6. C. Quæ res pign.* Romani antiquitus cognitis Philippi beneficijs, cùm in Antiochum arma ſumpſiſſent, ut parem illi referrent gratiam, Demetrium filium Obſidem Patri remiſerunt. *Appi. in Syrio.* At è diverſo Conſtantinus, ubi apud Britones regnare cœpit, bellum paravit in Scotos, quos, datis Obſidibus, Britones amicos ſibi fecerant: ſed Scoti, cognito eorum conſilio, omneis Obſides ad unum interfecerunt: ita, dum fides non ſervatur, in Obſides ſævitum eſt. *Hector Boeth. lib. 8. histo. Scoto.* Henricus quoque Saxoniæ Dux Vercislaum Pribislai Obotritorum Principis fratrem pacis Obſidem habens, in conſpectu fratris jugulari juſſit, cùm belli concitatorem conviciſſet. *Albert. Krantz Saxoniæ libro 6. cap. 19.* Hîc tandem meminiſſe libet Octavij Cæſaris, qui à quibuſdã exigere tentavit novum genus Obſidum, fœminas ſcilicet, quòd negligere Marium pignora videbatur: tamen poteſtatem ſemper omnibus fecit, quoties vellent, Obſides recipiendi. *Tranquill. in Octavio.* Cenſemus itaque Obſides dari poſſe, & debere ad firmandam pacem, cùm melius ſit, certam pacẽ cum hoſtibus habere, quàm ſperatam victoriã. Tum

etiam memoratur quidam puer nobilis M. Bambalionis nepos Obſes datus pacem cum hoſtibus confeciſſe. *Cice. Philip. 2.*

Caput XXXI.

Reſtitutio Militum.

Quid tandem non concedemus ei, qui non fortunas ſolùm, ſed & ſeipſum bello devovit, ac belli dubios eventus expertus, ab hoſtibus captus eſt? Peribitne jus jamdiu illi quæſitum? eruntne eidem damno tempora, quæ in uſus publicos impendit? At Imperatores Diocletianus, & Maximianus voluerũt ab hoſtibus captos, & poſtliminio reverſos recuperare, quæcunq; ob eum caſum amiſerint: *l. Ab hoſtibus 18. C. De poſtli. reverſ.* etiamſi à Fiſco eſſent poſſeſſa. *l. Si quos forte 19. Eod.* Hoc tantùm diligenter inquirendum eſt, an cum Barbaris ſua voluntate fuerint, an coacti: oportet enim hoſtili irruptione traductos fuiſſe. Adhæc Hadrianus Imperator reſcripſit, ita reſtitui oportere à Barbaris remiſſos milites, ſi probabunt ſe captos evaſiſſe, non transfugiſſe. Atq; licet hoc liquidò conſtare non poſſit, argumentis tamẽ cognoſcendum eſt: nam ſi bonus miles antè fuit æſtimatus, propè eſt, ut affirmationi ejus credatur: ſi emanſor, aut ſegnis, aut negligens ſuorum, non credatur ei, qui poſt multum

multum temporis redijt. Si itaq; constat, captum eum non transfugisse, ut Veteranus restituetur, & præmia, & emeritum accipiet. *l. Non omnes. 5 § à Barbaris. & §. si post. ff. De re milit.* Quòd si ex alia caussa, puta desertionis, in militiam restituatur, non aliter medij temporis stipendia, & donativū accipiet, quàm si Princeps id ei ex liberalitate indulserit. *l. Qui excubias. ff. eo. titu.* Dicimus igitur milites, etiamsi majores sint, qui apud hostes detinentur, in integrum restitui, ne vel obsit eis, vel prosit, quod evenit. *l. 1. in pr. ff. ex quib. cau. ma.* Non minus autem ab hostibus captis, quàm ibi natis, qui postliminium habent, succursum videtur: *l. Ab hostibus. 15. §. Non minus. 1. ff. eo. tit.* existimavitq; Ulpianus auxilium ejusmodi competere nomine ejus, qui apud hostes est, si Curator fuerit bonis constitutus. *d. l. Ab hostibus 15. in fin. pr.* Accedit istis Imperatorum Rescriptum. *l. fi. C. Qui. ex cau. ma.* Si quis ab hostibus cum Patre, ac Matre captus sit, ac illis ibi defunctis beneficio legis Corneliæ, successionem eorū quæsiverit, hanc potest vindicare, etiamsi opponatur ei annua exceptio: nam tum Reipublicæ caussa abest: quare fit, ut nō solùm non restituendus, sed fortunis etiam, donisq; maximis adaugendus veniat. Hìc restitutiones leviter tantùm attigimus, quod suprà latiùs sint expositæ.

Caput XXXII.

De Donationibus.

Donationes à donis dictę sunt, quasi donorum dationes. *l. Senatus 35. §. 1. ff. De dona. cau. mortis.* In quibus est mortis caussa donatio: quæ ab illa vera, & absoluta donatione longè differt: quæ ita proficiscitur, ut nullo casu revocari possit: & is, qui donat, illum potius, quàm se, habere mavult. Is verò, qui mortis caussa donat, se potius habere vult, quàm eum, cui donat: illum etiam potius, quàm hęredem suum. Dum ergo ad se respicit, vult, ut, cùm convaluerit, reddatur sibi. *d. l. Senatus §. 2. & 3.* Ulpianus inter istas nullam differentiam faciens, ait eos, qui castrense habent peculium, vel quasi castrense, donare posse & mortis caussa, & non mortis caussa, cùm testamenti factionem habeant. *l. Filiusfamiliâs 7. in fi. ff. De. don.* At verò perplacent mihi illæ donationes, quæ à beneficentia conferuntur in eos, quorum mores, & in re militari singularis præstantia spectatur: ita ut beneficium dando accipiat, qui digno dederit: qui enim indigno aliquid contulit, is mihi videtur, ut est in proverbio, Suem Veneri offerre. Eam ob rem prudens Imperator in conferendis beneficijs, quibus animos militum facilè potest & allicere, & retinere, dignitatum, animi

animi erga ſe, communitatis, ac ſocietatis rationem habere debet. Hoc modo legimus Romanorum Imperatores nonnunquam ad concionem vocaſſe exercitus, ibiq; producere conſueviſſe eos, qui præter cæteros aliquid egiſſe viſi erant, ac de ſingulorum laudibus orationem habuiſſe: deinde ei, qui hoſtem vulneraverat, geſſum donaſſe: qui equo dejecerat, ſpoliaverátve, Pediti Phialam: Equiti phaleras: qui murum primus aſcenderat, auream coronam. Iis non ſolum præſenteis provocabat ad concertationem, imitationemque in periculis ſubeundis, ſed & domi manenteis. Nam præter gloriam inter milites, & famam, quæ ilicò pervagatur, etiam poſt reditum in patriam pompas ſolenneis cum dignitate adibant. *Polybius libro De Roma. caſtrametat.* Octavius Cæſar poſt Philippenſe, & Mutinenſe bellum, cùm Legionibus coronas, Tribunis purpuream veſtem dediſſet, Hoſtilius quidam è Tribunorum numero Coronas, purpuramq; puerorum delinimenta eſſe ait: exercitui agris opus eſſe, & pecunijs, non ludicris. *Appia. libr. 5. bell. civil.* Ideoque Julius Cæſar duobus Allobrogibus Roſcillo, & Aego Adbucilli filijs ob ſingularem virtutem, resque in Gallia fortiſſimè geſtas, agros multos in Gallia dedit, præmiaque magna rei pecuniariæ, & locupletes ex egentibus fecit.

Cæsar, lib. 3. bel. civil. Idem Cæsar, cùm ex Gallijs Romæ triumphasset, & ex Pharnace, militibus, quæcunq; promiserat, persolvit: ampliore etiam pecunia, militi dragmas Atticas quinquies mille: Turmæ Doctori bis totidem: Tribunis militum, Equitibusq; duplo magis: singulis ex populo minam unam Atticam. *Appian. lib. 2. bell. Civil.* Ille idem Cæsar thesauros à nemine contactos usq; in illum diem militibus concessit. *Appia. lib. 2. de bel. civil.* Illos autem thesauros, execratione proposita, publicè conditos fuisse memorabant, ut, nisi Celtico insurgente bello, à nullo promerentur. Verùm Cæsar Celtas à se devictos asserens, Urbem ab execratione liberam reddidisse aiebat, eosq; thesauros donavit militib. Octavius quoq; pecunias publicas in Janiculo repertas, & quas, Cicerone priùs exigente, inscriptas fuisse noverat, exercitui distribuit, duo millia, & quingentas dragmas unicuiq; exhibens. *Idem. ibidem. lib. 3.* Pompejus, victo Mithridate, antequàm triumpharet, militibus viritim donavit mille, & quingentas dragmas Atticas: Ducibus multò plureis. Summa omnis decies sexagies mille talenta attigisse credebatur. *Idem. in Mithridatico.* Sciopiones, & Metelli nihil fecerunt accuratius, quàm ut milites præmijs, & honoribus affectos ad omnia accenderent. Et Hadrianus, exemplo Scipionũ, & Metelli, & autoris sui

Traiani

Trajani milites præmiis, & honoribus donabat, ut aſperiora, quæ præciperet, diligentius facerent. *Spartia. in Hadria.* Alexander Severus dicere ſolebat, militem non timere Imperatorē, niſi eſſet veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & haberet aliquid in zonula; nimirum quòd mendicitas militaris ad deſperationem vocaret exercitum. Donatæ ſunt autem aliquando militibus Coronæ, Haſtæ, Phaleræ, Armillæ, agri, ſtatuæ, multaq́; alia, quæ à Plinio, Gellio, Blondo congeſta videre potes. Ea verò Imperatorum in milites largitio Juriſconſulto *l. Qui excubias. 10. §. 1. ff. De re milita.* donativum dicitur, λαμπρὰ ἐπίδοσις. De quo Claudius Imperator primus ſanxit, ut Imperatores omnes in auſpicatu Imperij donativum militibus pronunciarent. *Tranq. in vita Claudij.* Neque tamen, ut verum fatear, quod militibus ob diuturnos labores, ſudoresq́;, ac vigilias collatum eſt, beneficium appellari debet, ſed merces. Atq; ideò Paulus ſcripſit, ſi quis quempiam à latrunculis, vel hoſtibus eripuerit, & aliquid pro ea re ab ipſo capiat, donationem eſſe irrevocabilem: nam merces eximij laboris appellanda eſt: id quod propter ſubſidij magnitudinem certo modo æſtimari non placuit; *l. Si Pater 34. §. 1. ff. De donat.* Huic ſimilis eſt Aquilij Reguli donatio Nicoſtrato Rhetori, quòd cum patre ejus fuiſſet, & eum eloquentia, diligentiaq́; me-

liorem reddidiſſet. De ea autem donatione cùm controverſiam ſubiiſſet Nicoſtratus, Papinianus reſpondit, poſſe defendi non meram donationem eſſe: verùm officium Magiſtri quadam mercede remuneratum eſſe Regulum. *l. Aquilius, 27. ff. eod. titu.* Ita ego mercedem eſſe exiſtimo, quicquid militibus poſt res præclarè geſtas à Ducibus confertur. At multò magis ſibi milites devinciunt, qui, nullis rebus geſtis, beneficia illis liberaliter elargiuntur: quod maximè probo, ſi ad largiendum ſuppetunt facultates: nam eum non voco liberalem, qui, exemplo L. Syllæ, à juſtis Dominis pecunias ad alienos tranſtulerit. *Cicer. offic. 1.* Quantum autem attinet ad donationes cauſſa mortis, ſuprà dictum eſt, milites liberam teſtamenti factionem habere, *l. Milites. 15. C. De teſtamen. militari.* ideoq; donare poſſe. Qua de cauſſa Marcellus annotavit, filijfamiliâs militibus, cùm liberam facultatem adepti ſint relinquendi teſtamento, cui velint, ea quoq; eſſe permiſſa, quæ in donationibus cauſſa mortis fieri debent: *l. Marcellus. 15. ff. De donat. cau mort.* quod præter omnium Juriſconſultorum ſententias limitatum volo, ſi neq; neceſſitate coactus, aut perſuaſione, miles eam donationem fecerit. Quod ad legem Solonis proximè accedit, qua morientium donationes ratas eſſe voluit, niſi quis neceſſitate coactus fuerit,

rit, aut ab Uxore persuasus. *Plutarchus in problemat.* Ille necessitatem tanquam vim afferentem: voluptatem quasi decipientem excepit. Minùs tamen placet vis, quàm persuasio, cùm non ignorem, vim inimicitias sequi cum periculis: persuadendo autem eadem fieri posse cum amicitia. *Xenophon libro 1. de dict. & fact. Socrat.* Hæc tamen à militum donationibus removenda censemus.

CAPUT XXXIII.

De Solutionibus.

ETSI DURUM videtur Emansoribus, aut Triobolaribus militibus, qui vel diē unum tantùm militaverunt, æs alienum persolvere: non dubito tamen, quin Veterano militi, qui ne latum quidem unguem à jure militiæ velit discedere, factu non sit difficillimum. Veruntamen in hac juris particula non carent milites privilegiis. Ac primùm Imperatores Severus, & Antoninus noluerunt stipendia cujusdam Marcelli militis retineri propter id, ad quod condemnatus esset, si aliter res judicata executioni demandari posset. *l. Stipendia. C. de execut. rei iudic.* Nam si judicio sunt condemnati eatenus, quatenus commodè facere poterunt, cogentur solvere: *l. Miles. 6. ff. De re iudic.* quod extēdimus ad ea tantùm, quæ in castris

con-

contraxerunt. Ea quoq; præmia, quæ pro Coronis Athletis ſunt penſitanda, privata pactione pignorari non poſſunt. *l. Spem. 5. C. Quæ res pig. oblig. poſſ.* Et ſi aliter non poteſt ſatisfieri judicato, ſancitum eſt, condemnato interdici debere commodis præmiorum, quæ propter Coronas ſacras præſtantur. *l. Commodis. 40. ff. De re judicata.* Adhæc accedit Franciſci Chriſtianiſſimi Francorum Regis edictum, quo præcepit, annonam, ſi deſint pecuniæ, militibus in creditum dari: quam tandem ſi illi non perſolverint, uſque ad eam ſummam debiti Quæſtor ſtipendia apud ſe retinebit, & Creditori perſolvet. Item Carolus ſeptimus Rex arma militum ob debitam pecuniam à Creditoribus detineri vetuit. Quare illi quidem injuſtè mihi conqueri videntur de Græcorum legibus, quæ arma militum debitori tradi prohibuerunt. At juſtè querebantur, quòd eadem lex milites ipſos dari præcipiebat. Ea de cauſſa Aegyptiis melior lex vetuiſſe videtur, ne illi, quorum opera in bellis civitates uterentur, ratione æris alieni in carcerem duci poſſent: bona eorum ſolùm obligata judicans. *Diodo. Sicul. lib. 2.* Ita Solon apud Athenienſes legem tuliſſe videtur, quam Siſacthiam appellavit, decernens, ne ob uſuras Civium corpora necterentur. Et ea forſitan de cauſſa Valerius Flaccus Romanis legem tulit, qua Creditoribus quadrantem

drantem tantùm ſolvi juſſit. *Velleius Paterculus lib. poſter.* At verò ijs conſtitutionibus diverſum eſt Alexandri Macedonis edictum: quo præcepit, ut omnes milites æs alienum profiterentur: quod ipſe tandem perſolvere decreverat: atque decem millia talentorum protulit, è quibus cẽtum, & triginta tantùm ſuperfuere: reliquum pro militibus exolutum eſt. *Q. Curtius lib. 10.* Quod etiam feciſſe legitur Seſoſtris Aegyptiorum Rex, licet magna multitudo militum ob æs alienum vincta eſſet. *Diodor. Sicul. lib. 2.* Item Cæſar, cùm è Gallijs Romam redijſſet, Debitorum abſolutiones palàm omnibus remiſit: Cenſores tamen rerum emptarum inſtituit, qui Creditoribus Debitores pecuniarum loco aſcriberent, & obligatos redderent. *Appian. lib. 2. de bell. civil.* Legimus præterea, milites in eundem Cæſarem aliquando inſurrexiſſe, quòd tot promiſſa in Lybia, & bello Pharſalico illis non præſtitiſſet: Ille autem, quò obligatione liber fieret, unicuiq; mille Dragmas perſolvi juſſit. *Idem ibidem.* Addamus hîc militiam emptam ex pecunia Creditoris, eſſe ipſi Creditori obligatam, ſive empta ſit nomine Debitoris, ſive filij, aut alterius Parentis. *l. Super hypothecis. C. De pigno.* Inſuper, qui dicit ſe indebitas pecunias ſolviſſe, compellitur probare, per dolum, vel aliam juſtam ignorantiæ cauſſam eſſe indebitum ſolutum: & niſi oſtenderit,

rit, nullam habet repetitionem Miles autem, utpote qui forensium rerum expers est, id privilegium habet, ut is, qui accepit, ostendere debeat, benè se accepisse, & debitas eidem fuisse solutas: sed hoc ita, si totam summam indebitam fuisse solutam is, qui dedit, contendat. Si autem queritur, quòd pars pecuniæ solutæ debita non est, vel quòd ab initio quidem debita fuit, sed vel dissoluto debito posteà ignarus iterum solvit, vel exceptione tutus eas pecunias dependit, ostendere debet, quòd vel plus debito solvit, vel jam solutam pecuniam per errorem repetita solutione dependit: vel tutus exceptione nesciens suam projecit pecuniam. *l. Cum de indebito. §. Si autem u. & §. seq. ff. De probat.* In summa, milites ad id tantùm tenentur, quod facere possunt. Idcirco Tertyllianus respondit *l. Si castrense. 7. ff. De castr. pec.* Si castrense peculium Maritus habet, in quantum dare potest, condemnabitur: nam ipsius propriū est idipsum peculiū. Ideoq; si pater rem castrensis peculii exolverit, alienam rem solvisse censebitur. *l. Qui res. 98. § rem. 3. ff. De solut. & liber.* Suntq; in solutionibus ita divisæ res castrenses à non castrensibus, ut Papinianus scripserit, *l. Cum militi. 16. ff. De compensat.* cùm militi castrensium bonorum alius, cæterorum alius hæres extitisset, & debitor alteri hæredum obligatus velit compensare, quod

ab

ab alio debetur, non audiendum: nam militis duæ ſunt hæreditates. Hæc autem privilegia ad Advocatos cum Accurſio *l. Advocatos. C. De Advoc. diverſ. iudic. & l. Sacroſan. C. De Epiſcop. & Cler.* non extendam, cùm de armata militia Paulus loquatur: ac multò minus ad Sacerdotes, licet à Gloſſatoribus & horum, & illorum bona quaſi caſtrenſia appellentur. Ii quoque cœleſtis, illi verò forenſis militiæ milites ab Imperatoribus, ac Romanis Pontificibus ſint vocati. *Epiſtol. Inter claras. C. de ſumma Trinitá & Ca. 1. extra De Cleri. ægrot.* Sed valeant cum imaginaria ſua militia. Nos hoc libro cum de armatis tantùm militibus loquimur, tum à Juriſconſultorum verbis ne latum quidem digitum diſcedere volumus.

CAPUT XXXIV.

Imperitia militum, ſive iuris ignorantia.

ANTIQUI Philoſophi poſuere ignorantiam inter cauſſas delinquendi: *Plato libr. 9. de legib.* quam etiam bipartitò dividebant: Simplicem, quæ leviorum peccatorum cauſſa eſſet: Duplicem verò arbitrabantur, cùm quis ſapientiæ opinione inflatus ea ſe ſcire exiſtimabat, quorum omninò erat ignarus: in qua peccare milites maximè nolim. Debent enim armorũ diſciplinam ita ad unguem tenere, ut nulla omninò nota illis inuri, vel adſcribi poſſit. Poſſunt tamen citra inju-

injuriam leges, ac jura ignorare, cùm ſapientiſſimus Legislator hos arma potiùs, quàm jura, ſcire maluerit. *l. fi. in prin. C. De iure delib.* Atque licet notiſſima ſit juris regula, ignorantiam juris unicuiq; nocere, militi tamen non nocet. Nam ſi miles filiusfamiliâs à Commilitone hæres inſtitutus neſciat ſibi etiam ſine Patre licere adire hæreditatem, conſtitutionibus Principum jus poteſt ignorare: neque cedit ei dies aditionis. *l. Regula. §. Si filiusfam. 1. ff. De iur. & fact. ignor.* Prætereà Imperator Antoninus Maximo militi conceſſit, defenſionibus uti, ac allegationibus, quas propter juris ignorantiam, & armatæ militiæ puritatem omiſerat, cùm ex judicato conveniretur, ac nondum ſatisfeciſſet, *l. 1. C. eod. tit.* Excipimus itaq; ab illa ſuprà dicta generali regula milites: quibus tamen nolumus eſſe dedecori, ſi ipſa jura civilia probè calluerint: licet Juſtinus Imperator *l. Repetita. 41. C. De Ep. & Cle.* opprobrium dicat eſſe Clericis, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium: quos cœleſtis militiæ milites ab omnibus vocitari, certum eſt. Eſt & inermis militia Cauſſidicorum, qui totis nervis efficere debent, ne id eis objiciatur, quod Q. Mutius Servio Sulpitio dixit, turpe eſſe Patritio, ac nobili viro, & cauſſas oranti jus, in quo verſaretur, ignorare: *l. 2. § Servius. 43. ff. De orig. iur.* debet enim leges noviſſe Orator, in quibus

bus totus eſt. *Cicero pro Aul. Cluent.* Iſtud autem militum privilegium commune eſt etiam Paganis: *gloſ. alleg. l. Regula.* maximè ſi Juriſconſultorum copiam habere nequiverint. Nam etſi quis ignorans militi, quaſi Pagano, locaverit aliquid, reſponſum eſt, poſſe exigere: non enim contemnit diſciplinam, qui militem ignorat, *l. Si ignorans. 50. ff. Locati.* Verùm iſta facti ignorationem reſpiciunt, quæ nemini nocet, niſi illi ipſi ſumma negligentia objiciatur. De qua nihil tractare hoc loco nobis eſt propoſitum.

CAPUT XXXV.

Excuſationes munerum.

EXCUSATIO à publicis oneribus, vel muneribus ab Honorio, & Theodoſio *l. Cùm Navarchorum. C. De navicula. libro 11.* vocatur ἀλειτουργησία, quæ Veteranis militibus maximè competit, ut ſuprà dictum eſt, Capite de Veteranis: ac fermè toto iſto Libro nihil aliud agimus, quàm ut iſtas excuſationes, ac militum privilegia ob oculos omnium ponamus. Primùm quidem vectigalia, & patrimoniorum onera ſolennia omneis ſuſtinere oportet. *l. 2. §. 1. ff. De Veteranis.* Munerum quidem civilium, ut refert Arcadius Libro ſingulari de muneribus ci-

vilibus, triplex est divisio. Quædam patrimonialia: quædam personalia: quædam mixta. *l. Munerum. 18. in principio. ff. de Munerib. & honoribus.* Quæ omnia civilia, seu publica appellantur. Quibuscunque autem civilium munerum immunitas jure conceditur, neque ab angariis, neque à veredo, neque à nave, neque ab hospite recipiendo, neque à capitatione excusare se possunt, exceptis militibus, & Veteranis. *d. l. Munerum. §. Sive autem. 29. Eod.* Quæ inter cætera illis remittuntur ab Imperatoribus, licet excusationem illis nolint tribuere. *l. Ab ijs. §. 2. ff. De vacat. & excusat. muner. & l. seq.* Atque cùm cæteri privati, quamvis militum cognati sint, legibus Patriæ suæ, & Provinciæ obedire debeant, ijs tamen, qui in castris operam insumunt, nullum municipale munus injungi potest. *l. 3. §. 1. ff. De muneribus & honoribus.* Quinimò milites, quibus in civitate præberi hospitia oportet, per vices ab omnibus, quos munus contingit, suscipiendi sunt. Durum quippe videbatur, milites armis impeditos ad negocia civilia adigere, cùm Constantij temporibus rarò effectum sit, ut militantium aliquis ad civilia regenda transiret: contraque non nisi pulvere bellico indurati præficiebantur armatis. *Ammia. Marcel. libro 21.* Neque tantùm

est

eſt militibus ipſis tributa munerum immunitas: ſed & Imperatores voluerunt Limitaneos milites agros Limitaneos cum paludibus, omniq́ue jure pro ſuo compendio & curare, & arare. *l. final. De fund. limitroph. libr. 11. C.* Conſueverat enim Alexander, quæ de hoſtibus capta erant, Limitaneis Ducibus, & militibus donare, ita ut eorum eſſent, ſi hæredes eorum militarent: nec unquam ad privatos pertinerent: dicens, attentius eos militaturos, ſi ſua etiam rura defenderent. *Lampridius in vita Alexandri.* Sunt etiam apud Florentinum Juriſconſultum agri limitati, qui de hoſtibus capti militibus per limites, hoc eſt, Centurias, aſſignabantur. *l. In agris. 16. ff. De acquirendo rerum dominio.* Id quod duobus modis fiebat: uno quidem, ut ij, quorum territorio agri ſumpti erant, nullam ampliùs juriſdictionem in eis haberent: ſed leges acciperent ab iis, qui illuc Veteranos deducerent. Qui manucaptus, aſſignatusq́ue Veteranis, publicus populi Romani remanet, nec alluvione diminuitur, ut vult Florentinus. Alius modus eſt, ut juriſdictio civitatis in eos agros ſalva eſſet: ſic, dum in civitate permanet, in cujus jure erat, quoniam videtur adhuc privatus eſſe, ibi jus eſt alluvionis: quod & Agennius Ur-

bicus in Libro de controversiis agrorum recitat. Pretia autem militiæ eò majora habebantur, quòd post exhaustos labores, emeritis stipendiis, milites sudóre, vigiliisque comparatis agris donarentur: quos velut opimam prædam, laborumque lætissimos fructus acciperent. Quantum verò agrorum illis Antiqui concesserint, nihil certi constitui potest. Existimo sanè pauciora jugera illis distribui consuevisse, tum ut plures Incolæ essent: tum ut paulò curiosius colerent. Livius meminit, cùm Romani Coloniam ad Vëios deducerent, unicuique tria jugera, & septuncem dedisse. Ego certè militibus bina jugera, aut tantum agri, quantum uno die circumarare possent, satis esse duco, si natura perbonos diligentia, culturaque meliores facere desideraverint. Ac licet Licinius Stolo de centum, & quinquaginta jugeribus possidendis legem tulerit, luxuriantis tamen Reipublicæ (ut est apud Plinium *nat. hist. libro 18. cap. 3.*) mensura fuit. Quamvis etiam plebi Romanæ, post exactos Reges, septem jugerum ratio assignata sit, & Quintio Cincinato aranti sua quatuor jugera, quæ prata Quintia in Vaticano appellantur, Dictatura Romanorum allata sit: nihilominus tamen militibus nostris bina illa jugera satis esse arbitramur, cùm

cùm notum ſit, Pœnos (Gentem acutiſſimam) dixiſſe, imbecilliorem agrum, quàm Agricolam, eſſe debere: *Columell. libro 1. cap. 3.* quoniam, cùm ſit colluctandum cum eo, ſi fundus prævaleat, alliditur Dominus. Minus quoque reddit laxus ager non rectè cultus, quàm anguſtus eximiè. Iis itaque militibus illud Poëtæ carmen ſumma cum diligentia obſervandum eſt:

--- Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

DE JURE ET PRIVILEGIIS MILITUM LIBER TERTIUS.

CLAUDIO COTERAEO TURONENSI Iurisconsulto Clarissimo Authore.

PROLOGUS.

MANLIUS TORQUATUS, & Valerius Corvinus Imperatores prudentissimi R. P. pari autoritate, atq; iisdem viribus Romanorum hosteis profligarunt, & æquali gloria, nec dissimili honore in præmium sunt donati. *Livius lib. 7. primæ Dec.* Illi tamen diversis modis, longeq; variis, ac differentibus consilijs ductabant exercitum, ac suis in officijs continebant. Alter enim ut vehemens, & ferox erat natura, ita atrociter, & cum ferocitate suas regebat copias. Alter verò plenus humanitatis, naturaq; lenissimus, omni mansuetudine, atq; humanitate militū animos sibi conciliabat, & suis jussis nihil parêre recusanteis in medios hostes deducebat. Alter terroribus, & pœnis, & mali assuetudine militum animos efferabat. Alter autem comitate sua non aversos, sed devotissi-

tissimos sibi milites reddidit. Alter, ut timorem militibus inijceret, singulari immanitate crudeliter filium occîdit. At alterius neq; facilitas autoritatem, neque severitas militum amorem diminuit. Horum licet diversa studia, disjunctæque gubernandi rationes extiterint, eundem tamen victoriæ fructum, simileis triumphos, neque dispares honores pepererunt. Quibus rebus ut non parva admiratione ducimur, ita inter probatos milites non inutiliter quæri potest, plúsne possit feritas in regendo exercitu, quàm humanitas. Torquatum aliqui non abs re laudant, quia sacramentum militare, quod inviolatum esse debet, summo jure observari voluerit. Juraverat autem filius se injussu Cos. nunquam pugnaturum, etiamsi certam victoriam videret. Quid, quæso, faciundum est illi Imperatori, qui præcepta sua præcisè observari cupit? qui mandata sua non temerè violari velit? qui fidem sacramento datam maximi faciat? Etenim illum Imperatorem, qui sibi morem gerenteis, ac obsequenteis milites habere desiderat, non solùm, quæ imperare velit, sed etiam quibus modis imperata inviolata reddat, cognoscere oportet. Certè quidem ea nobis frustrà præcepta videntur, quibus non parëre: incassumque dicta, quibus non auscultare velimus. Præterea cùm eam legem,

quæ utilis eſt Reipublicæ, ſummo jure obſervare debeamus, cur non juſtè Torquatus patriæ amorem amori filij prætulerit? Patria quippe quibuſcunq; Parentibus potiori, ac priori loco habenda eſt: atque ideò vir magnanimus nulla vel difficilima munera detrectabit, ſi ſalutem Reipublicæ, ſi Patriæ utilitatem inde pendêre cognoverit. Proinde is Imperatorio nomine mihi dignus non videtur, qui neſciat eam legem, quæ dura eſt, cum duritia præcipi, & duriter, aſpereque obſervari debere. Enimverò non ſolùm, quæ primò ſeverè præcepta ſunt, ſeveriori indigent judicio: ſed etiã veluti Imperator leges, quæ proximè naturam ejus accedunt, militibus proponit, ita & Natura duce, illas ſuo in robore intactas conſervare meminerit. Quæ ſanè ſi vera ſunt, ut eſt Philoſophorum omnium ſententia, itáne Manlius, qui ferocioris erat animi, præcepta ſua ferociter obſervari immeritò voluit? peccanteis acerbè caſtigavit? ſeverè in delinquenteis animadvertit? Tacitus utiq; cenſet, in regenda multitudine plus pœnam valere, quàm lenitatem. *Corn. Tacitus libr. 2. Annal.* Siquidem cùm duabus potiſſimùm rebus moveantur homines, amore ſcilicet, & timore, ſæpè fieri videmus, ut ei, quem timemus, quàm ei, quem amamus, ſimus obſequentiores. At è diverſo Valerius, qui animo erat ad omnem

comi-

comitatem, & mansuetudinem propensissimo, numquid impensè laudandus est, quòd milites suos facilitate, & innata sibi humanitate, ad subeunda quæcunq; belli munia pellexerit? Ille nimirum lenitate sua flectebat, frangebatq; militum animos. Nam, si quos legum contemptores dignis pœnis afficiebat, non Imperatoris severitati, sed legum asperitati ascribebant. Persæpè autem usuvenire solet, ut illos diligentius & amemus, & admiremur, quibus nihil (ut ait Livius) est popularius. Rectè Comicum illud in ore omnium est, familiaritatē nimiam contemptum parere, cùm perfacilè eum, quo cum familiariter vivimus, contemnamus, & negligamus. Tum notum est omnibus, Scipionis humanitatem effecisse, ut Milites rebellarint, & seditionem maximam moverint, quæ non alio, quàm asperitate, & feritate extingui potuit. *Livius, lib. 7 Decad. 3.* Annibalis item crudelitas multis, varijsq; populis conflatum exercitum in maximis bellicæ rei officijs continuit. *Idem, lib. 10. Decad. 3.* Nihilominus tamen, si Valerij ingenium, facilitatemq; spectaveris, mea quidem sententia, pronunciabis, eum talem Imperatorem existere debuisse, cujus benignitas in omneis milites exuberaret. Hinc nonnulli pietatem magis, quàm crudelitatem, humanitatem plùs, quàm superbiam, prodesse putaverunt.

An non Ap. Claudij immanitas exercitum Romanum in ſummum diſcrimen adduxit? *Idem primæ Decad. lib. 2.* Contrà: num Quintij humanitas amplam victoriæ anſam præbuit? Nonne timor nos faciliùs in odium, quàm amorem, convertit? Planè manſuetudo, & benevolentia multò plus in animis hominũ mihi poſſe videntur, quàm ferocitas, quàm violentia. Etenim Camilli humanitate citius Faliſcorum urbs capta eſt, quàm violentia. *Livius, libro. 5. primæ Decad.* Fabricij liberalitas, non autem violentia, Pyrrhum Italia expulit. *Idem lib 4. Decad. 4.* Quid tandem non effecit Cyri apud Xenophontem manſuetudo, & affabilitas? Hîc nos prudentis Imperatoris officium deſideramus: cui diligenter conſiderandum eſt, ſitne ex ſociis, an ex ſubditis conflatus exercitus. Socios namq; non pœnis, aut aſperitate, ſed lenitate regendos eſſe arbitramur. Atq; ea de cauſſa Romanorum Imperatoribus benignitatem neceſſariam extitiſſe dicimus, cùm plebs æqualis eſſet cum nobilitate & Imperij, & autoritatis. Si verò Imperator ſubditorum exercitum ſibi comparavit, ne plus æquo inſolentiores fiant, ne nimia facilitas damnum pariat, pœna (ea tamen moderata) humanitati præferenda eſt. Nos ſeveriori Imperio lenitatem præponi debere cenſemus. Nam illorum amicitia, quos neq; armis cogere, neq; auro parare

rare queas, officio, & fide paratur. At verò ut ne temerè quicquam præſcribere cuiquã videamur, qua lenitate, & facilitate vel conciliandi, vel retinendi ſint militum animi: qua contrà ſeveritate, & ſupercilio in viam, ſi quando ab officio recedant, revocandi, illud ipſum prorſus prudentis, & ſapientis Imperatoris ſit judicium, qui à principio ſagaciter ſuorum mores, ingeniaq; notet, obſervet, perſpiciat: perſpecta ad eas potiſſimùm res dirigat, quas ab illis pro re nata, ut ſunt varij in bello caſus, peragi debere providebit. Summa igitur noſtri hujuſce conſilij eſt, Imperatoris prudentia, judicium, nutus.

CAPUT I.

Crimina militaria.

TURPISSIMUM forſan, ac indignum Sapienti videbitur, hoc loco militum crimina pertractare: quos & ad omnem virtutem, & ad quaſque res perfectiſſimas tàm diligenter compoſuimus. Etenim quis non abſurdum exiſtimabit, in benè inſtituta, formataque militia nequiſſimum hominem inveniri, quem vel legibus coërcere, vel caſtigare oporteat? Nam qui perfectam Rempublicam nituntur conſtruere, atque ideo tum condendis legibus, tum præſignando mili-

militibus tramite, quo illuc pervenitur, dies, nocteisq; consumunt, si non ex voto res cedere, operamq;, ac oleum aliqua in parte sese lusisse perspiciant, quid vel facturos, vel dicturos existimas? Abijcientne suum propositum, ac in medio cursu (re nondum perfecta) cōsistent, vel ad operis principiū sese referēt? Ego illic consistere, si ulterius non datum est progredi, satius existimo. Qui namq; supremum virtutum apicem assequi nequeunt, si medio in cursu constiterint, multò pluris faciendi sunt, quàm illi, qui parteis tantùm infimas attigere. Audebitne is Reipublicæ militaris Dominus, non quid fiat, ut est Legislatoris officium, sed quid faciundum sit, inspicere? Romani cùm intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquādo violaret audacia, sapientius fecisse existimantur, quòd supplicium in Parricidas singulare excogitaverint, quàm Solon: qui, cùm interrogaretur, cur nullum in eos supplicium constituisset, respondit, se id neminem facturum putasse. *Cicero, pro Sex. Rosc. Ameri.* Quamobrem non absurdum, sed potius necessarium ducimus, in hac potissimùm parte militibus leges præscribere, ut & omnis militia legibus munita sit, & ipsa crimina suppliciorum acerbitate reprimantur. Neq; enim Deorum, Heroum ve, qui ex Dijs nati sunt, jura scribimus, sed Hominum: quos neq; usq; adeo pru-

prudenteis,sapiēteisq́; experimur,ut legibus non indigeant: neq; adeo insanabileis, & efferatos cognovimus, ut legibus, quæ vel coërceant, vel condemnent, ceu fulmine aliquo terreri, aut medicina sanari non possint. Enimuerò, ut benè institutum Militem nolumus aliqua criminum labe deturpari, ita summopere timemus, ne qui tali morbo laborantes reperiantur. Cui si medicinam adhibuero, facilè fiet, ut & Duces exercituū, & Legionum Præfecti non minimum commodum se consequutos credant. Arrius Menander Libro primo de re militari, proprium militare delictum ait esse, quod quis, uti Miles, admittit. *l. 2 ff. De re milita.* Dicitur autem Miles committere delictum, si quid aliter faciat, quàm disciplina communis exigit: cujusmodi est segnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ. *l. Omne delictum. 6. in pr. ff. Eod.* Crimen quidem committitur, quando nocendi voluntas intercedit: cæterùm si quid ex improviso casu potius, quàm fraude accidat, fato plerumq́;, non noxæ, assignabitur. Ideoq́; Antoninus Imperator Herculiano, alijsq́; Militibus rescripsit, si quis Militum probaverit, non occidendi animo hominem à se percussum, homicidij pœnam remitti debere, & secundum militarem disciplinam sententiam proferri. *l. 1. C. Ad l. Cor. de Sicar.* Atque si à Milite in eo campo, quo exerceri solitus

litus est, crimen est admissum, nulla ejus culpa intelligitur: veluti dum jaculis ludit, transeuntem Servum si traijciat. Si tamen alio loco, quàm qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit, culpæ reus est. *§. Itaq; si quis 4. Institut. De l. Aquil.* Prætereà licet in pœnis, quæ militibus infliguntur, jura ipsa sint atrocia, ut infrà latius persequemur, mitius tamen in infamię casu cũ ijs agitur, quàm cum alijs. Nam notati Milites ex eo delicto, quod in Paganorum personam potest cadere, post missionem famosi non sunt. Adeoque nota, quæ propter delictum militare intercessit, æstimationem Militis Veterani lædere non censebitur: *l. Frustra. 7. C. De re milit. lib. 12.* quamvis quædam delicta Pagano aut nullam, aut leviorem pœnam irrogent: Militi verò graviorem. *l. Quædam. 14. ff. De pœnis.* Veruntamen Miles per infamiam, si qua illi inusta sit, Miles esse desinet. *l. Mil. C. de re mil. li 12.* Neq; enim patiemur quemquã infamem militari sacramento vel obligari, vel obligatum in hac nostra militia permanere. Sunt igitur criminum militarium plures species, quas suo ordine demonstrabimus: quanquam res multi negotij sit, & finium non ita admodum brevium. Nempe, ut varium est hominis ingenium, ut variè quorundam effrenatæ mentes, & ad omne scelus concipiendum projectæ, ita varia ebulliunt

subin-

ſubinde in exercitu crimina, quibus conſtitutas ab Antiquis pœnas vix quidem reperias. Nos verò, quæ pro Majorum normis crimini militibus verti poſſunt, tantùm conſectabimur.

CAPUT II.

Qui hoſtibus ſe dedunt.

PRIMUM igitur de ijs, qui hoſtibus ſe dedunt, tractemus: quorum crimen tantò longius à nobis propellendum eſt, quantò diligentius in delinquenteis animadvertere debemus. Nam nulla major peſtis in toto exercitu futura videtur, quàm cùm vires ipſæ ad hoſtes deficiunt. Fit enim, ut, tibi robur fortiſſimum quod paraveras, hoſtibus ſit auxilio: ut homines, quos in uſus tuos educaveras, erudieras, inſtruxeras, eruditos, inſtructoſque hoſtes habeant. Quæ autem major contumelia, quàm fructum ſeminare, quem alij demetant? Ne itaque militibus præſtetur occaſio, nulla tentata belli fortuna hoſtibus ſe dedere, graviſſimum id crimen apud Antiquos eſt habitum: atque quò majori in dignitate conſtituti ſunt, eò graviori pœna affici debent. Juriſconſultis quoque, dare ſe militem, cui non licet, grave crimen habetur: & augetur, ut in cæteris delictis, dignitate, gradu, & ſpecie

cie militiæ: *l. 2. ff. De re mili.* cujuſmodi ſunt & illi, qui armis victi hoſtibus ſeſe dediderunt: quos Paulus ſcripſit poſtliminio carere: *l. Poſtliminio. 17. ff. De capt. & poſtli.* ego quoque in hoſtium numerum referendos cenſeo, cùm & malo conſilio, & animo Proditoris Patriam relinquant. *l. Poſtliminium. 19. §. Transfugæ, 4. ff. De capti. & poſtli.* Iis cùm à jure nullam pœnam certam infligi reperiam, Imperatoris arbitrio puniendos relinquo. Prudenter autem facturum Imperatorem exiſtimo, ſi Maximè ad Majorum exempla ſe referat, atq; animo ſuo infigat, à Romanis Brutios, qui primi ex tota Italia ad Annibalem deſciverant, ignominiæ cauſſa non milites ſcriptos, neq; pro Socijs habitos: ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parêre, & præminiſtrare, Servorum vice, juſſos. Sequebantur itaq; illi Duces, & Imperatores, velut ij, quos in Scenicis fabulis lorarios dicimus: atq; alios, ut juſſum erat, aut vinciebant, aut verberabant. Sunt Præterea apud Hiſtoriographos varia hujus criminis exempla. Nam Orontes quidam Equitum Præfectus, cùm Epiſtolam ad hoſtem Cyri ſcripſiſſet, qua pollicebatur, ſe cum Equitum turma propediem affuturum, literis à Cyro depræhenſis, ac Græcorum Ducibus congregatis, per Cyrum morti eſt condemnatus. *Xenophon, lib. 1. De Cyri. mino. expedit.* Legitur item, Legionem

nem Campanam, quæ Rhegium occupaverat, & deinde obſeſſa deditionem fecerat, ideo ſecuri percuſſam eſſe. *L. Florus, Epito. lib.* 15. Fredericus Secundus Imperator Neapolitanũ Regnum poſſidens Henricum filium, quòd ab eo ad hoſtes defecerat, in Apuliam relegatum, dum è Germania in Italiam rediret, novoſq; ſubinde motus audiviſſet concitari, in carcerem detrudi, atq; necari juſſit. *Michael Ritius lib. 2. de Regibus Neapolit.* Eteldredus Anglorum Rex ab Danis bello graviſſimo impetitus, claſſem munitiſſimã paravit: cui Elfricus vir & animo, & viribus ferox præfectus eſt· cæterùm neſcio qua de cauſſa minùs fidus extitit. Nam adventantibus Danis ſimulato animo obviam factus, dum pugnam ſe fingit expedire, ad hoſtes defecit. Confecta tandem pace, ad Regem redijt, veniamq; commiſſi delicti non facilè impetravit, atq; vita, oculis tantùm pro crimine effoſſis, donatus eſt. *Poly. Virgi. lib. 7. Angli. hiſtoriarum.* Neq; ſolùm eos, qui maligno animo ad hoſtes deſciſcunt, puniri velim, ſed & eos prætereà, qui parteis hoſtileis fovent, mulctandos cenſeo: nam qua in cauſſa deteriores illi judicandi ſunt, quòd armis juvent hoſtes noſtros, eadem & iſti: qui etſi armis id, quod jampridem animo conceptum eſt, perficere nequeunt, attamẽ juvant opibus, juvant conſilio, juvãt monitionibus:

quibus plerumq; nostri conatus franguntur. Idcirco si quis militarium, aut nobilium inter Costantij familiareis insimulatus fuisset, rumore tenus hostes fovisse, injecto onere catenarum in modum beluæ trahebatur, neq; usquam vinculis erat exsolutus. *Ammia. Marcel. lib.* 14. Sunt præter id etiam militariter puniendi, qui, post desertionem, in aliam militiam nomen dederunt, legive sese sunt passi. *l. Qui cum § Qui post. ff. De re milita.* Idque Imperatores non in Desertorum tantùm odium, sed & in suam ipsius utilitatem, ac præstantissimum militię decorem constituerunt.

Caput III.

Emansores, & Desertores.

PRoximi sunt ij, quos Emansores, & Desertores dicimus: qui tamen in hoc differunt, quòd Emansor est, qui diu vagatus ad castra regreditur: Desertor verò, qui per prolixum tempus evagatus reducitur. Hic longo tempore absens est: ille verò modico tempore, veluti die uno, abfuit. *l. Desertorem.* 3 *§. Emansor.* 2. *& §. Desertor.* 3. *ff. De re milita;* Edictum autem Germanici Cæsaris Militem Desertorem faciebat, qui diu abfuisset: ac, nullo facto discrimine, inter Emãsores habebatur. Sed sive quis die uno, aut parvo tẽpore absens redeat, & offerat se, sive

depræ-

depræhensus offeratur, is Desertorum pœnas evitabit: est enim tantùm Emansor: nec interest, cui sese offerat, vel à quo depræhendatur. Ergo levius delictum Emansoris habetur, ut erronis in Servis: Desertoris gravius, ut in fugitivis. *l. Qui cum. §. Edictum. ff. eo. titu.* Debent autem emansionis caussæ examinari, cur, ubi fuerit, quid egerit: & datur venia valetudini, affectioni Parentum, & Affinium, & si Servum fugientem est persequutus, vel si qua hujusmodi caussa sit. Sed & ignoranti adhuc disciplinam Tyroni ignoscitur. *d. l. Qui cum §. fina. ff. Eod.* Est itaq; militaris Judicis officium (cui maximè cavendum est, ne mulctam immeritò inferat) diligenter considerare, eos, qui commeatus spatium excesserint, Emansoris, vel Desertoris loco esse. In quo habenda est ratio dierum, quibus tardiùs reversus est: item temporis, navigationis, vel itineris. Et si se probat valetudine impeditum, vel à Latronibus detentum, similive casu moram passum, dum tamē non tardiùs à loco se profectū probet, quàm ut occurrere possit intra cōmeatū, restituendus est. *l. Qui commeatus. 14. ff. Eod.* Commeatus autē (ut suprà diximus) parcissimè dari debet: nam vel diutius, vel longiùs à signis evagari Milites, nemo non turpissimū existimat. Ideoq; apud Romanos lex Militē ab auditu tubæ distantē in hostium numerū referebat.

Quod Scipio argutè obſervaſſe legitur, ut, antequàm pergeret ad delendam Carthaginem, Milites ad inertiam, avaritiam, rapinaſque ſub Piſone aſſuetos in meljus reformaret, bellicisq; rebus aſſuefaceret. *Appianus, in Lybico.* Neq; tamen omnes Deſertores ſimiliter ſunt puniendi: ſed habetur & ordinis, & ſtipendiorum ratio, & gradus militiæ, vel loci, vel muneris deſerti, & antè actæ vitæ. Sed & numeri, ſi ſolus, vel cum altero, vel cum pluribus deſeruit, aliudve crimen deſertioni adjunxerit: item temporis, quo in deſertione fuerit: & eorum, quę poſteà geſta fuerunt. Sed ſi ultrò fuerit reverſus, non neceſſariò, non erit ejuſdem ſortis. *l. Non omnes. 5. in pr. ff. eo. titu.* Deſertorum autem pœna apud Juriſconſultos hoc modo ſtatuitur. Qui in bello deſeruit, capite puniendus eſt, ſive Pedes, ſive Eques. Qui in pace deſeruit, Eques gradu pellendus eſt: Pedes militiam mutat. *d. l. Non omnes §. Qui in pace ff. Eod.* Deſertor ſi in Urbe inveniatur, capite puniri debet, alibi apprehenſus ex prima deſertione reſtitui poteſt: iterum deſerendo, capite puniendus eſt. *d. l. Non omnes §, Deſertor. 3. ff. Eod.* Qui deſertioni aliud crimen adjungit, graviùs plecti debet: & ſi furtum factum ſit, habebitur velut alia deſertio: vel ſi plagium factum, aggreſſura, abigeatus, vel quid ſimile acceſſerit. *d. l. Non mnes. §. Qui deſertioni ff. Eod.* Cujuſmodi memine-

minerunt Hiſtoriographi Materni cujuſdam militis: cui non ſatis fuit, caſtra deſerere, &, adſcita perditorum manu, vicos, agroſque populari, captivos è vinculis, ac carceribus eximere, ſed & Commodum Imperatorem obtruncare decreverat. Is tandem juſſu Imperatoris compræhenſus capite mulctatus eſt. *Herodianus, Libro primo.* Prætereà nolunt Juriſconſulti, eum, qui in deſertione fuit, ſi ſe obtulerit, in inſulam deportari. Veruntamen Divus Pius juſſit Deſertorem, qui à Patre ſuo fuerit oblatus, in deteriorem militiam dari: ne videatur Pater ad ſupplicium filium obtuliſſe: eſt enim nonnihil pietati paternæ indulgendum. Si quis auté poſt quinquennium deſertionis ſeſe obtulerit, Divi Severus, & Antoninus deportari voluerunt. *l. Milites. § fin. ff. eo. titul.* Hoc loco veluti pro accidentium rerum, ſeu qualitatum differentia pœnas diverſis caſibus diverſo etiam modo irrogari cognoſcimus: ita & Antiqui variè in ſuos Deſertores animadvertiſſe leguntur. Anno tertio belli Punici, L. Poſthumio, & Q. AEmilio Coſſ. morte mulctati ſunt ij, qui ſigna Romana, aut caſtra deſeruerant: *Sabelli. Ennead. 4. libro 9.* profuitque non minimùm ea Imperatorum ſeveritas: effectum eſt enim, ut, cùm Carthaginenſes multò plures eſſent, caſtra tamen non defenſa ſolùm, ſed & hoſtes cum multa cæde

in Urbem sint rejecti. Spartani item militiæ desertores Magistratu omni repellebant: eis uxorem ducere non licebat: obujus quisq; cedebat: barbam partim radebant, partim nutriebant: squallidi, abjectique circum civitatem ibant. *Plutarchus, in vita Agesil.* Avidius Imperator multis Desertoribus manus, alijs crura incidebat, ac poplites: dicens, majus exemplum esse criminosi viventis miserabiliter, quàm occisi. *Vulca. Galli. in vita Avidij Imperato.* Publio Cornelio Nasica, & Decimo Julio Coss. qui exercitum deseruerant, damnati, virgisq; cæsi publicè venierunt. Anno ab Urbe condita quingentesimo quadragesimo secundo, Senatus Romanus decrevit, militibus, qui ad Cannas Commilitones suos pugnanteis deserverant, Rempublicā committendam non esse. Si tamen M. Claudio Proconsuli aliter videretur, faceret, quod è Republica, fideque sua duceret: dum ne quis eorum munere vacaret: neu dono militari, Virtutis ergò, donaretur: neu in Italiam reportaretur, quamdiu hostis in Italia esset. *Livius, lib. 5. Decad. 3.* David secundus eo nomine Scotorum Rex, quondam Regno expulsus, cùm in Scotiam redijt, non immemor eorum, qui pugnam deserendo cladi suæ initium præbuerant, Duces imprimis mulctavit: Robertum Stuart Regni hæredem scriptum exhæredavit: Comitem Melchiarum, qui

qui alter exercitus Dux fuerat, agri parte mulctavit. Et, ut omnis militaris disciplina observaretur, unumquemq; pro merito leviter castigavit: ne perversus, damnosusq; mos ille deserendi Regem in prælio, si neglectus fuisset, inveterasceret. *Hector Boëth. lib. 15. histo. Scot.* In quo jure laudandus Rex ille videtur, qui non Ducibus exercitus, non Regni hæredibus, nemini demum pepercit. Quin potiùs accusandus Antonius, ac Desertorum pœna afficiendus esset, utpote qui, cùm contra Cæsarem dimicaret, atq; Cleopatra prima fugã capesseret, fugientis Reginæ, quàm pugnantis militis sui, comes esse maluit: & Imperator, qui in Desertores sævire debuerat, primus ipse Desertor exercitus sui factus est. *Velleius Patercul. lib. poste.* Theodosius Imperator eum Desertorem, qui à signis abijsset belli tempore, agro, tectove recipi, nefas esse voluit, eosque, qui prudenter, vel scienter Desertores reciperent, capite damnari, ac Dominum prædij, si modò conscius fuisset prædium amittere sanxit. *l. 1. C. De Desertorib. lib.* 12. Addidit Leo Imperator: si Desertores inventi resistendum armis, atque repugnandum putaverint, tanquam rebelles opprimi debẽt. *l. 2. Eod.* Arcadius, & Honorius liberiùs permiserunt cuilibet Desertores opprimere, ut pro quiete cõmuni ultio publica exerceretur. *l. fi. C. Quando liceat unicui. sine judi.*

In quem modum apud Scotos statutum est, ut is, qui metu aciem deseruisset, aut castris (non obtento à Duce commeatu) profugisset, impunè à quovis necaretur, omniaque ejus bona Fisco ascriberentur. *Hector Boëth. Lib. De moribus Scoto.* Marcus, & Antoninus bona eorum, qui in desertione diem extremum obijssent, confiscari constituerunt. *l. Defunctorum, C. De re militari. lib. 12.* Constat enim historijs, leges apud Romanos non desertionis tantùm, sed etiam minimæ negligentiæ fuisse prorsus capitaleis, Ducesque (Vespasiani maximè temporibus) magis quàm ipsas leges terribileis extitisse. *Iosephus, lib. 3. De bel. Iud.* Nam & Imperatores Gratianus, & Valentinus Servos libertate donaverunt, qui Desertores militiæ prodiderant. *l. fin. C. Pro quibus caussis servi pro præmio libert. accip.* Planè in tam varijs Desertorum pœnis Judex diligenter animadvertere debet & personæ, & temporis qualitatem, observando tum jura, tum exempla, quæ suprà posita sunt: ac nonnunquam ex caussa eum, qui militiæ tempus in desertione implevit, ut ait Modestinus, emerito privare: *l. 3. §. Qui militia ff. De re milita.* & si plures primò deseruerint, deinde intra certũ tempus reversi sint, gradu pellere, & in diversa loca distribuere: Tyronibus parcere: qui tamen, si iterum hoc admiserint, pœnæ vitio digna sunt afficiendi. *d. l. 3. §. Si plures ff. Eod.*

Hîc

Hîc tu vides, cui & ipse lubens assentior, in optimi Imperatoris officio esse, ut nonnunquam pœnas mitiget, utut locorum, & rerum qualitates sese offerunt. Quod in hoc desertionis crimine Fabius Maximus fecisse legitur. Is namque in Marsum quendam militem desertionis accusatum nullā animadversionem statuit, sed Duces primùm vehementer accusavit, qui non pro meritis illi honores impertiebantur: inde eum bellico equo, aliisq; militaribus præmiis donavit, & posteà fidelissimum hominem habuit. *Plutarchus in vita Fabij.* Istud etsi sit clementiæ Fabij summum exemplum, est tamē certissimum, milites ab Imperatoribus ex desertionis caussa in militiam restitutos fuisse. De quibus Gordianus Imperator rescripsit, non rectè desiderari ab iis, qui indulgentia Principis restituti sunt, ut id tempus, quo in desertione fuerunt, habeatur, ac si in castris fuissent: ideoq; licet restituantur, non tamen stipendia temporis, quo in desertione fuerunt, poterunt exigere. *l. Cùm allegatis. 5. C. De re militari.* Cujus quidem statuti Tarentinus Paternus priùs meminerat: scripsit namq;, ex caussa desertionis notatos, ac restitutos, temporis, quo in desertione fuerunt, stipendijs expungi debere. Quòd si ratio constiterit, neque Desertores fuisse appareat, omnia stipendia citra temporis finem debent restitui. *l. penult.*

ff. De re militari. Dici autem non poteſt, quàm grave ſit deſertionis crimen, cùm nulla non videatur Imperator calamitate affligi, quem multi in ſummis bellorum difficultatibus deſerunt. Veruntamen is animo frangi non debet: ſed vel deſertionis inſimulatos dignis pœnis afficere, vel eam moleſtiam, quoad poterit, perferre neceſſum eſt. Fieri enim poteſt, ut, dum neceſſitati coactus aliquando paruerit, proborum Militū mediocritatem ſibi multò plus, quàm deſertorum multitudinem, profuiſſe ſentiat.

CAPUT IV.

Transfugæ.

ARRIUS Menander eum dicit eſſe Transfugam, qui captus, cùm poterat redire, non redijt. Item eum, qui in præſidijs captus eſt, & redire poterat: non tamen ſi ex improviſo capiatur, veluti dum Epiſtolam fert, aut dum iter facit. *l. Non omnes. §. Qui captus. 5. ff. De re militari.* Paulus decîdit Transfugam non eum ſolùm accipiendum, qui aut ad hoſtes, aut in bello transfugit: ſed & qui per induciarum tempus ad eos, quibuſcum nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta transfugit, inter Transfugas numerari ſolet, *l. Poſtliminium. 19. §. Transfuga. ff. de Capt. & poſtliminio.* Dicimus itaque cum Juriſconſulto, Transfugam, ut fugi-

fugitivum, ab effectu animi intelligendum esse, quòd se illuc eo animo conferat, unde abduci non possit. *l. Quid sit fugitivus. 17. §. Apud Labeonem. 12. & §. Item Cælius. 13. ff. De ædilit. edict.* Erronem quidem eum dicimus, qui nunquam fugit, sed frequenter sine caussa vagatur, &, temporibus in res nugatorias consumptis, seriùs ad Dominum redit. *d. l. Quid sit fugitivus. 17. §. Erronem. 14. Eod.* Cùm itaque non Patriam solùm reliquisse, sed & perverso animo in Patriam cum hostibus dimicare, scelestissimum sit, & flagitiosum, nunc videndum est, quibus pœnis Transfugas afficiemus. Paulus Jurisconsultus sanxit, non tantùm Transfugas, sed & eos, qui consiliorum nostrorum sunt Renuntiatores (quos & Transfugis comparamus) aut vivos exuri, aut furca suspendi. *l. Si quis. 38. §. 1. ff. De pœnis.* Ulpianus autem non ea pœna damnari, ut vel verberibus necētur, vel virgis interimantur, vel tormentis (quamvis pleriq;, dum torquentur, animam efflare soleant) sed vivos exuri voluit. *l. Aut damnū. 8. §. Hostes. 2. & §. Nec ea. 3. ff. eodem titu.* Aemylius Macer plerumq; capite puniri, & exautoratos torqueri, cùm pro hoste, non pro milite, haberi eos oporteat. *l. Proditores. 7. ff. De re milit.* Modestinus quoq;, pari sententia, eum, qui volens transfugere deprçhēsus est, capite puniri debere declaravit: eūq; pariter, qui ad hostē transfugit, & rediit, tor-

torqueri, vel in furcam damnari: *l. Desertorem. 3. §. Is qui. 10. & §. Et is qui volens. ff. eod. titu.* quamvis Milites, ut infrà dicetur, nihil eorum pati debeant. At enim illos non pro Militibus sed pro hostibus haberi, dicendum est. Transfugas igitur, ex Jurisconsultorum sententia, aut vivos exuri, aut capite damnari prudens Judex arbitrabitur. Cujus quidem rei si ab historiis testimonium locupletissimum requiris, cedat in exemplum Fulvius Senatoris filius, quem in itinere retractum Parens necari jussit, cùm ex pluribus unus esset, qui extra conjurationem ad Catilinam initiò profugerant. *Salust. in Catili.* Cedat præterea Turpilius Præfectus oppidi, qui ex omnibus unus profugerat: jussus tandem à Metello in Numidia caussam dicere, postquàm sese parum expurgat, condemnatus, verberatusque pœnas capite solvit. *Salust. in Iugurthino.* Accedat Nicolaus Bembreus Eques nobilis apud Anglos: qui, cùm ex pugna Exoniensi in Vualliam profugeret, depræhensus, ac Londinum deductus est, & à Ricardo secundo Rege, præsentibus illic Ducibus, capitis damnatus, publicè mulctatus est. *Polyd. Virg. Anglic. histor. lib. 20.* Est quoque in Annalibus, quemadmodum, temporibus Constantij Imperatoris Romani, Milites in pugna adversus Persas latentem Militem invenerunt: qui Duci oblatus, atque varia loquutus, docet,

cet, ut apud Parrhisios in Galliis natus, & equestri militans ordine, vindictam commissi facinoris timens, ad Persas profugus abierat: exinde morum probitate spectata sortitus erat conjugem, ac Liberos susceperat. Inde Speculatorem se ad hostes missum sæpè verum nuntiũ reportasse: tunc verò à Transapore, & Hobodario Optimatibus missum, ad eos redire perlaturum, quæ didicerat. Illi autem, cognitis omnibus, ut Transfugam occiderunt. *Ammia. Marcel. lib. 18.* Apud Scriptores etiam legas, cùm Pompejus oppidum Ventisponte incendit ea de caussa præsertim, quòd contra sua præsidia portas clausisset, militem qui fratrem in castris Cæsaris jugulaverat, fugientem à Cæsarianis militibus interceptum esse, & fuste percussum, licet ille non Proditoris animo, sed Judices, ac ipsius deniq; Juris religionem pertimescens, patriam reliquisset. *A. Hirtius libr. 6. de Bello Hispaniens.* Pervulgatum est, Q Fabium Maximum pro clementia sua, ac assueta mansuetudine dextras Transfugarum, eorumque, qui in Romanorum præsidiis ad Hostium stationes confugerant, aliquando præter juris æquitatem, ac severitatem præcidisse, idque tantùm, ut defectionis metum reliquis injiceret: defectiones enim prohibendas, ac, si fieri potest, oratione præcipuè placandas censebat. Adhæc legimus, aliquando à Romanis

manis in obsidione Capuæ septuaginta ex Transfugis captos, ac mulctatos virgis, &, manibus tantummodò præcisis, Capuam reductos fuisse. *Livius lib. 6. tertiæ Decad.* Ex ijs cuilibet facilè est colligere, non certam pœnam à Majoribus in hoc crimine observatam fuisse: quinimò alios pro rerum qualitate, vel hominum differentia aliter, ac diverso modo judicasse. Id tamen, quod à Jurisconsultis decisum reperitur, potiùs observandum (si modò nulla subest ratio, quæ probum Judicem movere possit) justissimè censuerim. Neque tantùm Jurisconsulti transfugas pœnis præsentibus mulctatos voluerunt, sed & addiderunt, nullum illis esse postliminium. *l. Item ej. 14. ff. Ex quib. cau. ma.* Ideoque nullum beneficium à Majoribus tributum fuisse, nihil omninò spei in Republica relictum, nihil commodi illis concessum extitisse, quòd malo consilio, & Proditorum animo Patriam reliquerint. *l. Postliminium. 19. §. Transfuga. 4. ff. De capt. & postlim.* Quod profectò non absque ratione gravissimum crimen existimandum est. Metrodorus enim, quòd hostem fugientem sciens recepisset, in insulam deportatus est. Philoctetes, quòd eundem illic occultari non ignorans, diu dissimulaverit, in insulam relegatus est. *l. Metrodorum. 40 ff. De pœnis.* Tanta autem fuit apud Antiquos hujus criminis macula, tantoq; in odio apud Romanos habiti

biti sunt Transfugæ, ut Divus Hadrianus rescripserit, ei, qui transfugit, & posteà multos latrones appręhēderit, ac Transfugas demōstraverit, parci posse: admonito tamē, ea non permitti oportere, ne quicquam malè agēdi detur occasio. *l. Non omnes 5. §. fin. ff. De re militari.* Videant itaq; Imperatores, si aliter à Transfugis exercitus liberari nequeat, quantum illis cōcedatur, quid liceat permittere, etiam aliâs prohibitum: quandoquidem jura concedunt, ut unicuique, etiam caligato, licentiam dare possint & perquirendi, & capiendi Transfugas, eosq; Servos suos, velut hostes, efficiendi. *l. Transfugam. ff. De acquir. rerum dom.* Nam qui ad hostes se conferunt, desciscuntque ab ijs, quorum sub Imperio militant, non ampliùs Cives, aut Milites judicandi sunt. *l. Amißione. ff. De capi. dimin.* Patria namq; illum, ac Pater, Parentesq; amittunt: atque, quod multò magis inspiciendum est, ipsam militiam, quam sortitus est, relinquit. Fuit autem Parentibus Romanis semper disciplina castrorum antiquior, quàm Liberorum charitas. *d. l Postliminiū. §. Filius. ff. de Cap. & postlim. reverſ.* Quò magis nobis, qui veterē illam disciplinā diligēter persequi studemus, studiosè cavendum est, ut nè latum quidem unguē ab illorū vestigiis, præceptis, exemplisq; deflectamus. Ideoq; nobis observandum id duco, quod Antiqui rectissimè fecisse videntur.

Trans-

Transfugas ſcilicet, detractis armis, ne quid inſidiarum, ſimulata tranſitione, moliri poſſent, in poſtremam aciem rejicere. Ita ſapienter Fabritius Perfugam, qui à Pyrrho in caſtra Romanorum venerat, potiùs reducendum curavit ad Pyrrhum, quàm apud ſe retinere eum, qui conſilia ſua adverſariis denuntiare poſſet: licet is Perfuga gravem Imperij Romani adverſarium ſe è vivis ſublaturum polliceretur. *Cic. Offic. 3.*

Caput V.

Seditioſi.

Quamdiu eadem erit hominum natura, tantæque fortuitorum mutationes contingent, rerum novarum maximè cupidi non poterunt non infinitis illecebris in varias parteis induci. Ac multò magis in bello (quod, quia copiam rerum ſubtrahit, quotidiani victus violentus magiſter eſt, & ad præſentem conditionem multorum impetum accommodat) quàm in pace: qua tum publicè, tum privatim meliùs homines ſentiunt, atque in odioſas neceſſitates tam facilè incidere poſſe non videntur. Itaque ſi civitates vel rerum novitate, vel conatus ſolertia, vel ultionis inſolentia, ſeditionibus agitatæ ſunt: bella etiam, quibus præceps indignatio virilitati, ſumma temeritas fortitudini,

dini, modeſtia ignaviæ aſcribitur, iſto morbo laborare nemo dubitaverit. Milites enim cùm videant alios juſtè, alios verò injuſtè plura poſſidentes, vel lucri cupiditate, vel honoribus irritantur, & accenduntur. Accedunt illis prætereà contumeliæ, metus, contemptus, negligentia, verecundia, diſſimilitudo: quibus ad ſeditiones etiam benè inſtitutæ reſpublicæ diſponuntur. *Ariſtot. Politic. 5.* Nam unumquodque corpus, ſi modò partibus ſuis omnibus conſtat, decenti harmonia commenſurari debet, & creſcere: quæ ſi lineam ſuam, numerosque prætergreditur, ipſum totum corrumpi neceſſe eſt. Pedem enim bicubitalẽ ſi corpori palmorum duorum aptaveris, in alterius animalis figuram tranſire oportet, ac citiſſimè totum animal deficere. Ita & in militia noſtra ſi quid latenter ſuccreſcat, ſi ſuo loco non ſervetur æqualitas, ſenſim obrepet ſeditionum pernicies. Quibus etiam, præter iſta, magnum erumpendi argumentum præſtatur, dum Advenas, atque Extraneos in militiam aſciſcimus. Sybarim unà cum Trœzenijs incoluerunt Achæi: qui poſteà majorem in modum creſcentes Trœzenios pepulerunt. Apud Bizantium Advenæ in oppreſſionem Civium conjurati, prælio expulſi ſunt. Antiſſei exules è Chio ſuſceptos armis tandẽ dejecere. Tanclei, qui Samios receperant, ab eis ſunt civi-

tate propria dejecti. Syracusani post expulsos Tyrannos, cùm hospites, & conductos milites cives suos fecissent, in seditionem maximam inciderunt. Itaq; si in perfecta militia, nova quæque vel atrocissima audemus, ea non ex utilitate publica, sed voluptate nostra metientes, expeditos militum animos concitationibus facilè replebimus. Quod ut prudenter cavere debemus, ita ut diligentiùs caveamus, leges nobis ponendæ sunt, in quibus omnis salutis spes, ac seditionum remedia reponi debere videntur. Quas si cum ea diligentia, quæ ab Imperatoribus requiri solet observaverimus, non minorem gloriam, quàm Julius ille Cæsar, qui, cùm in cæteris criminibus conniveret, seditiosorum tamen & inquisitor, & punitor erat acerrimus, assequemur. Is, oborta seditione, facilimè castra sedabat, fidem militum reparabat, ingravescentem seditionem reprimebat. *Tranq. in Iul. Cæsa.* Ideoq; talem prudentiam, tale ingenium, ac parem gravitatem in nostris Ducibus desidero. Modestinus Jurisconsultus sanxit, eos, qui atrocem seditionem concitarent inter milites, capite puniri debere. *l. 3. §. Qui seditionem. 19. ff. De re milit.* Sed si intra vociferationem, aut levem querelam seditio mota est, tunc gradu militiæ dejiciendi sunt seditiosi. *d. l. 3. §. Si intra. 20. Eod.* Cùm autem multi milites in aliquod flagitium

tium conſpirant: vel ſi Legio deficiat, avocari militia ſolet: *d. l. 3. §. Et cum multi. 21. Eod.* Arcadius, & Honorius Imperatores non eos tantùm, qui cum privatis, ſed & cum Barbaris factionem ſeditioſè inierint, aut factionis ſacramentum ſuſceperint, bonis Fiſco addictis, ut Majeſtatis reos, gladio feriri præceperunt. *l. Quiſquis. C. Ad l. Iul. maieſt.* Neque eos tantùm, qui ſeditionem concitaverint, ſed & qui pacis turbatores milites extiterint, capite puniri Jura voluerunt. *l. fin. §. 1. ff. De re milita.* Quibus aſſentitur Neapolitana conſtitutio *tit. 8.* qua ſancitum eſt, milites, ſeu quoſvis alios ſeditionem in regno moventeis, aut bellum, confiſcatis bonis, capite plecti. Cujus quidem pœnæ exemplum locupletiſſimum Julius Cæſar nobis præbuit: qui, cùm in Carnutes veniſſet, petiiſſetque Principem ſceleris, & belli concitatorem Cutruatum ad ſupplicium, omnium cura celeriter quæſitus in caſtra deductus eſt: atq; maximo militum conſenſu, contra naturam ſuam coactus eſt Cæſar ad ſupplicium, & verberibus exanimatum corpus ſecuri feriri præcepit. *A. Hirtius lib. 8. de bell. Gall.* Etiam anno ab Urbe condita quingēteſimo quadrageſimo octavo, & ſecundi belli Punici tertio, P. Cornelius Scipio ad milites orationē habuit: qua finita, per præconem damnatorum nomina citata ſunt: qui nudi in medium protracti, deligati

ad palum, virgisq; cæſi, ſecuri percuſſi ſunt: eoq; modo ſeditio militum apud Sucronem in Hiſpania incepta finem habuit, & exitum. *Livius lib. 8. Decad. 3.* Trebonius primus ex iis, qui in necem C. Cæſaris ſeditiosè conjuraverant, à Dolabella, capite abſciſſo, ſceleris pœnas luit. *Appia. lib. 3. bel. civil. Cicer. Philip. 11.* Alexander legitur Macedones contumaciùs ſe gerenteis, ac auſos illi obſtrepere, acerrimè objurgaſſe, ipſosq; tumultus autores manibus cõpræhenſos Apparitoribus puniendos tradidiſſe. *Diod. Sicul. lib. de geſt. Alexan.* Tyberius Gracchus ſeditionis accuſatus à populo Romano interficitur: reliquique ſeditionis Comites necati, noctu in Tyberim projecti ſunt. *Appia. lib. 1. de bellis civilib.* Ego tamen ſemper credidi, non ſeditionem concitaſſe Gracchum, ſed eam ob cauſſam à potentioribus oppreſſum, quòd Tribunus militum decretum utile populo tuliſſet. Marinus Phalerius Venetorum Dux quinquageſimus quintus, quòd in rempublicam conjuraſſet, ſecuri percuſſus eſt. *Hadrian. Barland. lib. de Ducib. Venet.* Hîc juvat meminiſſe ingenuæ mulieris, quæ apud gentem Venetam, imperante Petro Gradonio quadrageſimo, nono Duce, lapide ſupernè dejecto Tepulum hominem nobilem (conjurationis caput) fugientem è civitate penè exanimavit. Ille poſteà cum Socijs, ob ſeditionem, ſecuri

cæſus

cæſus eſt, Senatusque mulieri, poſterisque ejus ſtipendium è publico decrevit. *Hadrian. Barland. ibidem.* Selimus Turcarum Imperator hujus Solimani pater Janum Baſſam, qui apud Alcairum ſeditionem excitare volebat, ut Cajerbëjus civitatis Præfectus apud omneis, ac ipſum Principem malè audiret, in itinere capite puniri juſſit, ut omnibus oſtenderet, non adverſus Imperatorem militari tumultu graſſandum. *Paul. Iovius lib. de reb. Turcic.* Veruntamen mitiores pœnæ ſeditioſis nonnunquam à Majoribus noſtris inflictæ ſunt. Idque ab ipſo C. Cæſare, qui aliquando Oratione habita, dum ſeditioſos emendare vellet, C. Anieno Tribuno militum decimæ Legionis dixiſſe dicitur: C. Aniene, quòd in Italia milites populi Romani contra Rempublicam inſtigaſti, rapinasque per municipia feciſti, quodq; mihi, Reiq; publicæ inutilis fuiſti, tuaque opera militibus, tempore neceſſario, Reſpublica caret, ob eas res, ignominiæ cauſſa, ab exercitu meo te removeo, hodieq; te ex Africa abeſſe, &, quantum longè potes, proficiſci te jubeo: Idemque te, A. Fontëi, quòd Tribunus militum ſeditioſus, malusque Civis fuiſti, ab exercitu dimitto. Ibidem T. Allienum, M. Tyronem, C. Cluſianum indignos judicavit, qui in exercitu ordines ducerent, miſſosque fecit, eosque, ſingulis additis ſervis, in navim imponendos

curavit. *A. Hirtius libr. 3. bel. Africa.* Is præterea nonnunquam seditiosos milites tantummodò prædæ, & agri destinata parte mulctavit. *Tranq. in vita Iul. Cæsaris.* Ille etiam cùm è Massilia celeri cursu Placentiam rediisset ad militũ seditionem componendam, dixit se velle Petreij leges imitari, ut scilicet Legionis, quæ seditionem commoverat, decimus quisque morte mulctaretur. Is tamen centum tantùm, & viginti seditionis Principes ab omnibus selegit, duodecimque ex ijs à cæteris selectos supplicio affecit. *Appian. libr. 2. de bellis civilibus.* De quo genere sortitionis, quod avocata militia fieri consuevit, nonnihil infrà dicetur. Alexander Aurelianus Imperator, qui scrinij Magistrum Ulpianum habuit, quasdam Legiones integras tumultuantes solùm exauthorasse legitur. *Eutropius libro 8. de gest. Romanorum.* C. Curio bello Dardanico circa Dyrrachium, cùm unam ex quinque Legionibus seditiosam vidisset, eam procedere jussit inermem, coegitque, ignominiæ caussa, in conspectu armati exercitus stramenta secare: postridie discinctos milites fossam facere, nullisque precibus ab eo impetrari potuit, ne signa submitteret, nomenque aboleret, militesque in supplementum aliarum Legionum distribueret: quæ tamen ne-

scio

ſcio an forti viro ipſa morte pœna hæc mitior exiſtimanda ſit. Veneti Petro Candiano, quem pater in Principatu ſibi Collegam aſſumpſerat, abrogaverunt Imperium, atque exilium indixerunt, quòd ſeditionem in civitate ſolicitaret. Is poſteà Venetos hoſtiliter inſectatus eſt, navesque eorum ad Ravennæ littus oppreſſit. *Hadrian. Barland. in hiſtor. de Ducib. Venet.* Num vides hîc, quàm mitiſſimè cum ſeditioſis actum ſit? Ac ea forſitan de cauſſa Venetis damnum, ac non minimum periculum conflatum eſt: quod facilè, obſervatis juris regulis, ac morte ſecundum eas mulctatis ſeditioſis, evitaſſent. Quam ob rem eas potiùs Imperatoribus, ac Ducibus militaribus obſervandas proponimus, ſervata tamen qualitatum, ut ubique fieri ſolet, differentia. Ac ſi ſeditioſos tanto non dignantur honore, ut verberibus cæſos capite plectant, in furcam, & ſuſpendium condemnare poſſunt, Romanorum exemplo, qui Lentulo, Gabinio, Cethego Statilio, Cepario conjurationis Catilinariæ Socijs, & Reis, per judices rerum capitalium laqueo gulam fregerunt. *Salluſtius in Catilinaria.* Quæ licet pœna militibus ab ipſo Jure non infligatur, attamen in tanti criminis odium, malique, quod latiùs ſerpebat, factum putavero: ac Im-

peratores nostros, ut idem faciant, si aliter seditionibus purgari militia nequeat, & monemus, & hortamur. Intereà tamen non negligenda erit Hieronis Siciliæ Tyranni cautela: qui cùm sciret Veteres Syracusanorum copias, quæ ex conductis militibus erant, instabileis esse, rerumque novarum cupidas, dedita opera exercitum in Barbaros, qui Messanam tenebant, eduxit, castrisque positis, Syracusanos Equites, Peditesque secum tenuit, quasi per aliud iter hostes aggressurus: conductitium verò militem circumveniri ab hostibus, ac profligari patitur: ipse diverso itinere incolumis in civitatem revertitur: atque ita seditiosis exercitum liberavit. *Polybius libro 1. historiarum.* Quod Stratagema præterire noluimus.

Caput VI.

Proditores.

Etsi apud omneis hoc ferè receptum est, ut, quoscunque belli tempore à pristina societate deficienteis in suam accipiãt, eos tantisper in delitiis habeant, dum illis utiles sunt: attamen si existimant Proditores fuisse, & malè illis volunt, & pejores futuros censent. Nemo enim vel amicitiarum, vel

rerum

rerum publicarum Proditores in eo numero habendos censeret, qui Virtutis sunt studiosi. Nemo extinctores Patriæ, oppugnatores amicorum, si Patriam amat, & amicos, ullo modo probabit. Nemo Proditorum insidias, atq; perfidiam non insigniter notabit. Proditores autem apud Jurisconsultos ij dicuntur, qui libertatem produnt: quos in servitutem redigere oportet, ad exemplum eorum militum, qui ad delectum olim non respondebant, *l. Qui cum. §. Gravius. 10. ff. De re milit.* Proditores etiam ij vocantur, qui rem sibi commissam exponunt hostibus. De quibus sancitum est, capite plecti, vel exauctoratos torqueri: nam pro hoste, non pro milite habendi sunt. *l. Proditores. ff. eo. titu.* Item Exploratores, qui secreta nunciaverint hostibus, proditores sunt: quos Jura capitis pœnas luere debere jubent. *l. Omne §. Exploratores. 4. Eod.* Mitius tamen cum illis agebat Aegyptiorum lex, quæ ijs, qui secreta hostibus aperuissent, linguam tantùm abscindi sanciebat. *Diodo. Sicul. libro 2.* Est & proditioni proximum crimen, ad Barbaros, tela, armave deferre, quibus & faciliùs nos oppugnent, & difficiliùs expugnentur. Hos, bonis Fisco addictis, capitalem pœnam subire Imperatores decreverunt. *l. 2. C. Quæ res exportari.* Et Paulus decîdit, ferrum hostibus venundari sine capitis periculo non licere. *l. Cotem. ff. De*

Publica. Iis ferè modis, quantum ad rem militarem attinet, Proditores accipi comperio: quos & ex Jurisconsultorum sententia capite puniendos esse censeo. Id fecisse constat Edovardum tertium Anglorum Regem: qui, publico consilio Vintoniæ habito, Edmundum Comitem Cantij, patruum suum proditionis insimulatum, & quòd nonnullos nobileis concitasset, capite damnavit *Polyd. Virg. lib. 19. Angl. histo.* Sunt tamen varijs supplicijs affecti Proditores, ut gravitas criminis, Patriæ mores, Imperatorum prudentia expostulare videbantur. Nam legimus, Tullum Hostilium Romanorum Regem jussisse, Metium Suffetium proditionis reum per Lictores primùm verberibus cædi, inde binis quadrigis junctis, uni brachia, alteri pedes connecti: & abigentibus aurigis quadrigas, laceratus humi, ac dissipatus est. *Diony. Halic. lib. 3.* In quem modum Antonius Lyeva Dux strenuus, dum Ticini esset nostris temporibus in obsidione, cùm reperisset militem quendam, qui Gallis significaverat, in Urbe multam esse pulveris tormentarij inopiam, quæstioni subjecit: ac ubi crimen confessus est, publicè exenteratus membratim dissectus est, ut omnis proditionis materia in futurum tolleretur. *Hadria. Barlan. lib. de gest. Ducum Braban. in fi.* Apud Athenienseis nefas erat, proditionis reum sepeliri: quo factum est, ut amici

The-

Themiſtoclis oſſa ejus clàm domum reportaverint, atq; in occulto humata ſint. *Thucydi. lib. 1. bell. Pelopon.* Beliſarius item Civem quendam Carthaginenſem Laurum nomine in proditione depræhenſum, in colle quodam ante civitatem palo infigi juſſit: *Procop. lib. 4. Bel. Vuandal.* qui mos apud Turcas in hodiernum uſq; diem invaluit. Cùm Veneti Patavium obſidione premerēt, Maſſolerius quiſpiam Venetus in ſuſpicionem venit, ſagittas literis alligatas ad hoſtem Patavium occultè mittere: conjectus in compedes Venetias advehitur, & dum crimē confitetur, in Curiæ ſuprema, parte juſſu Michaëlis Steni Ducis, laqueo ſuſpenſus eſt. *Hadri. Barland. hiſt. De Du. Vene.* Hîc non ſuperfluum videbitur, Amurathis Turcarum Imperatoris meminiſſe: qui, cùm Dibras civitatem in Epiro obſideret, Proditori civitatis magna præmia propoſuit: quæ ſpes perditum quendam corrupit, qui, obſervato tempore, cum Exploratoribus juxta mœnia colloquutus, ſe proditurum civitatem mercede dicta pactus eſt. Dibra autem civitas eſt in editiſſimo ſaxi vertice ſita: in qua neq; irriguæ aquæ, neq; fluminis ulla erat commoditas: unicus tantùm intus erat puteus ad privata hominum commoda, & bellorum neceſſitates effoſſus. Populus autem Dibrenſis ſuperſtitioſus admodum. Qua de cauſſa Proditor ille occaſionē illinc

nactus,

nactus, Canem demergit in puteum: quo conſpecto, ſuperſtitioſus nimis populus tumultuatur, ac prope ſeditionem res fuit. Dibrenſes clamant, ſe potius quaſuis fœdiſſimas, ac iniquas pacis conditiones admiſſuros, quàm hauſturos inde aquam. Hos cùm Perlatus à Georgio Caſtrioto Epirotarum Duce Urbi Præfectus oratione flectere nequiret, aqua etiam è puteo coram omnibus epota, civitas Amurathi ſeſe dedidit. Proditor ille à Turca quinquaginta Aſprorum millibus, & tribus veſtibus inſignis pretij, & artificij donatus eſt. Sed paulo pòſt tempore, cùm Amurathes nuſquam fidendum ei duceret, qui Patriam, Socios, ac domeſticum ſanguinem prodidiſſet, à ſuis occidi juſſit: *Marius Barl. lib. 5. de rebus adverſ. Turcas.* Proditores enim pœna certiſſima manet, quantumvis tardè adveniat. Carolus verò Imperator in Philippum Auſtriæ Ducem bellum gerens, cum tribus Ordinum Ducibus magno pretio egit, ut Philippo fugam ſuaderent: id quod accidit. Illis autem reverſis, ut proditionis præmium acciperent, adulterinos aureos nummos numerari juſſit: qui domum abeuntes, ubi adulterinos cognovere, iterum ad Imperatorem redierunt, conquerentes de falſis nummis exſolutis. Imperator autem Proditores, & Plagiarios appellans domo juſſit expelli; dicens, adulterino

auro

auro adulterinum opus compensari debere. *Alber. Krantz lib. 9. hist. Sax.* Planè cujus ope, consilio, dolo malo Provincia, vel civitas hostibus prodita est, potest Majestatis crimine accusari. *l. penul. ff. ad l. Iul. majestat.* Scripsit namq; Scævola, cujus dolo malo exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibúsve proditus erit, crimine læsæ Majestatis accusari posse. *l. Cujusq; 4. ff. eo. titu.* Qui prætereà proditiones indicio suo detegunt, si Servi sunt, libertate, & civitate donãdos censeo, ad instar Bruti, qui Vindicio Vitelliorũ Servo libertatem dixit, quòd conjurationẽ, & proditionem Aquiliorum, & Vitelliorum indicaverat. *l. 2. ff. De orig. jur. §. Et cùm placuisset. Plutar. in vita. Bruti.* Proinde in tanti criminis odium, quod aliâs fieri nequit, audiuntur mulieres, si accusare volunt: veluti Fulvia mulier, quæ Catilinæ conjurationem detexit, & M. Tullium Ciceronem Consulem indicio suo instruxit. *l. In quæstionibus. ff. Ad l. Iul. majestat.* Cùm itaq; Imperatores rescripserint, *l. Servum. 6. C. De Delatoribus. lib. 10.* in omneis proditores severè esse animadvertendum, Judicibus militaribus videndum est, ut prius proditores torqueant, quàm capite puniantur: cognosci namq; ex ijs necesse videtur, an hujusmodi scelerum alios fortàsse conscios habeant, à quibus, tanquàm perniciosa peste, nobis cavendum est.

CA-

Caput VII.

Ducum dicto non audientes: eisdem non succurrentes: Commilitonibus vim afferentes.

Cum in omni benè instituta Republica imperanteis, & parenteis esse oporteat, utriusque disciplinæ nonnihil attingere, decens videri potest. Quod tamen superfluum omnino esset, nisi milites ab Ducibus, aut Imperatoribus tantum differrent, quantum Heröes ab hominibus distare putantur: ut ij corpore primùm, deinde animo illos antecellerent, notaq; esset eorum reliquis in rebus insignis excellentia. Neq; enim placere potest apud Indos, ut Scylax aiebat, Reges nomine tantùm à populo differre. *Arist. Poli.* 7. Nam duces, & Imperatores jam à Caligatis militibus seclusimus: inter quos primùm illud præceptum esse oportet, injussu Ducis nihil omnino agi debere, sive Eques sit, sive Pedes. Debent namq; in eum semper oculos dirigere, eum insequi, ad ejus nutum vitam suam instituere, nunc stare, nunc proficisci: ut ut præcipit, dare signa, vicissim accipere, in prælio neq; cedere, neq; insequi, nisi pro Ducis arbitrio: quibus rebus nihil melius, nihil præstantius ad victoriam compertũ est. Hinc Modestinus Jurisconsultus sanxit, eum,

qui

qui in bello rem à Duce prohibitam fecerit, aut mandata non egerit, capite puniendum, etiam si res benè cesserint. *l. Desertorem. §. In bello. ff De re milita.* Qua in re, cum multi Antiquorum laudandi sunt, tum maximè mihi unus omnibus præponendus videtur Chrysantas Centurio, cui apud Persas, sublato gladio, ut Hostem percuteret, Cyrus præcepit recondere: isque statim paruit. *Xenophon, libro 4. in Pædia. Cyri.* Ita enim à Jure sancitum est, pœnas capitis subire eos, qui Ducibus non obtemperaverint. Accedunt Juri memorabilia Majorum exempla: atq; imprimis T. Manlij Torquati, qui filium coram omni exercitu securi percuti jussit, quòd cum hoste Gemino Metio Duce Tusculanorum, inscio, & ignorante patre, provocatus pugnaverat, victoriamq; reportasset. Posthumius Tiburtius Aulum Posthumium, quòd sua sponte egressus hostes fudisset, capite plecti jussit. Aulus Fulvius euntem in aciem filium suo injussu è vita sustulit. Est enim apud Majores nostros severiùs animadversum in eos, qui contra Imperium in hostem pugnarent, quique revocati tardiùs prælio excederēt, quàm qui signa relinquerent, aut prælio pellerentur. *Livius, libro 8. Decad. 1.* Memini, L. Papyrium Cursorem, cùm Dictator ad bellum contra Samnites profectus esset, Romamque posteà redijsset, præcepisse Q. Fabio Maximo

mutat: si ex industria fregit, vel manum Centurioni intulerit, capite punitur. *l. Milites. §. Irreverens. ff. eo. titulo.* Nam & contumacia omnis adversus Ducem, vel Præsidem, capite punienda est. *d. l. Omne delictum, 6. §. Contumacia.* Hinc minimè mirari debemus, eam legem apud Macedones fuisse, ut non tantùm, qui Principis mortem erant machinati, lapidibus obruerentur: sed etiã propinqui eorũ, si quid Regi insidiati erant, cũ illis necarentur. *Q. Curtius lib. 6.* Anastasius apud Colchos ab Imperatore Justiniano Judex delegatus tulit sententiam, qua Rusticus, & Joannes ob interfectum Gubacem Ducem capite plecterentur: qui comprehensi, ac mulis impositi, & publicè circumacti, Præcone voce ingenti, & apertiùs proclamante, spectaculum sui populo præbuerunt. *Agath. libro 4. hist. Rom.* Quod videri non debet ullo pacto à ratione alienum esse. Nam à Jurisconsultis est responsum, eos, qui præpositum suum protegere noluerint, vel deseruerint, occiso eo, capite puniri. *d. l. Desertorem, §. fin. Eod.* Arrius Menander vult eos, qui Præpositum suum protegere noluerint, cùm possent, in pari caussa cum Sicarijs habendos esse: si resistere non potuerint, parcendum. *l. Omne delictum §. Qui præpositum. ſ. Eod.* Sed & in eos, qui Præfectum Centuriæ à latronibus circumventum deseruerunt, animadverti placuit. *d. l. Omne delictũ*

§. fin. Eod. Demum ut à Ducibus ad militiæ socios descendamus, idem Arrius sanxit, si quis Commilitonem vulnerasset, siquidem lapide, militia reijci debere: si gladio, caput amittere. *d. l. Omne delictum. §. Si quis, Eod.* In quem ferè modum Kanutus Danorum Rex legem statuit, ut, si quis militũ quempiam ex Commilitonibus manu, ferro, vel fuste læsisset, aut si quicquam violenter ejus manibus extorsisset, tanquam capitalis criminis reus militia deijceretur: volebat enim inter milites mutuum illum amorem tam strictè coli, & observari, ut nulla subinde lis, nulla quæstio, nullum dissidium suboriretur. Nam eum etiam ignominiosè mittebat, qui, tribus fasciculis in stabulum conjectis, equo suo pabuli spicam, alieno stipulam admovisset: *Saxo, lib. 10 histo. Danorum.* est enim maximè servanda illa, quam tantopere desideramus, æqualitas. Mirabitur forsan aliquis, quòd, cùm Sertorius mulierẽ depræhendisset, quæ præ pudore oculos sibi eruerat, quòd miles, digitis per obscœna adhibitis, illi convitiaretur, mulieris casum miseratus, Cohortem omnem ad similia infamem, & arrogantem, quanquam è Romanis constaret, interfecit. *Appia. lib. 1. de bel. civil.* At illa in Commilitonum numero censebatur, quæ vitæ, necisq; militum perpetua comes est, & socia. Præterea sancitum est ab Hadriano, si miles se vul-

vulneraverit, aut aliâs mortem ſibi conſciverit, modum ei rei ſtatui debere, ut, ſi impatiẽtia doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit, nõ animadvertatur in eum, ſed ignominia mittatur: ſi nihil tale prætendat, capite puniatur. *d. l. Omne delictum, §. Qui ſe vulneravit. Eod.* Nemo enim in ſeipſum ſævire debet.

CAPUT VIII.

Qui ſtationem deſerunt: & de Sortitione militari.

LUCIUS Pinarius vir acerrimi ingenij, cùm in Arce Ennenſi pro Romanis præſidia teneret, anno ab Urbe condita quingenteſimo quadrageſimo, atq; Ennenſes Principes cùm Himilcone de proditione pacti eſſent, reſpondit ſe præſidio impoſitum eſſe ab ſuo Imperatore, claveſq; portarum, & cuſtodiam arcis ab eo accepiſſe, atq; præſidio decedere apud Romanos capitale eſſe. *Livius lib. 4. Decad. 3* Præclara verò vox, & forti viro digna, quæ declarat, illum quibuſcunq; muneribus virtutem præpoſuiſſe, legibuſq; Romanis potiùs, quàm voluptati, aut vicinorũ conſilijs paruiſſe. Nam apud Romanos mors pœna eſt ijs, qui in bello locum, in quo conſtituti ſunt, reliquerint, aut aliquo modo è caſtris fugerint. Hinc cùm Carthaginenſes

in Agrigento Urbe obsessi à Romanis, conspicati hostem palantem, & vagum, eoque in spem adducti, Romanorum exercitum eo die opprimi posse, magna vi in eos impetum fecissent: Romani leges suas militareis observantes, licet Carthaginensium major numerus esset, neque loco, neque statione cedentes, multis hostium interfectis, fortissimè restiterunt, L. Posthumio, & Q. Aemilio Coss. *Polybius, lib. 1. historiarum.* Est enim à Jure sancitum; eos, qui à fossa, vel vallo recedunt, hostibus insistentibus, capite puniendos esse, aut si vallum transcendunt, aut per murum castra ingrediantur. *l. Desertorem §. Is qui 4 & §. In bello 15. ff. De re milita.* Ideoq; Augustus Cæsar Centuriones (statione deserta) itidem ut Manipularios capitali animadversione punivit. *Tranq. in vita. Octavij* Cùm Mamertini à Romanis auxilia accepissent, & præsidia Carthaginensium, ducente Appio Claudio, urbe sua expulissent, Carthaginenses Præfectum præsidij, quòd formidine, atque ignavia arcem amisisset, cruci affixerunt. *Polybi. li. 1. histo.* Modestinus enim vult, eum, qui stationis munus reliquerit, plùs quàm Emansorem esse, & pro modo delicti aut castigari, aut militia dejici: *d. l. Desertorem, §. Qui stationis 5. Eod.* & si quis fossam transilierit, eadem pœna plecti: *d. l. Desertorē, §. si verò qui fossam. 18. Eod.* quod intelligo, cùm hostes non insistunt: *Eod.*

nam

nam si adsunt, capitale omnino censendum est. Et scimus, quemadmodum Appius Claudius in Volscos missus Centuriones, qui ordines reliquerant, virgis cæsos securi percuti jussit. *Livius, lib. 2. primæ. Deca.* Quæ pœna licet à Jure statuta sit, non potest tamen non dura videri. Nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum undique pertimuit, potest idem posteà & miles melior esse, & vir bonus. Idcirco videntur Majores nostri meliùs aliquando statuisse, ut, si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus ad omneis, pœna ad paucos perveniret: idque, ne nimiùm multi pœnam capitis subirent. *Cice. in orat. pro. Cluentio.* Ita Antonius contra Parthos ducens exercitum, decimum quemque eorum, qui pavore cessissent, supplicio affecit: alijs pro tritico hordeum apponi jussit. *Appianus, in Parthico.* Appius Claudius, bello adversus Volscos suscepto, primus hanc sortitionis pœnam apud Romanos adversus signorum Desertores exercuit. *Livius, lib. 2. ab Vrbe cond.* Hoc etiam genus pœnæ exercuit M. Crassus, fugato Romano exercitu à Spartanis in agro Piceno: quingentos enim ex ijs, qui primùm fugerant, in quinquaginta divisit Curias: inde ex qualibet unum sorte ad supplicium delegit. C. Cæsar Petreij leges sequutus, seditiosorum militum decimum

quemque se mulctaturum pollicitus est: sed precibus legionis (quæ illius erat humanitas) motus, centum viginti seditionis Principes delegit, è quibus duodecim tantùm sorte selectos morte punivit. *Appia. lib. 2. de bel. civi.* Antonius hoc modo lege militari sortitus seditiosorum militum decimum quemq; per numeros descriptorum ad mortem postulavit. *Idem lib. 3* Octavius quoque Cohorteis, si quę cessissent loco, decimatas hordeo pavit. *Tranquil. in Octa.* Memoretur oportet hoc loco clementiæ Fabij specimen laudabile. Nam cùm quidam genere Lucanus per manipularios delatus esset, quòd à castris noctu discederet, & ordinem sępius deseruisset, rogavit Fabius, quem virum in rebus alijs esse perspicerent, illique affirmarunt, non parem illi militem inveniri, simulque præclara illius facinora in medium attulerunt, delictumque ob ea, quæ fortiter gesserat, remisit. *Plutar. in vita. Fabij.* Militaris autem Sortitio erat hujusmodi, ut non omnes, qui deliquissent, plecterentur, sed sorte ex omni numero selecti aliqui afficerentur pœna legitima. Erat tamen aliud sortitionis genus, quo Atlethæ ad pugnandum antiquitus ducebantur: nam calculis in urnam conjectis, binę compares literę inscribebantur: quiq;, eductis sortibus, pares sortiti erant, invicem comittebantur. Veneti hodiè, si quid agendum est, ita sortitionem efficiunt.

ciunt. Veluti, si fingamus in Senatu de ratione belli agendum esse, neq; inter Senatores convenire, ad cujus urbis expugnationē primùm debet duci exercitus (quod accidit tēporibus Michaëlis trigesimi quinti Venetorum Ducis, *Hadria. Barlan. de Duci. Vene:*) ad divinas sorteis recurrendum censent. Nomina quidem expugnandarum Urbium in urnulam conjiciuntur: ea rudis quispiā puerulus manu miscet, inde unam è chartulis, quæ singulę singularum Urbium nomina continent, ad Principes defert, ab eaque oppugnanda bellum inchoari debet. Sed ut ad rem nostrā redeamus: intelligimus etiam aliquando milites stationem deseruisse, cùm consulta, & meditata ignavia cedunt hostibus: quam Græci *ἐθελοκακίαν* vocant. Ne quis autē stationem, locumve assignatum apud Lacedæmonios desereret, Tibicinum cantu incedebant ad prælia, ut in progrediendo agminis ordo nō perturbaretur: quod in concursu magnorum exercituum facilè solet accidere. *Thucyd. lib. 5 bel. Pelopon.* Is quidem, qui agmine excesserit ex caussa, vel fustibus cæditur, vel mutare militiam consuevit. *d. l. Desertorem, §. Sed qui agmen. 16. Eod.* Pater autem, qui filium subtrahit militiæ belli tempore, exilio, & bonorum parte mulctandus est: quando enim major se offerre potest occasio vel inimicis resistēdi, vel parentibus, ac Reipublicæ bene faciendi?

 Si

Si tamen in pace id fiat, fustibus tantùm cædi, Jura voluerunt. Requisitus etiam Juvenis à patre, & posteà exhibitus, in deteriorem militiam dandus est: qui namq; se solicitari ab alio passus est, veniam non meretur. *l. Qui cùm § Qui filium. ff. De re milita.* Edictum præterea divi Hadriani deportari jubet eum, qui debilitarit filium delectum ab bellum, ut inhabilis esset militiæ. *d. l. Qui cum §. Eum qui 12. Eod.* Demum in jure certum est, eum, qui in acie fugam prior fecerit, spectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendum esse: *l. Omne delictum. §. Qui in acie 3. ff. Eod.* eum quoque, qui excubias Palatij deseruerit, capite etiam mulctandum: qui tamen, si ex caussa desertionis in militiam restituatur, non aliter medij temporis stipendia, & donativum accipiet, quàm si liberalitate Principis sit ei indultum. *l. Qui excubias. ff. Eod.* Cui accedit Opilij Macrini Imperatoris exemplum: qui Tribunum, quòd excubias deseri passus esset, Carpento rotali super annexum per totum iter vivum, & exanimem trahi præcepit. *Iul. Cipitolin. in Vita: Opilij.* Fertur q; Epaminundas, cùm custodias, stationesq; circuiret, sopitum militem gladio transfixisse, asserens se talem reliquisse, qualem invenerat. *Plutar. in vita. Epami.* In eodem enim vitio sunt, qui dormiunt in excubijs, ac ij, qui illas deserunt, cùm ab utrisq; idem periculum impendeat.

Quare

Quare Epaminundas jure vita privavit, qui nihil magis, quàm mortuus, præstabat, somno scilicet sepultus.

CAPUT IX.

Qui arma perdunt, vel alienant.

CAUTUM est in Jure, militem, qui arma amiserit, vel alienaverit, capite puniendum. Si tamen humaniùs cum eo agatur, militiam mutabit. *l. Desertorem. §. Miles. 13. ff. De re milita.* Debet enim Judex pro qualitate, & modo delicti pœnam arbitrari. Nam si fingamus Patroclum absque armis semimortuum ad castra delatum fuisse (ut sæpiùs accidit) & arma, quæ à Diis (ut ait Homerus) in dotem Thetidi data fuerunt, ab Hectore rapta fuisse, utrum, quasi arma abjecerit, à Detractoribus erit vituperandus? Prætereà si qui arma sua ex alto præcipitarint, aut alio quovis modo, qui ad purgandam ignaviæ suspicionem afferri potest, coacti arma amiserint, veniéntne repræhendendi? Velim itaque, quia mali, & ignavi puniendi sunt, ut fortiores evadant, *Plato lib. 12. de Legib.* si quis armatus ab hostibus circumvenitur, & se non defendit, quin potiùs sponte arma dimittit, vel abjicit, vitam turpem sibi comparare malens, quàm honestè, feliciterque mori, de eo fiat judicium, isque non sine infa-

mia pœnas luat à Jure impoſitas. Statuunt autem Juriſconſulti, arma ſine flagitio non amitti: ideoq; ea poſtliminio reverti negantur, quòd turpiter amittantur: *l. 2. § 2. ff. De Cap. & poſtlimin.* veluti neque illi revertuntur poſtliminio, qui armis victi, hoſtibus ſe dediderunt. *l. Poſtliminio 17. ff. eod. titu.* Antiqui Romani fuſtuarium mereri dicebant eos, qui ſigna reliquiſſent. *Livius lib. 5. Deca. 1.* Apud eos, Legionum milites, qui Conſulem reliquerant, ex lege etiam fuſtuarium merebantur. *Cic. Philip. 3.* Anno ab Urbe condita ducenteſimo octuageſimo tertio, Centurionibus, quorum Manipuli fugerant, & Anteſignanorum quicunque ſigna amiſiſſent, ſecuribus colla abſciſſa ſunt: & alij fuſtibus percuſſi periere: & decimus quiſque, quem ſors popoſciſſet, coràm alijs moriebatur: ea enim erat Romanis in Deſertores aciei, ſignáve abjicientes patria punitio. *Dio. Halicarn. lib. 9. Antiqui.* Marcellus contra Annibalem pugnās anno ab Urbe condita quingenteſimo quadrageſimo quinto, cùm turbata tota acies prorſus fuſa eſſet, Centuriones Manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladijs diſcinctos deſtituit: & Cohortibus, quæ ſigna muliebriter amiſerant, hordeum dari juſſit. *Livius lib. 7. Decad. 3.* Appius Claudius in Volſcos populos miſſus, Signiferos, qui ſigna amiſerant, & Ordines reliquerant,

querant, virgis cæsos securi percuti jussit. *Idē libro 2. Decad. 1.* Cur igitur vel signa reliquisse (quod durius est) vel arma perdidisse (quod tolerabilius est) gravissima non sunt crimina? cùm Paulus Jurisconsultus decîdat, grave admodum crimen esse, si quis arma alienaverit: in quo minor culpa inesse videtur: verùm ea desertioni exæquata est: & si non tota alienaverit, sed partem eorum, idem est. Ea tamen differentia à Jurisconsulto observatur: si tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet. Si verò loricam, scutum, galeam, gladium, Desertori similis est. *l. Qui commeatus. §. Arma. ff. De re milit.* Apud nos etiam non perdidisse solum, sed & arma mutasse, ac, propriæ Cohortis insignijs dimissis, alterius Cohortis arma sumpsisse, grave crimen est: quod edicto Francisci Regis Christianissimi coërceri maximè oportet. Neq; enim liberum esse debet Militi, etiam non habita armorum ratione, sine Ducum commeatu per numeros evagari. Accedit statutum Scotorū, quo, si quis miles ensem pignorasset, exauthoratus omni militum consortio, ut indignus, prohibebatur: quæ pœna illis omnium erat ignominiosissima. *Hector Boeth. Libr. De moribus Scotorum.* Tyroni in hoc crimine faciliùs parcitur: armorumque Custodi plerumq; ea culpa imputari debet, si arma militi commisit non suo tem-

mia pœnas luat à Jure impoſitas. Statuunt autem Juriſconſulti, arma ſine flagitio non amitti: ideoq; ea poſtliminio reverti negantur, quòd turpiter amittantur: *l. 2. § 2. ff. De Cap. & poſtlimin.* veluti neque illi revertuntur poſtliminio, qui armis victi, hoſtibus ſe dediderunt. *l. Poſtliminio 17. ff. eod. titu.* Antiqui Romani fuſtuarium mereri dicebant eos, qui ſigna reliquiſſent. *Livius lib. 5. Deca. 1.* Apud eos, Legionum milites, qui Conſulem reliquerant, ex lege etiam fuſtuarium merebantur. *Cic. Philip. 3.* Anno ab Urbe condita ducenteſimo octuageſimo tertio, Centurionibus, quorum Manipuli fugerant, & Anteſignanorum quicunque ſigna amiſiſſent, ſecuribus colla abſciſſa ſunt: & alij fuſtibus percuſſi periere: & decimus quiſque, quem ſors popoſciſſet, coràm alijs moriebatur: ea enim erat Romanis in Deſertores aciei, ſignáve abjicientes patria punitio. *Dio. Halicarn. lib. 9. Antiqui.* Marcellus contra Annibalem pugnãs anno ab Urbe condita quingenteſimo quadrageſimo quinto, cùm turbata tota acies prorſus fuſa eſſet, Centuriones Manipulorum, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladijs diſcinctos deſtituit: & Cohortibus, quæ ſigna muliebriter amiſerant, hordeum dari juſſit. *Livius lib. 7. Decad. 3.* Appius Claudius in Volſcos populos miſſus, Signiferos, qui ſigna amiſerant, & Ordines reliquerant,

querant, virgis cæsos securi percuti jussit. *Idẽ libro 2. Decad. 1.* Cur igitur vel signa reliquisse (quod durius est) vel arma perdidisse (quod tolerabilius est) gravissima non sunt crimina? cùm Paulus Jurisconsultus decîdat, grave admodum crimen esse, si quis arma alienaverit: in quo minor culpa inesse videtur: verùm ea desertioni exæquata est: & si non tota alienaverit, sed partem eorum, idem est. Ea tamen differentia à Jurisconsulto observatur: si tibiale, vel humerale alienavit, castigari verberibus debet. Si verò loricam, scutum, galeam, gladium, Desertori similis est. *l. Qui commeatus. §. Arma. ff. De re milit.* Apud nos etiam non perdidisse solum, sed & arma mutasse, ac, propriæ Cohortis insignijs dimissis, alterius Cohortis arma sumpsisse, grave crimen est: quod edicto Francisci Regis Christianissimi coërceri maximè oportet. Neq; enim liberum esse debet Militi, etiam non habita armorum ratione, sine Ducum commeatu per numeros evagari. Accedit statutum Scotorũ, quo, si quis miles ensem pignorasset, exauthoratus omni militum consortio, ut indignus, prohibebatur: quæ pœna illis omnium erat ignominiosissima. *Hector Boeth. Libr. De moribus Scotorum.* Tyroni in hoc crimine faciliùs parcitur: armorumque Custodi plerumq; ea culpa imputari debet, si arma militi commisit non suo tem-

tempore. *d. l. Qui commeatus. §. Arma. ff. Eod.* Jura itaq; Romanorum, quæ armorum differentiam faciunt, mihi videntur Græcorum leges imitari, quæ mulcta damnabant militem, non qui ensem, aut lanceam, sed qui clypeum amittebat, dicentes oportere militem magis curare, ut non accipiat, quàm ut det incommodum. *Plutarchus in vita Pelopid.* Inde Iphicrates dicebat, Pedites manibus simileis esse: Equites Pedibus: ipsam aciem pectori: capiti autem Imperatorem: neque quis seipsum debet negligere, temerè periculis objiciendo non tantùm se, sed etiam omneis, quibus per ipsum salus constare judicatur. Accedit huic Græcorum consuetudini ea regula, quæ apud Germanos antiquitùs invaluit, ut in militia scutum reliquisse, præcipuum esset flagitium. *Corn. Tacitus libr. De morib. Germanor.* Prætereo, quòd apud Romanos reus erat criminis læsæ Majestatis, qui circa Augusti simulachrum vestem mutaverat, nummóve, vel annulo effigiem ejus impressam latrinæ, vel lupanari intulerat: quæ præter rem militarem erant. *Tranq. in Tiberio.* Cùm itaq; vel arma perdere, vel alienare, non fortitudinem, non magnanimitatem, nihil deniq; studij bellici, virtutisque polliceatur: quinimò nihili hominem, ac pusilli animi esse, coarguat, rectè Socrates hunc ad Opificum ordinem, vel Agricultorum transmittere

tere videbatur. *Plato lib. 5. de Republ.* Hinc non immeritò Spartani Archilochum Poëtam civitate expulerunt, quòd carminibus scripsisset, melius esse arma abjicere, quàm mori. *Plutarchus in Apophtheg.* Versus Archilochi sic habent:

At caruisse armis, quàm mortem occumbere, præstat.
Aspide pro iacta mox melior dabitur.

CAPUT X.

De crimine falsi.

MILITES in crimen falsi multis modis posse incidere videntur: ac maximè, si metu hostium languorem simulaverint: quod ut neque ingenui est animi, ita nullo pacto decet Militem. Idcirco Jurisconsultus taleis pœna capitis afficiẽdos cẽset. *l. Omne delictũ. § sed & caligatus 5 ff. De re milit.* Possunt præterea Milites committere in pœnas legis Corneliæ, quæ de Falsis lata est: veluti, cùm quis non Miles pro Milite se gessit: vel illicitis insignibus est usus: quem Modestinus vult, pro admissi qualitate, gravissimè puniri. *l. Eos. 27. in fin. ff. Ad l. Cornel. de Falsis.* Item is, qui testamento Militis Legatum fidei suæ commissum sibi ascripserit. *l. 1. §. Ad testamenta. Eod.* Si tamen Pater filio suo Militi, quem habet in potestate, testamento Commilitonis filij aliquid ascripserit, quem Commilitonem in

mili-

militia novit, quia Patri non acquiritur, extra pœnam erit. *l. Si pater. 11. Eod.* Pœna autem falsi, deportatio est, & omnium bonorum publicatio: *d. l. 1. in fin. Eod.* poterunt tamen militares Judices arbitrari, quod illis ęquum videbitur. Etenim in ijs criminibus ferè semper pro magnitudine rei, quid pati, daréve oporteat, ad arbitrium statuent: veluti, si Legatus, aut Præco falsò, quæ sibi commissa sunt, nuntiaverit, dicendáve tacuerit: *Plato libro 12. De legib.* vel ab Hostibus rediens, quæ ab illis accepit, aliter, quàm acceperit, retulisse comperiatur. Is certè in judicium vocari potest: atq; cùm nulla pœna à jure statuatur, pro Judicis, vel boni viri arbitrio, tanquam Mercurij, Jovisque mandata, & legationes contra legem contempserit, justissimè condemnari. Apud Aegyptios lex erat, qua ei, qui falsas literas inscriberet, aut de scripto demeret, aut falsas syngraphas afferret, ambę amputabantur manus, ut, quę pars corporis peccasset, per omnem vitam pœnas lueret: cæterique pari calamitate moniti à simili scelere abstinerent. *Diod. Sicul. lib. 2.* Kennethus Scotorum Rex statuit in regno suo, eum, qui criminis falsi convictus fuerat, furca vitam finire, abjicique insepultum. *Hector Boeth. lib. 10. historiæ Scotor.* Notum est enim, apud diversos populos diversa esse pœnarum genera. Nos autem, ut præter Judicis arbitrium

trium aliquid certum conſtituamus. Milites, qui hujuſmodi falſi crimen admiſerint, crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſe cenſemus, ad exemplum eorum Militum, qui ſcientes falſum conſcripſerint. *l. 2. ff. Ad l. Iul. Majeſt.* Sunt prætereà criminis falſi rei Milites, qui falſam Monetam cudunt: aut eos, qui cuderint, de carcere, vel cuſtodia exire permittunt: quorum cauſſam Conſtantinus Imperator ad competenteis Judices referri voluit, nec non capite puniri. *l. 1. verſ. Si quis. C. De Fal. mone.*

CAPUT XI.

De furto militari.

AD TETERRIMUM, & homine planè indignum crimen veniamus. Cùm apud omneis ferè genteis furtum, ſcelus illiberale: rapina verò, turpiſſimum exiſtimetur, non putamus quemquam militem (ſi modò Martis eſt filius) tale aliquid velle cõmittere. Nam neq; liberalitas, quam in omni militia deſideramus, cum alterius incõmodo ſuum augere commodum permittit: neque amicitiarum jura, quibus tum decorantur, tum firmantur milites, aliquid rapere (quod furtum eſt improbius) patiuntur. Quod ut attẽtiùs apud Romanos caveretur, ea in-

ea invaluit consuetudo, ut, dum castrametati essent Tribuni, omneis tam Servos, quàm Liberos ad jusjurandum adigerent, se nihil è castris furto ablaturos: imò si quid invenissent, ad Tribunum allaturos. *Polybius de Roma. castrametat.* Si tamen neq; virtutum studio, neq; juramenti laqueis coërcere nostros milites possumus, intelligant velim, severè in eos, ex Imperatorum Rescriptis, animadvertendum. Valentinus enim, & Theodosius provinciarum incolis permiserunt, milites, qui, ut populentur, agros intraverint, in dignum mittere supplicium, ac eos pari omnino morte ferire, quam illi minati fuerint. *l. 1. Quando liceat sine iudic. vindi. se. C.* Est enim illis in ipso tempore occurrendum, ac telo, ut latronibus improbissimis, resistendum. Tum perniciosum est, nō prata solùm, sed & quasvis Paganorum possessiones militum molestia fatigari, *l. fi. C. De pascuis pub. lib. 11.* ac per aliorum agros, quod illis minimè licet, insolenter evagari. *l. Tribuni. C. De re milit. libro 12.* Eam ob rem à Francisco Rege Christianiss. Anno Virginei partus Millesimo quingentesimo vigesimo tertio, in hanc rem factum est edictum, quo unicuiq; Pagano permittitur, hujus generis populatores milites ferire, trucidare, occidere. Si tamen vivi capi possunt, ad Judices, Præsidesvé provinciarum deduci voluit, qui dignis supplicijs eos affi-

afficiant. Ita Rectoribus Provinciarum Imperatores rescripserunt, si quos milites, relictis proprijs numeris, vagari cognoverint, correptos custodire, donec Imperator decreverit, quid fieri oporteat. *l. Nemo, in fin. C. eod. titu.* Hîc ego prætereo pœnas, quæ in criminibus furti, vel vi bonorum raptorum à Jurisconsultis statui solent: nam illæ cum Prætorum edicto fermè in desuetudinem abierunt: atque modò ultore gladio, modò tormentali rota, modò laqueo, & furca coërcentur. *l. Capitalium. 28. §. Famosos. ff. De pœnis.* Cujus quidem rei manifesta exempla subministrant historiæ. Tiberius militem Prætorianum, ob surreptum è viridario pavonem, capite punivit. *Tranq. in vita Tiberij.* Avidius Cassius, qui se Marium dici voluit, milites, qui aliquid Provincialibus per vim surripuissent, ijs, quibus peccaverant, locis in crucem sustulit, ut & conspectu deterrerentur alii ab ijsdem facinoribus, & solatio esset incolis eodem loco pœna reddita. *Vulcatius Gal. in vita Avidij.* Pescennius Niger decem milites, qui ablatum gallinaceum comederant, necari jussit. Carolus Burgundionum Dux quendam patibulo affigi jussit, qui aniculæ mulieri gallinam subtraxerat. *Hadria. Barlan. hist. Braban. libro 2.* Selimus Turcarum Imperator Bostangi Bassæ genero suo caput amputari præcepit, quòd Provincias, quibus

eum præfecerat, expilaſſet. *Paul. Iovius lib. De reb. Turcic.* Memini ego in Gallijs Bernandum Ferrandum ſtrenuum militem, apud quem cùm quereretur Paganus, ablatum ſibi à neſcio quo militum famulo torquem aureum, vocato famulo, brachium, cui circumvolutus erat torques, abſcidiſſe, & ad Paganum remiſiſſe. Frotho Danorum Rex, cùm Sclavos ſuperaſſet, captivis omnibus per Præconem evocatis, edixit, ſi qui inter eos furto, aut rapinæ aſſueviſſent, palàm exhibere, promittens ſe taleis viros primis honoribus donaturum. Quam ſpem nonnulli cupidiùs ſequuti, prodidere ſeipſos: tum Frotho eos à Lictoribus abripi juſſit, ac in altiſſimas cruces agi. Nam & ipſe legem tulerat, ut, ſi quis furi ignoſceret, pœna furti ipſe puniretur. Jubebat autem fures, trajectis ferro nervis, ſuſpendi, ac lupum ad latus affigi, ut pœnæ ſimilitudo hominem beluæ ſimilem extitiſſe declararet. *Saxo lib. 5. Hiſtoriæ Danor.* Nam non aliam ob cauſſam homo in Lupum converſus fuiſſe fingitur à Poëtis, quàm quòd furtis, & rapinis, hominem, humanitatemque exuens, totum ſe dediderit. *Plato Dialogo 8. De Republi.* Nero etiam, quamvis nequiſſimus, luſus Quadrigariorum prohibuit, quibus inveterata licentia paſſim vagantibus fallere, ac furari per jocum jus erat. *Tranquillus in vita Neronis.* Pertinax Imperator Militibus edi-

edixit, ne cui populo contumeliam facerent, néve quem viatorem pulsarent: *Herodianus libro 2.* volebant namq; antiquitùs Imperatores non pœnas tantùm infligendo, sed & edictis, & orationibus, & monitis Milites suos à furtis cohibere. Scylla tanta continentia exercitum per Calabriam, Apuliamque cum singulari cura agrorum, frugum, hominum, Urbiumq; perduxit in Campaniam, ut putarent omnes venisse in Italiam non belli vindicem, sed pacis autorem. *Velleius Patercul. lib. Poster.* Belisarius rusticorum tantam curam habuisse legitur, ut in ducendo exercitu nemo violaretur: ac ne poma quidem in arboribus pendentia Milites ejus attingere audebant. *L. Aretinus bell. Ital. contra Gothos:* Henricus quintus Anglorum Rex, cùm Cadomum civitatem in Normannia cepit, reperit in arce magnas Civium fortunas, pecunias item in templis depositas, vasaque sacrata: quæ tantum abfuit, ut ipse tetigerit, ut subitò referri in templa, & cuilibet restituenda curaverit, ne illi rapina exprobraretur. *Polydorus Virgil. libro 2. histor. Anglic.* Veruntamen scriptum est, apud Germanos furta nullam habere infamiam, si extra fines cujusque Civitatis per Milites fiant: atque ea Juventutis exercendæ, desidiæque minuendæ caussa fieri prædicant. *Cæsar libro 6. de bell. civil.* Notum etiam est, Lacedæ-

monios patria disciplina, à pueris furtis assuefieri, ac nulli turpe esse furari, dummodò ijs abstineat, quæ lege excepta sunt. Atque ut & prudenter, & cautissimè furentur, Lex apud eos jubet, in furto depræhensum loris cædi. *Xenophon lib. 4. De expe. Cyri mi.* Athenienses quoque, & Thebani ad publicæ pecuniæ furta egregiè erant eruditi, ac optimi quique Atheniensium ab isto furti genere nequaquam abstinebant. *Isocrat. in Panathenaico.* Etenim olim Græci, & Barbarorum quicunque in continente maritimi erant, quique insulas incolebant, ubi cœperunt crebriùs alij ad alios transire, ad latrocinia cõversi sunt tum sui quæstus, tum parandi victus gratia: atq; adorti civitates muro carenteis, vicatimque habitanteis decipiebant, ac maximam inde victus partem comparabant. *Thucydid. lib. 1. bel. Pelopo.* Apud solos Aegyptios lex erat de furibus, jubens eos, qui furari volebant, nomen suum apud Principem Sacerdotum deponere, ac statim furtum ad eum deferre. Similiter, quibus res furto abrepta erat, apud eundem rei sublatæ tempus, diem, & horam scribere cogebantur. *Diod. Sicul. libro 2.* Atque isto modo facilè invento furto, qui rem amisisset, quarta parte mulctabatur, quæ donabatur furi: meliùs enim, ac satiùs esse legum Lator ducebat, alicujus partis, quàm totius rei jacturam pati, cùm aliâs furta prohiberi

beri non possent. Saxones, dum in Longobardos exercitum ducerent, primùm in Remenses sunt delati, & in Strablonensi rure, castris positis, non parvo tempore quieti fuerunt, damna Provincialibus non inferentes, cùm ab illis regio jussu commeatibus juvarentur. Illi autem cùm primùm intellexerunt, Burgundiones à Longobardis cladem accepisse, & Amatum Provinciæ Romanæ Præsidem ab eis interfectum, timore laxati mutaverunt mores, & omnia in Remensibus tumultu implentes, prædam undique agebant. *Alber Krantz. lib. 1. hist. Saxoniæ c. 3.* Henricus Saxonum Rex, quemcunq; videbat furē corpore robustum, & bellis aptum, in suburbio Mersaburiorum collocabat: illi, datis agris, pœnam remittens, illiq; jubens Civibus quidem parcere, in Barbaros autem latrocinia exercere: è quibus furibus Otto ejus filius, & primus ejus nominis Saxonū Rex Legiones, exercitumq; comparatum, Duce Aelic, misit adversus Boizlaum Bohemū, qui fratrem Vincizlaum dolo interfecerat. *Vuituhindus Monachus lib. 2. De reb. Henrici, & Ottonis Saxo.* Has tamen leges, & edicta probare non possum: tū quòd rationi, juriq; ex adverso repugnent: tum etiam quòd cautum est, eum, qui eo animo militiæ se dedidit, ut, sub militiæ obtentu, adversario se preciosiorem faceret, exauthorari, ac gradu militari dejici. *l. Qui cùm. §.*

Non omnis. ff. De re militari. Præterea Modestinus gradu militiæ eos pellendos censet, qui aliena arma subripuerint. *l. Desertorem. §. Qui aliena. 14. ff. Eod.* Paulus Militem, qui in furto balneario depræhensus fuerit, ignominiæ caussa mittit. *l. fin. ff. De fur. balnear.* Pescennius Niger duos Tribunos lapidibus obrui jussit, qui militum suorum stellaturas acceperant. *Spartia. in vita Pescennij.* Rex Franciscus Christianiss. præcepit, diligentissimè coërceri eos Milites, aut Metatores, aut annonæ Exactores, qui à Civibus, aut rusticis quicquam acceperint: idque crimen furtum capitale censuit. Alexander Imperator annonam Militum diligenter inspexit, & Tribunos, qui de stellaturis militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. *Lamprid. in vita Alexand.* Stellatura tesseram frumentariam intelligo, quæ viliori pretio militibus vendebatur. Species enim à Paganis acceptæ, æstimatæ in militare ærarium referebantur, ut posteà Stellaturæ nomine, militibus distribuerentur. *l. Septem. 12. C. De erog. milit. anno. libr. 12.* Vagatur quidem latissimè in re militari crimen stellionatus; maximè si titulus criminis deficiat. *l. 3. §. 1. vers. Vbicunq;. ff. De crimi. stel.* Tessera autem (ut omnia leviter attigisse videamur) signum erat, quo ostenso, panes, vel frumenta dabantur: quæ ab Imperatore annonæ civiles, *l. iubemus nulli. 14.*

in prin-

in princip. C. De ſacroſanctis Eccleſ. à Poëtis ſportulæ appellantur. Adhæc: meminit Ulpianus libro ſeptimo fideicommiſſorum, teſſeras frumentarias legatas Romæ deberi, non in Provincia. *l. Sed & ſi. 52. §. ſi libertis. 1. ff. de Iudicijs.* Auguſtus quoque memoratur Romani populi cenſum viritim egiſſe: ac, ne plebs frumentationum cauſſa frequentiùs à negocijs avocaretur, in annum quaternorum menſium teſſeras dare deſtinaviſſe. *Tranquil. in vita Octavij.* Hujus generis erant apud Athenienſeis annonæ, quæ benè meritis de Republica dabantur.

CAPUT XII.

De Adulteris.

MAJORUM exemplis ſeverè admodum in Adulteros animadvertere monemur: tum maximè, ne Milites tam facilè animum ſuum ad illicita adjiciant, ac nihil omninò audeant contra fas vel tentare, vel facere. Anno, quo Romani cladem apud Cannas acceperunt, L. Cantilius ſcriba Pontificum, qui cum Floronia ſtuprum fecerat, à Pontifice Maximo eò uſq; virgis in Comitio cæſus eſt, ut inter verbera expirarit. *Livius lib. 2. Decad. 3.* Julius Cæſar Libertum gratiſſimum ob adulteratam Equitis Romani

uxorem, nullo etiam conquerente, capitali pœna affecit. *Tranq. in vita Iul. Cæsa.* Papinianus Jurisconsultus jubet eum Militem, qui sororis filiam in contubernio habuerit, licet non in matrimonio, pœna adulterij teneri. Item eum Militem, qui cum Adultero uxoris suæ pactus erit, sacramento solvi, & deportari. *l. Miles. in pr. & §. 1. ff. De Adulte.* Vitandum est enim omne tale flagitium, quod voluptatis illecebris excitatur. Mulier quoque, quæ stupro cognita in contubernio Militis fuit, etsi sacramento Miles solutus intra annum mortem obierit, non admittetur tamen ad testamentum jure militiæ factum: & id, quod relictum est, ad Fiscum pertinebit. *l. Mulierem. ff. De ijs, quib. ut indign.* Nam apud Jurisconsultos generale est, adulterij crimine damnatos, inter Milites recipiendos non esse. *l. Qui cum. 4. §. Adulterij. 7. ff. De re milit.* Miles enim, qui lege Julia de Adulterijs fuerit damnatus, ita infamis est, ut etiam ipsa sententia eum sacramento, ignominiæ caussa, solvat. *l. 2. §. 3. ff. De ijs, qui not. infamia.* Nam & Constantinus, cùm audisset à multis, suorum militum raptas fuisse Virgines, jussit eos, qui violarant eas, relegari: querentibus autem alijs, quòd indigna paterentur, debuissentque morte mulctari, respondit, Jura justè accusare posse Principis clementiam: verùm Imperatorem animi mitissimi cunctis legibus

præ-

præſtare oportere. *Ammia. Marcel. lib. 6.* Aurelianus autem multò magis diligens Adulterorum caſtigator, eos, qui Hoſpitis uxorē violaverant, duabus inflexis arboribus, fune alligabat: quo demiſſo, reus utrinq; pendens laceratus interibat. Fuit & crudelior Opilius Macrinus: qui, cùm quidam milites Ancillæ Hoſpitis pudorem depravaſſe ſuſpecti eſſent (quod per quendam frumentarium ille didicerat) eos adduci juſſit, atq; cùm conſtituiſſet duos boves miræ magnitudinis, vivos ſubitò aperiri præcepit, & ijs ſingulos Milites inſeri capitibus tantùm exertis, ut cùm ijs colloqui alij poſſent. *Iul. Capitol. in vit. Opilij.* Petrus Candianus Venetorum Dux decimus nonus traditur ob raptas Virgines, quæ nuptias celebrabant, in Iſtros bellum moviſſe, ac fudiſſe. *Hadria. Barlan. hiſtori. De Ducib. Vene.* Frotho Danorum Rex, Ruthenis devictis, legem impoſuit, ut, ſi quis Virginis ſtuprum vi petere auſus eſſet, abſciſſis pudendis, ſupplicium lueret: alioqui mille talentis concubitus injuriam penſaturus erat. *Saxo, lib. 5 hiſtoriæ Dano.* Apud Aegyptios lex erat, ut is, qui in adulterio ſpontaneo depræhenderetur, virgis cæſus eſſet ad uſq; mille plagas: Mulier autem naſo mutilaretur, ut ea maximè parte afficeretur, qua facies erat exornata: ei autem qui liberam Mulierem violaſſet, virilia amputabantur. *Diodo. Sic. li. 2.* Athirco Rex Scoto-

torum, ob ſtupratas Virgines filias cujuſdam Natholici, & proſtitutas, Regno expulſus manum ſibi intulit: cui Natholicus in Regnū Scotorum ſucceſſit: *Hector Boeth. lib. 6. hiſto. Scotor.* Tendeſilius Gothorum Rex, orta militum ſeditione in Hiſpania apud Hiſpalim, ob illatam vim Matronis illuſtribus, eſt obtruncatus: *Michaël Ritius, lib. 1. De Regi. Hiſpa.* Rodericus Gothorum in Hiſpania Rex, cùm Juliani Comitis in Africam Legati filiæ ſtuprum intuliſſet, à Mauris per Julianum ſollicitatis bello petitus in acie cecidit, Añо tertio, quo regnare cœperat. *Ibidem, lib. 2.* Atq; licet apud Babylonios diverſa fuerit conſuetudo, qui patiebantur hoſpites cum Uxoribus, & Parentibus coire, modò pretium flagitij illis exſolveretur: quod & fecerunt Alexandri milites: id tamen noſtris militibus nuſquam conceſſero. *Q. Cur. lib. 5.* Nam alterius cubile inire, nec non hujuſmodi corruptelas tueri, neq; prudentis Imperatoris, neq; boni militis eſſe videtur. Salæthus id nobis exemplo manifeſto comprobavit, qui, cùm in Adulteros legem duriſſimam Crotoniatis tuliſſet, paulò pòſt cum fratris ſui Uxore in adulterio depræhenſus, nihil reluctans, magno animo in ignem inſilijt. *Lucian. in Apolo. pro merce. conductis.* Prætereà reſpōſum eſt in Jure, ſi quis Uxorem ſuam, cùm apud hoſtes eſſet, adulterium commiſiſſe arguat, benigniùs eum poſſe

posse accusare jure Viri, si vim hostium passa non esset. *l. Si Vxor. §. Si quis. 7. ff. Ad l. Iuliam, de adult.* Cæterùm, si vim patitur, non est in ea caussa, ut vel adulterij, vel stupri damnetur. Reliqua militum crimina, de quibus aliquid speciatim in Jure cautum est, in Tractatu de pœnis statim subjiciemus.

CAPUT XIII.

De pœnis.

CUM in omni judicio ij, qui præsunt, & oratione, & voluptate nonnunquam peruerti soleant, tũ etiam misericordia perniciosè distrahi sæpe cognovimus. Videntes enim à Natura ingenitum esse omnibus, tum privatim, tum publicè delinquere, nullam legem tanti existimant, quæ id, omnibus etiam adhibitis supplicijs, possit prohibere. Nam quotquot reperias, qui metu pœnæ à delictis coërceantur, totidem, aut plureis, qui nullam pœnam reformident, repertùrum me profiteor: quibus aut aliquis vehementior terror inveniendus est, aut ne istæ quidem pœnæ coërcebunt. Præbent enim inopia, avaritia, insanabilis quidam, & potentior appetitus tantam audaciam, ut in patens periculum effrenatè sese conjiciant. Accedunt ijs, præter fortunam, quæ ad evocandos animos plurimùm valet, tum amor

Dux

Dux pœnarum vitandarum immemor: tum ſpes, quæ proſperitatem fortunæ impensè ſuggerit. Deniq; non facilè conijcias, quoties humana Natura ad agendum aliquid cõcitata ſummo cum impetu tendit, quàm nulla aut vi legũ, aut difficulate prohiberi poſſit. Idcirco Majores noſtri, ne ad fugam, ſeu defectionem, pœnarum metu, ſubjectos impellerent, maximis ſceleribus mitiores pœnas conſtituerunt. Ac licet milites eorum, quæ horrenda non ſunt, horrore perſtringi nequeunt: debent tamen non pœnarum metu tantùm, ſed & benè vivendi ſtudio, ad perfectæ militiæ culmen diligenter contendere. Fiant licet per miſericordiam languidiora noſtra conſilia: indignum ſit, probum virum ad lenitatem, miſericordiamq; quovis modo revocare: eſt tamen humanitatis laus aliqua, ſupplicibus, nulla etiam oratione habita, ſuccurrere, ac mitiores pœnas pro modo delicti ſtatuere. In quo jure laudandi ſunt Imperatores, qui Salluſtio Præſidi reſcripſerunt, milites neq; tormentis, neque Plebëiorum pœnis in cauſſis criminum ſubijciendos eſſe, etiamſi nondum emeritis ſtipendijs dimiſſi eſſe videantur. *l. Milites. C. De quæſtio.* Eos excipio, qui cauſſa ignominiæ ſoluti ſunt: quod in filijs prætereà militum, & Veteranorum ſervandum eſt. Nam Veteranis, temporibus Antonini, honor in eo eſt habitus, ut Liberi eorum

eorum ad primum uſq; gradum pœna metalli, vel operarum publicarum non afficiantur, ſed relegentur in inſulam. *l. Honor. C. De pœnis.* Milites quidem neq; torquentur, neq; in metallum, aut metalli opus damnandi ſunt. *l. Deſertorem. 3. § Pœna. in fin ff. De re milita.* Atque, ut ſunt pœnarum diſcrimina, ita non omneis eadem pœna afficere debemus. Nam Decuriones neq; in metallum damnari, nec furcæ ſubijci, nec vivi exuri poſſunt. *l. Moris. 9. §. Iſtæ. 11. ff. De pœnis.* Milites neq; ad beſtias, neq; in furcam damnantur, neq; torquentur. *d. l. Deſertorem, §. Is, qui. 10. de re militari.* quod in Italia accuratè obſervari Bartolus refert: licet in Francia non obſervari ſoleat. Et licet in Neapolitano Regno ea conſuetudo invaluerit, ut milites homicidæ capite puniantur: *Conſuetut. Neapolitan. titul 9. De homici.* alij verò laqueo vitam finiant, non poſſum tamẽ improbare eam conſuetudinem, quæ apud nos longo jam tempore & inveterata eſt, & obſervatur, ut ſcilicet furca milites ſuſpendantur: milites dico, licet ij milites dici non meruerint, qui militiæ jura non obſervantes, Rempublicam omnẽ depopulantur, & perdunt. Nam in jure is pro non Fabricenſi habetur, qui ſtatuta Fabricenſium non ſervat. *l Si quis. C. De Fabricen. lib. 11.* Hìc autem Gallorum mos ab Herode Rege emanaſſe videtur, qui militem quendam Tyronem nomine à

Ton-

Tonsore accusatum, quòd occasione tondendi eum, suasisset Herodem occcidere, furcæ alligari jussit. *Iosephus, De bel. Iud. c. 17.* Præter id etiam aliquando torquentur milites in caussis publicis, *l. Proditores. ff. De re mili.* ad veritatis investigationem. *l. Milites. §. 1. C. De quæsti.* Dici tamen potest, eos in hoc censeri pro non militibus. Sanè quidem pœnæ militum à Judicibus quandoq; minores, quandoq; majores constitui solent: nam quædam delicta militi graviorem pœnam inducunt: quædam verò non. *l. Quædam. 14. ff. De pœnis.* Ac idcirco scriptum est, si milites aliquid in patrem commiserint, pro modo delicti esse puniendos. *l. 1. in pr. ff. De obseq. à liber. Pat. præstan.* Per vinum autem, aut per lasciviam lapsis militibus capitalis pœna est remittenda, & irroganda militiæ mutatio. *l. Omne delictum. §. Qui se. 7. ff. De re militari.* Mutantur quoque ex personarum qualitatibus. Nam tempore, quo exules Duce Ap. Herdonio Arcem, & Capitolium occupaverunt, & P. Valerius Consul dimicans interfectus est, de captivis, ut quisque Liber, aut Servus, ita suæ fortunæ ab unoquoq; sumptum est supplicium: *Livius lib. 1. Dec. 3.* Kanutus verò Danorũ Rex paucos admodũ milites morte damnavit: sed si quis eorum damnatus esset, interrogari solebat, terreno, an maritimo exilio decedere vellet. Is, si maritimũ exilium elegisset, ad littus usq;

maxi-

maxima ſuorum Commilitonum frequentia deducebatur: ac dato navigio, remis, cõmeatu, ac vaſculo uno ad extrahendas aquas, ſolus undarum fluctibus immittebatur: qui, ſi in littus relatus fuiſſet, ut hoſtis habitus, pœnas pendebat, ac in diſcrimen capitis vocabatur. Si autem militię munere defunctus, terrenũ exilium delegiſſet, ad nemus quoddam Commilitonum cura deducendus erat, nuſquam rediturus, ſi pœnas evitare voluiſſet. *Saxo lib. 10. Hiſt. Danor.* Deniq; pœnæ militum à Juriſconſultis *d.l.Deſertorem, §.pœna 1.ff. de re mili.* eæ traduntur, caſtigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, & ignominioſa miſſio: de quibus nonnihil dicendum eſt.

CAPUT XIV.

Ignominioſa Miſſio.

MISSIONUM generales cauſſæ ſunt tres: honeſta, & cauſſaria (de quibus ſuprà dictum eſt) & ignominioſa. Ignominioſa cauſſa eſt, cùm quis propter delictum ſacramento ſolvitur. Et is, qui ignominia miſſus eſt, neque Romæ, neque in ſacro Comitatu agere poteſt: & ſi ſine ignominiæ mentione miſſi ſunt, nihilominus ignominia miſſi intelliguntur. *l. Milites. §. Miſſionum. ff. De re militari.* Edictum autem Prætoris tale eſt:

le eſt: *l. 1. ff. De ijs, qui no. infa.* Infamia notatur, qui ab exercitu, ignominiæ cauſſa ab Imperatore, eove, cui de ea re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit. Ergo ignominia miſſi, infames ſunt. Dimiſſum intelligimus militem caligatum: vel ſi quis alius uſq; ad Centurionem, vel Præfectum Cohortis, vel Alæ, vel Legionis dimiſſus eſt. *l. 2. ff. Eod.* Ampliùs quoq; Pomponius ait, *l. 2. in pr. Verſ. Hoc amplius. ff. eo. titu.* eum, qui exercitui præeſt, licet Conſularibus Inſignibus utatur, cauſſa ignominiæ ab Imperatore miſſum hac nota laborare. Dux igitur, ſi, cùm exercitui præeſt, dimiſſus erit, infamia notabitur. Nam ſi Princeps dimittit, & addit, cauſſa ignominiæ ſe mittere, nemo dubitat infamem effici. Ignominioſa autem miſſio toties eſt, quoties is, qui mittit, addit nominatim, ſe cauſſa ignominiæ mittere: ſemper enim debet addere, cur Miles mittatur. *d. l. 2. §. Ignominiæ. 2. Vers Ignominioſa. Eod.* Adiecta itaq; cauſſa, etiāſi miſſionis nomen non addatur, facile eſt cuiq;, perſpicere ex cauſſa, ſitne honeſtè, an cauſariè, an ignominiosè miſſus. Sufficiet igitur præmittere cauſſam, cur ille mittatur: qua vel facilimè quivis Miles miſſionis genus judicabit. Nam ſi dolus, ſi culpa militis præceſſerit, certum eſt, ignominiam ſequi debere: qua demum cognita is, qui miſſus eſt, neque in Urbe, neque alibi, ubi Impe-

rator

ratoreſt, morari poteſt. *d. l. 2. §. Ignominia. Eod.* Siquidem Antoninus Imperator reſcripſit, milites ignominia miſſos, cùm infamia notentur, nullis honoribus, qui integræ dignitatis hominibus deferri ſolent, uti poſſe. Non poterunt quoq; ijs in locis morari, à quibus prohibentur: cujuſmodi ſunt Aula Principis, & Urbs Roma *l. Milites. C. De re mili. lib.* 12. Denique generaliter ſancitum eſt, ignominiæ cauſſa, ſacramento liberatos honoribus omnibus abſtinere debere. *l. 1. C. de his qui non impletis ſtipend.* Idque rectè: nam non temerè accidit, ut, qui honoris, virtutiſque ſtudioſus eſt, quicquam agat, quo omnia vitæ ſuæ ornamenta cum ſummo dedecore, & ignominia amittat: quòque tandem ad ſummam calamitatem præcipitet. Idcirco Traianus Imperator, antequàm in Senatum veniret, edicta quædam miſit: atque illud imprimis, nunquam ſuo juſſu bonum virum ocioſum iri, aut notari ignominia. *Dion. in vita Traiani.* Apud Germanos, ſacris adeſſe, aut concilium inire, ignominioſo nefas eſt: qui enim ignominia notabantur milites, nec æra percipiebant, nec militaribus gaudebant privilegijs, nec ullum habebant cum gladijs, teliſque commercium. *Corn. Tacitus, libro De rebus Germa.* Nam in jure omnino ſimiles ijs habentur, qui nunquam militaverunt. Propterea neque ipſi, filijve eorum ullum habent

militum privilegium. *l Sed & 8. §. Qui nimirum. ff. De excu. tuto.* Planè ignominia missi à tutelis urbicis, sive quæ in civitate habentur, excusari necesse est. Nam eis ingredi Urbē non licet: *d. l. Sed & 8. §. Scribit autem. 9 ff. Eod.* ab alijs tamen tutelis non habent vacationem. *d. l. Sed & 8. §. Ita autem 5. ff. Eod.* Proinde qui ignominia missus est, ad Judicem loci remitti debet, nec recipiendus est, posteà militare volens, licet fuerit absolutus. *l. Qui cum §. Ignominia 6. ff De re. milit.* Ideoque Caligula Imperator, ut se acrem, & severum Ducem ostenderet, Legatos, qui auxilia seriùs ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit: neque fieri potuit, ut in militiam iterum reciperentur: *Tranq. in Caligu.* neque enim ampliùs sunt milites, neque testamenta eorum militari jure possunt valere. *l. Testamenta. 26 in pr. ff. De test. milit.* Hìc non inutile forsitan videbitur, caussam unam ignominiosæ missionis adijcere. Is scilicet Miles, qui se vulneravit, aut mortem sibi conscivit. De quo ex Hadriani Imperatoris Rescripto modus statuendus est, ut, si impatientia doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit, non animadvertatur in eum, sed ignominia mittatur: si nihil tale prætendat, capite puniatur. *l. Omne delictum. §. Qui se 7. ff. De re milita.* Quibus autem modis, verbisque hæc missio fiat, ex Oratione Jul.

Cæsaris

Cæsaris satis notum est: qui, coram toto exercitu Concione habita, dixit ad C. Anienum Tribunum militum decimæ Legionis: *C. Aniene, quòd in Italia milites populi Romani contra Rempublicam instigasti, rapinasq́ per Municipia fecisti, quodq́ue mihi, Reiq́ue publicæ fuisti inutilis, tuaq́ue opera militibus tempore necessario Respublica caret, ob eas res, caussa ignominiæ ab exercitu meo te removeo, hodieq́ue Africa abesse, &, quantum longiùs potes, proficisci jubeo. A. Hirtius, lib. 5. Bel Africa.* Octavius Cæsar legitur, decimam Legionem contumaciùs parentem cum ignominia totam dimisisse, militesq́ue pro delictorum generibus varijs affecisse ignominijs: ut stare per totum diem ante Prætorium: interdum tunicatos, discinctosq́ue: nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portanteis. *Tranquil. in Octavio.* Iubebant præterea Antiqui, ignominiæ caussa, venam militibus solui, & sanguinem mitti. Id quod non tam nomine pœnæ, quàm medicinæ caussa, factum existimaro: militibus præcipuè stupentis animi, & à naturali ratione aliquantum declinantibus. L. Calphurnius Piso Cōsul Titum fugitivorum hominum Præfectum hac affecit ignominia: jussit eum lacinijs abscissis amictum, ac tunica indutum nudis pedibus adesse: & convictu hominum, balneorum usu, turmisq́ue Equitum,

ac equis, quibus præfuerat, ademptis, in Funditorum Alas transcriptus est. Otto Saxonū Rex milites quosdam, qui Everhardum ad movendam seditionem contra Brunigum adjuverant, ignominiæ caussa unumquemq; canes ferre jussit ad Urbem Regiam, quam Magdeburg vocant. *Vuitichindus Mona. lib. 2. De gest. Otto. & Henri.* Hujus itaq; missionis diversi modi extitere, ut Imperatoribus, aut Ducibus decens, atq; æquum visum est.

Caput XV.

Gradus deiectio.

Claudius Imperator Equestreis militias ita ordinavit, ut post Cohortem, alam: post alam, Tribunatum Legionis daret. *Tranq. in vita. Claudij* Hos igitur militiæ gradus sic accipio, ut, qui Cohorti pręest, minor sit eo, qui Legioni: atque ita, qui à Præfectura Legionis in Cohortem traducitur, gradu dejici dicere possumus: gradus enim honorem impartitur. Isto modo Romæ Senatusconsultum ex Appij Claudij sententia latum est, quo omnes, qui à Pyrrho Rege Epirotarum capti, & posteà ab eo ultro remissi erant, ij quidem, qui equo meruissent, Peditum numero militarent: qui Pedites, Funditorum auxilijs ascriberentur. Ita diximus eum, qui stationis munus derelinquit, gradu

du militiæ dejici debere. *l. Desertorem. §. Qui stationis. ff. De re milita.* Qui aliena arma subripuit, gradu militiæ pellendum. *d. l. Desertorem §. Qui aliena. 14. Eod.* Equitem, qui in pace deseruit, gradu disturbandum. *l. Non omnes. §. Qui in pace. ff. Eod.* Si plures deseruerint, deinde intra certum tempus reversi sint, gradu pulsos in diversa loca distribui debere. *l. Desertorem. §. Si plures. Eod.* Si intra vociferationem, aut levem querelam seditio propter aliquem mota est, gradu militiæ dejiciendum. *d. l. Desertorem. §. Si intra. 20. Eod.* Hoc modo, si quis Miles, Turbis audientibus, publicè de fide Christiana tractare conetur, cingulo debet spoliari. *l. Nemo Clericus. C. De sum. Tri.* Ita Imperatores voluerunt, eum, qui die festo spectaculis interfuerit, militiam amittere. *l. fi. C. De Feriis.* Accedit Justinianus Imperator, qui Bessam Præfectum quòd Petram præsidium, ante Mermerois adventum in potestatem redactum amiserat, cùm ex Præfecturæ officio fauces omneis obstruere debuisset, loci adjuvante natura: is tamen tempus in cassum terens, civitates obibat suæ traditas potestati, illum quidem exautoratum, privatumq; bonis omnibus in Asbastos relegavit, quoad de eo aliud decerneretur. *Agathias, lib. 3. histo.* Severus Imperator Prætorianos milites, qui Pertinacem interfecerant, militia dejecit: zonis, vestituque, ac cæteris militiæ

 orna-

ornamentis per vim ablatis nudos ad unum omneis dimiſit, ac centeſimo ab Urbe lapide abeſſe præcepit. *Herodia. lib. 2.* Quod tamen genus ignominioſæ miſſionis fuiſſe facilè crediderim. In hunc modum Imperatores Honorius, & Theodoſius Senatui reſcripſerunt, *l. fi. C. De lib. & eorum liber.* libertinæ conditionis homines, ſi ingrati militaverint, ad ſervitutis jugum continuò deducendos: qui enim à libertate in ſervitutem redigitur, is gradu diſturbari dicendus eſt. Itaque nemo juſtè negaverit, Q. Fulvium Flaccum Cenſorem Fulvium fratrē gradu militiæ dejeciſſe: illumque, quòd Cohortem Legionis, in qua Tribunus militum erat, injuſſu Conſulis domum remiſiſſet, Senatu moviſſe: quæ gradus dejectio cenſenda eſt.

Caput XVI.

Militiæ mutatio.

Gradus dejectioni ſimilis eſt militiæ mutatio: licet aliquantum graviùs ſit, militiam mutare, quàm gradu dejici: çùm militiæ mutatio nonnihil infamiæ irrogare videatur. Ideoque ſi quis capite plecti meruerit, ac Judex cum eo humanè velit agere, militiam tantùm mutabit: veluti is, qui agmine exceſſit, capite plecti debet: ſi tamen ex cauſſa, vel militiam mutat, vel fuſtibus cædi-

cæditur, *l. Desertorem. §. Sed qui agmen. 16. ff. De re milit.* plus namque est, militia dejici, quàm gradu militiæ. Qui in bello arma amisit, vel alienavit, debet mutare militiam, si humanè cum eo agitur: si verò ex Juris regula agatur, capite puniendus est. *d. l. Desertorem. §. Miles. 13. Eod.* Pedes, qui in pace deseruit, militiam mutare debet. *l. Non omnes. 5. §. Qui in pace. 1. ff. Eod.* Miles, si per vinum, aut lasciviam labatur, capite plecti non debet, sed militiæ mutatio est ei irroganda. *l. Omne delictum, §. Qui se vulneravit. 7. Eod.* Qui Centurioni castigare volenti restiterit, militiam mutare debet. *l. Milites. §. Irreverens. Eod.* Miles in numeris existens, vel in Legione, si sine permissu Principis aliena obsequia adierit, militia exui debet, & pœnam debitam luere, *l. Nemo. C. De re mili. lib. 12.* quod intelligo, si disciplina militaris offenditur, vel si quod detrimentum per hanc absentiam affertur militiæ. Possunt enim milites suis negocijs sine offensione disciplinæ superesse, *l. Qui stipēdia. C. De Procu.* quāvis, cùm à Republica & alātur, & armati sint, solis publicis negocijs occupandi videantur, ac neque agrorum cultui, neque animalium custodiæ, quæstuive usurarum dare operam possunt. Debent namque frequentes suis numeris insistere, tum ut quotidiana exercitatione ad bella promptiores reddantur, tū ut continuo labore indurati prudētiores,

fortioresq́; sint in prælijs. *l. Milites. C. De re milit. lib. 12.* Eam ob rem Imperatores satis diligenter prohibuerunt, ne milites de suis numeris ad alios numetos transeant, sine Principis autoritate. *l. Contra. C. Eod.* Quod ut in Romana militia faciliùs fieret, cùm, olim stante Republica Romana, omnes Itali longo tempore in armis fuissent, cogerenturque propter negocia à suis numeris sæpissime discedere, primus Divus Augustus Alienigenas milites mercenarios habuit, qui Romanum tuerentur Imperium. *Cor. Tacitus, libro 18.* Qui enim limites Imperij sui tueri, ac pro viribus munire percupit, atque eò animum suum applicat, ut in Regno securus vivat, ac felix, is nequaquam evagari permittet suos milites, ac potiùs exteros in militiam ascribet, quibus non tanta negocia supersunt. Prætereà, cùm ab hostibus capi, non semper vitio vertendum sit, legimus tamen Titum in excidio Hierosolymitano Equitem ab hostibus captum, & ad suos reversum, armis ablatis agmine suo pepulisse: *Iosephus, lib. 7. cap. 14.* indignum enim ille judicabat militia Romana, qui vivus captus fuerat. Hęc tamen militiæ mutatio forti Viro gravior morte esse debet.

CAP.

CAPUT XVII.

Mulcta pecuniaria.

MILITES pro delictorum qualitate nonnunquam vel in pecuniam condemnantur, vel stipendijs, ac emerito privandi sunt. Emerito quidem privantur, qui militiæ tempus in desertione impleverunt. *l. Desertorem. §. Qui militiæ. ff. de re milit.* Insuper, qui ex caussa desertionis notatus est, si restituatur, temporis, quo in desertione fuit, stipendijs expungitur: si tamen Desertorem fuisse, non constiterit, omnia stipendia citra temporis finem redduntur: *l. Ex caussa. 15. ff. Eod.* Pœnam istam pecuniariam apud Jurisconsultos non memini me legisse: Imperatores tamen hac mulcta aliquando milites afflixerunt. Nam anno ab Urbe condita centesimo quingentesimo tertio, P. Verginius, & M. Sergius Fidenas Tribuni militum, propter cladem apud Vëjos acceptam, denis millibus aeris gravis rei condemnati sunt: licet nequicquam belli fortunam Sergius accusaret, ac Verginius deprecaretur, ne infelicior domi esset, quàm militiæ. *Livius lib. 5. Decad. 1.* Zeno Imperator eum militem, qui post finitum tempus conductionis domus, litem illicitè intulerat ei, cui Dominus domus eandem posteà conduxerat, in decem libras au[...]

condemnavit. *l. Nec cui. C: De locat.* Nam Justinianus prohibuit militibus, ne res alienas vel locarent, vel conducerent. *l. fin. C. eod. titu.* Eadem pœna mulctatur, qui Principi supplicaverit, ut binas militias simul obtinere posset. *l. His quidem. 5. C. Qui militar. non pos. libr. 12.* Prætereà, si quis militẽ in aliud obsequium, quàm militare, deputaverit, deputatúmve acceperit, pro singulis militibus singulas auri libras persolvet. *l. Milites. 15. C. De re milit lib. 12.* Arcadius, & Honorius lege repetita censuerunt, si quis militum annonæ exactionem impedierit, adjecta sacrilegij pœna, centum librarum auri pœna mulctari. *l. Lege. 13. C. De erog. milit. an.* Iidem Imperatores milites dignitate præditos, qui majorem partem hospitij, quàm per Metatores sit assignata, acceperint, in tricenas libras auri condemnarunt: reliquos milites militia privavere. *l. 2. C. De Met.* Theodosius Imperator, ut sceleratum morem à militia repelleret, decem librarum auri mulcta feriri præcepit eos milites, qui ab Hospite quicquam postulaverint. *l. Devotum. C. eo. tit.* Rex autẽ noster Christianissimus, si milites à Civibus, aut Paganis quicquam acceperint, non pecunia pœnam sarcire voluit, sed id crimen capitale omninò censuit, quòd furtum, rapinámve subolere videretur. Kanutus Danorum Rex omnem militarem pœnam pecunia redimi statuit,

dempta

dempta ea, quæ per fuſtium caſtigationem erat. Itaque homicidij crimen quadragenis nummi talentis expiari præcepit. Ipſe autem ſibi, qui id crimen commiſerat, trecenta, ac ſexaginta talenta mulctæ nomine numeranda deſcripſit: & novem talenta auri, doni nomine, adjecit. Totius pecuniæ partem primam Regi dari volebat: alteram in milites dividi: tertiam Parentibus interfecti diſtribui jubebat. *Saxo libro 10. hiſtor. Danorum.*

CAPUT XVIII.

Caſtigatio militaris per vitem.

AEMYLIUS Macer Juriſconſultus, ne quod peccatum militare exercituum Duces impunitum relinquerent (eſt enim maxima peccādi illecebra, impunitatis ſpes) irreverentem militem non tantùm à Tribuno, vel Centurione, ſed etiam à Principali coërcendum eſſe cenſuit. Nam eum, qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſiſtebat, Veteres notabant: Si vitem tenuit, militiam mutabat: ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite puniebatur. *l. Milites. §. Irreverens. ff. De re milita.* Quo facilè conjicio, milites nonnunquam flagellis caſtigandos eſſe, vel fuſtibus. Flagella intelligo extremas parteis ejus, quod caput vitis appel-

appellant: *Columel. lib.3. cap.10.* à venti quidem flatu flabellum priùs, flagellum posteriùs appellatum. *Varro lib. 1. cap. 31.* Fiebat autem apud Romanos hoc modo ejusmodi castigatio. Accepto fuste Tribunus vix tantùm attingebat damnatum: quod ubi factum erat, omnes, qui in Castris erant, cædentes fustibus, lapidibusque in ipsis Castris conficiebant. *Polyb. de Roma. castrameta.* Neque tamen omnes ita puniebantur: sed prudenter ratione habita multitudinis, interdum octo, interdum plures sorte eximebantur è numero eorum, qui deliquerant: & cædebantur fustibus. Reliqui, hordeo pro tritico demenso, extra vallum, munimentaque mittebantur. Ergo sortis formidine omnibus imminente, exemplo hordei dati ad omneis pertinente, milites à delictis facilè revocabantur. Senatus etiam Romanus dedit Centurionibus insigne gestamen ex vite, qua vel milites errantes plecterentur, vel cogerentur ad militiam: vel tardos ordines ipsi militum Duces ad lentas perducerent Aquilas. *Plinius lib. 14. natur. histor.* Quod de Cn. Mario refert Juvenalis, qui

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret Castra dolabra.

Hadrianus autem Imperator nulli militum vitem nisi robusto, & bonæ famæ dabat, quò & meliùs, & prudentiùs suos Milites corrigeret.

geret. *Ael. Spartia. in vita Hadria.* Eſt quoque memoriæ mandatum, Lucilio Centurioni in Caſtris Germanicis cognomentum, cedo alteram, inditum eſſe, quòd verberans militem vite perfracta alteram popoſciſſet, & rurſus alteram. *Cornel. Tacit. lib. 1.* Calvinus item Domitius, cùm ex conſulatu obtineret Hiſpaniam graviſſimi comparandi Antiquis exempli autor fuiſſe proditur: quippe Primipili Centurionem nomine Jubillium, ob turpem ex acie fugam, fuſte percuſſit. *Velleius Pater. lib. poſter.* Præterea Lychas Arceſilai Lacedæmonius virgis à Lictoribus in loco prælij cæſus legitur, quia cùm ejus biga viciſſet, declarato victore Bëotiorum Tribuno plebis ipſe progreſſus in locum ludorum Lacedæmonijs interdictum, Aurigam coronaſſet, avidus ſcilicet judicandi ſuum currum victorem extitiſſe. *Thucyd. lib. 5. bell. Pelopon.* Conſtat etiam, fuſtuarium meruiſſe Legiones, quæ Conſulem reliquerant. *Cicer. Philipp. 3.* Porrò ne quis Miles ignominioſum ducat, tergum ſuum ſubjicere culcitram vibicibus, intelligat velim, fuſtium ictus infamiam ex Imperatorum reſcripto irrogare. *l. Fuſtibus. 16: C. Ex quibus cauſ. infam.* Ideoque Kanutum Danorum Regem non ſine cauſſa voluiſſe, pœnas omneis militareis pecuniaria mulcta temperari: dempta fuſtium, & lignorum percuſſione. Dicebat enim in ea ſummam

igno-

ignominiam esse constitutam, quòd fustibus canes abigere soleamus: credebat autem ignominiam, summam militum pœnam esse. *Saxo. lib. 10. histor. Danor.* Quam ut milites summa cum diligentia, si honori suo consulere volunt, debent effugere: ita Duces prudenter animadvertant, ut neque temere, neque continuò hac pœna mulctatos summo dedecore afficiant. Memoratur enim Phaleucus quondam Phocensium Dux interemptus fuisse à quodam suo milite, quem fustibus verberaverat. *Diod. Sicul. libr. de gest. Philip.* Atq; ideò id summoperè præcavendum, non Imperatores tantùm, sed & Tribunos, & Cēturiones scitè forsitan monuisse videbimur.

Caput XIX.

Purgatio militaris, sive Luitio.

Majores nostri perfectum aliquid animo statuentes, nihil majore cum diligentia curabant, quàm ut & illud partibus omnibus suis constaret, & nihil omninò, quo vel levissima quæque macula absctergeretur, meritò desiderari posset. Idcirco Ulpianus diligenter sanxisse videtur, ut ij, qui status controversiam patiuntur, licet revera liberi sint, non debeant tamen per id tempus nomen militiæ dare: maximè lite ordinata, sive ex libertate in servitutem, sive contrà petantur. Ne ij quidem, qui ingenui bona fide

fide serviũt. Sed nec, qui ab hostibus redempti sunt, priusquàm se luant. *l. Qui status. 8. ff. De re milit.* Luere autem se dicuntur milites, qui ab hostibus redempti, Redemptoribus pretium redemptionis offerunt. Estque ea luitio pecuniæ pro redemptione persolutæ retributio: nam quoad exsolutum sit pretium, sunt quasi in servitute positi. Nam etsi Pater redemptus ab hostibus ante luitionem mortuus sit, dici potest, filium ei suum existere non posse, nisi priùs quantitatem obtulerit. *l. Si patre. 15. ff. De captivis. & postlim.* Isto modo dicimus, unum ex hæredibus Servum pignori obligatum luere posse: *l. Si servus. 31. ff. Famil. hercisc.* id est redimere, & pretium pignoris persolvere. Res item pignori obligata, & per Testatorem legata ex communi pecunia lui debet. *l. Rem pignori. 28. ff. eod. titu.* Est verò luitionis significatio nota in pignorum redemptione. *l. Communi dividundo. 7. §. Inter eos. ff. Communi divid.* Cùm itaque milites Redemptoribus suis pretium, ut jura militaria postulant, in tempore offerunt, liberant se illa quasi servitute, liberant se fide data, liberant se promissione: qua, ut nemini dubium est, illos Redemptoribus esse devinctos: ita eo maximè vinculo purgatos, ac liberos sese debent reddere. Purgatio autẽ militum diverso modo ab Antiquis facta est, ut diversi sunt mores, variique ritus gentium. Tullius Rex,

Rex, ubi, quæ ad æſtimationes pertinebant, conſtituit, juſſit Cives omneis in campum convenire habenteis arma, & ordines: ſtatuensque Equites pro dignitate, Peditesque in acie, ac levis armaturæ milites in ſuis quosque Ordinibus, eorum purgationem fecit Tauro, Ariete, & Hirco: atque hæc circumduci ter jubens circum exercitum immolavit: quam purgationem in longum poſteà tempus Romani obſervaverunt. *Halicarnaſ. libr. 4.* Macedonum verò Reges hoc modo luſtrare milites ſoliti erant, ut diſciſſæ Canis viſcera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, abjicerentur in utramque partem: ac întra id ſpatium armati omnes ſtabant, hinc Pedites, illinc Equites, ſic Phalanx. Poſteà diſcordiæ Autores ad ſupplicia depoſcebantur, ac diſcreti à cæteris in conſpectu totius exercitus Elephantis objecti, omnes beluarum pedibus obterebantur. Iſto modo, poſt mortem Alexandri, communi conſilio placuit, Milites more patrio luſtrari. *Q. Curt. lib. 10.* Octavius Cæſar, ubi Calviſium Præfectura Claſſis movit, Agrippamq; ejus loco præeſſe voluit, Claſſis exercitum ita purgaſſe legitur. *Appia. lib. 5. de bell. civil.* Primùm circum altaria in littore maris multitudo omnis circumquaque per naves aſſedit: Sacerdotes in littore ſacra fecerunt: terque per exercitum, ſcaphis circumvectis, purga-

mina

mina ſacra detulerunt, Ducibus unà adnavigantibus, & illa purgamina extollentibus, ut ab exercitu infelicia quæque depellerent. Deinde ea ipſa dividentes partem in mare projecerunt, partem altaribus impoſitam flammis adoleverunt: ac protinus multitudo omnis illa benè precata eſt. Sic & Romani purgare Claſſem ſuam aſſueverunt. Piſiſtratus Tyrannus Delum expiaſſe hoc modo legitur: quæcunque in Delo defunctorum extitere monumenta, omnia ſuſtulerunt, & in poſterum edixerunt, ne quis in Inſula aut naſceretur, aut moreretur, ſed morituri in Rheniam Inſulam tranſportarentur parum à Delo diſtantem. *Thucydid. libro 3. bell. Pelop.* Eſt & alia militum purgatio: quo ſcilicet loco purgari debeat exercitus, quive locus in Caſtris commodior exiſtere videatur. Cujus quidem rei extat Imperatorum Arcadij, & Honorij Reſcriptum, quo maximè, cùm omnis Legionum multitudo ſupra fluminum ripas caſtra habeat, nemini omninò licet, ſordes ſuperiori parti fluminis, aut alvei inferre, ne commune poculum polluatur. *l. Cùm ſuprà. 12. C. de re milit. lib. 12.* Id ipſum quidem faciendum eſt in inferiori parte, quæ ſub Caſtris eſt: atque ibi tum ſeipſos, tum equos ſuos & abluere, & adaquare ſolent. Qua de re nonnihil ſuprà in Caſtrorum metatione tractavimus. Nimirum non minorem in Mi-

litia nostra rationem honestatis circa corporis necessitates, & curationem duci, servariq; volumus, quàm in animi cultu, & virtute tum comparanda, tum armis exercenda. Quare hoc videant diligenter Milites, ut ab immunditia, & spurcitia semper absint: honestati non minus, quàm ipsi valetudini, studeant: Loci, in quibus castra posita sint, vel stationes agant, sordibus, & eluvie omni purgentur. Id quod & animis alacritatem afferet: & corpori habitum vegetiorem.

Caput XX.

Feuda militaria.

Hoc aliquando tandem loco de feudis, quæ Imperator *στρατείας* appellat, differere, necessarium existimavi, vel eo potissimùm ordine, quo patrum memoria ad preces Bononiensis Collegij à D. Frederico tertio Romanorum Imperatore confirmata fuerunt. Ea ego militiarum jura appello: atque hinc originem sumpsisse suspicor. Cùm Romani ubiq; gentium, & terrarum victores extitissent, plures milites in Provincijs remansere: pars, ut præsidio esset: pars, ut illic agros, quos uberes prospiciebat, coleret: quo ferè modo de limitaneis militibus supra dictum est. Deinde cùm Coloniæ deducerentur, bona pars Romanorum eò loci

loci commigravit. Quibus cùm multus esset ager, ac fundus amplissimus, ne & ipsi carerent Clientibus, incolas terræ in suum patrocinium vocaverunt, eisque fundos, ut erat cujusque conditio, in beneficium distribuerunt. Atque istiusmodi clientelæ pedetentim in feudorum nomen transivere, à fœdere forsitan: Clientesque Vasalli vocari cœpti sunt. Clientum autem (si altiùs rem ipsam repetere volumus) origo à Romulo processisse putatur: qui, cùm providere vellet, ne locupletes injurijs humileis, potentesq; invidia egenos opprimerent, Plebejis permisit, aliquem ex Patricijs sibi Patronum eligere. Ii Clientes dicebantur: idq; nihil aliud erat, quàm susceptũ pro tenuibus patrocinium: quod, fide data, accuratè observandum erat. *Dio. Halicar. lib. 2.* Fidelitas itaq; cùm in feudo sit aliquid substantiale, à fide, seu fidelitate non absurdè feudum deduci potest. *cap. 1. in fin. per quos fi. invest.* Est enim feudum benevola rei concessio cum tralatione dominij utilis, retenta proprietate sub fidelitate, & honestis obsequijs exhibendis. Est, præter id, aliquod feudũ à recti feudi natura degenerãs: de quo hîc nihil attingam, ne nimis latè divagetur hęc materia, ac faciliùs me hinc eximã. De eo igitur scribam, quod feudi propriam habet naturã, atq; simplex, purum, & rectum est, nec non ad hæredes transitoriũ, ac æquali

ſubinfeudari poteſt: quo item Vaſallus ſine culpa privari non debet. *cap. 1. De natu. feud.* Paternum verò feudum, quod etiam antiquum dicitur, illud eſt, quod à Majoribus noſtris eſt acquiſitum: id quoque ad hæredes tranſit. *cap. 1. §. Paternum. De natu. ſucceſs. feud.* Nam Lotharij conſtitutio vult, decedente milite Vaſallo, ſuccedere illi filium, & ex filio nepotem. *cap. 1. in conſtit. Lotharij.* In hoc feudo nova traditio non exigitur in Agnatis, ſeu deſcendentibus, ſi Majoribus facta fuerit: *cap. 1. §. 1. De feud. mar.* ſentio tamen, neceſſariam eſſe recognitionem (ut dicunt) & juramenti fidelitatis præſtationem. *cap. fi. De prohibita aliena. per Lotharium.* Novum feudum appellatur, quod à Domino novè conceſſum eſt. *cap. 1. §. Novum, Qui teſt. ſint neceſſar.* Fit etiam quandoque ex antiquo novum feudum, cùm Dominus, de Agnatorum conſenſu, Vaſallum inveſtit, tanquam de novo feudo. *cap. 1. in fin. an Agnat. vel fil.* Prætereà licet ex uſibus feudorum ſolus Princeps Romanus feuda regalia, aut dignitatem dare poſſit, *cap. 1. de feud. March.* ſintque tantummodo illius Vaſalli Duces, Marchiones, Comites (ut vocant) qui & Capitanei Regni dicuntur: *cap. 1. §. Si capitanei. de feud. nat.* attamen quilibet Rex in ſuo Regno hujuſmodi dignitates concedere poteſt. *cap. Scitote. 6. q. 3.* Nam ſi hoc loco rationibus pugnandum eſt, Rex plus juris habet

in Re-

in Regno, quàm Imperator, cùm ad hæredes Regnum transmittatur: in Imperio verò non succeditur, nisi electione. *cap. Per venerabilem. extrà De elect.* Duces hîc à Romanis dictos putaro: donabantur enim ab Imperatoribus non Castris tantùm, sed & Oppidis: ea tamen lege, ut dominium ab Imperatoribus recognoscerent. Assignabantur autem cuilibet Duci exercitus Comites duodecim, qui eos comitarentur: unde dictos Comites autumo. *Cornel. Tacit. libr. de morib. German.* Marchiones verò à limitaneis Præpositis duxerunt originem: nos enim limites Provinciarum Marchas vulgò dicimus. Accedit Severi Imperatoris historia, quæ recitat, eum limitaneis Ducibus, & militibus ea, quæ ab hostibus capta erant, concessisse, ita ut eorum essent, si hæredes militarent: *Lamprid. in vita Alexand. Severi.* cujus meminit etiam suis Rescriptis Justinianus Imperator. *l. In nomine Domini. C. De offic. Præfec. Præto. Afric.* Demum ut omnia levi tantùm manu attingamus, Investitura est possessio, quando Vasallus in realem possessionem per Dominum, vel Nuntium ejus inducitur. *cap. 1. Quid sit Investitura.* Potest autem quilibet feudo investiri, nisi expressè prohibitus inveniatur. *cap. 1. §. personam. Per quos fit Investitu.* Defuncto itaq; Vasallo, Liberi, vel Agnati à Domino, vel ejus hærede renovationem Investituræ in feudo an-

tiquo intra annum, & diem petere debent, si Pagani sunt: si verò milites, intra annum, & mensem. *cap. 1. Quo tempore miles.* In quo militum, quorum favore tempus prorogatur, non minimum est privilegium. Istud tamen intelligi velim, si cessent impedimenta: cujusmodi sunt hostiles incursus, & similia. *cap. fin. De prohib. feud. alien. per Lothar.* Quæsitum est aliquando: an valeat Investitura, si quis aliquem de feudo sui militis investierit. Placentini non valere asseruerunt, nisi consentiret is, cujus erat feudum. Mediolanenses autem, & Cremonenses nihil distare affirmabant, utrum sciente, vel ignorante: dummodò eo vivente, nullum detrimentum à feudo contingat: quod tantùm verum crediderim de eo, qui feudi successores non habet. *cap. fi. De feud. dat. in vicem. l. commisso.* Præterea feudum si quis à Domino accipiat, jurare debet, incolumem Dominum se servaturum, neq; secreta revelaturum, aut præsidia, quibus Dominus munitus tueri se potest. *cap. 1. De nova for. fidelit.* Jurabit etiam se non commutaturum ea, quæ Domino honesta, utilia, facilia, possibilia futura sunt in parteis contrarias. Denique fidelem se, ut vasallum, Domino futurum. *cap. 1. Qual. Vasall. iur. deb.* Neq; enim Vasallus debet mortem, nisi illam certissimè prævideat, evitare, ut Domino suo succurrat. *cap. 2. De feud. sine cul. amit.* Demum miles sine

culpa

culpa feudum ſuum amittere non poteſt: *cap. 1. ibidem.* culpa autem, ſi ſine Domini voluntate illud vendat: ideoq́ue feudum perdit. *cap. Miles. ibi.* Neq; enim de beneficio militis quiſquam poteſt permutationem facere: aliâs, factum infectum cenſebitur. *cap. Si quis. Quo tempore mil. inveſtit.* Vulgatum namque eſt, militem niſi de culpa convictum à poſſeſſione beneficij dejici non debere. Atque ſi ſuos Judices iniquè judicaſſe contendat, Principem adire debet, qui cauſſam ipſam terminabit: ac interim (quod maximum eſt privilegium) per ſeſquimenſem in beneficij poſſeſſione debet remanere. *cap. Sanximus. ult. ibidem.* Beneficium amittit miles, dum bellicis armis renuntiat, aſſumitq́ue vitam monaſticam. *De Vaſal. mil. qui bel. arm.* Relinquit enim militiam noſtram, ac in aliam, quæ cum feudis nihil habet conſortij, divertit. Quid enim Monachis cum ijs feudis, ſi originem, naturamq́ue ſpectes, commune eſt? Perdit item beneficium miles, ſi coram Domino tertiò vocatus non aſtiterit: ſi tamen ante abeuntem annum moram ſuam purgaverit, eidem poſſeſſio reſtituitur: alioquin non poſſeſſione tantùm, ſed & ipſo beneficio dejicietur. *De mil. Vaſal. Qui contum. eſt.* Amittet etiam Miles beneficium, ſi cum uxore Domini, filia, nepte, nuru, vel ſorore rem habeat, vel eas in adulterium ſolicitet: *ca. 1. §. Item qui. 2.*

verſ. Rurſus. *Quæ fuer. cau. beneſ. amitt.* ſi tamen ignorans cum Domini uxore rem haberet, excuſari poſſe crediderim: nullum enim nō excuſat ignorantia. *l. penult. ff. ad l. Iul. de adult.* Planè quibus ex cauſſis filij noſtri exhæredantur, matrimonia diſſolvuntur, revocantur donationes, ijs quoq; feuda amittuntur. *d. c. 1. §. Item qui. verſ. prædictis. Quæ fuer. cau. beneſ. amitt.* Sunt præterea quædam ingrati animi cauſſæ, quibus beneficium ſecundum mores ſolet adimi. *cap. 1. In quib. cau. feud. amitt.* Quo modo, notum eſt, Obertum de Orto filio ſuo Anſelmo reſcripſiſſe. Denique ſi de feudo militis ſit contentio inter Dominum, & Agnatum defuncti, Agnatus paternum, Dominus verò novum feudum contendat, Agnatus quidem in poſſeſſionem feudi mittendus eſt: poſteà de quæſtione cognoſcetur. Si utriq; probationes deſunt, Agnatis juramentum deferri debet. *cap. 1. Si de feudo fue. contro.* Hîc militis non pœnitendum eſt privilegium, ut filius militis, ſi de feudo lis oriatur contra filium Domini ſui, prior Miles ad juramentum vocetur. *cap 1. De uſi. Mediolan.* Pauca hæc attigiſſe ſatis ſit: volumus enim ea tantùm attingere, quæ & milites, & militiam, quam inſtituimus, aliqua ſaltem ex parte juvare poſſint.

Ca-

CAPUT XXI.

Fœdera, & Induciæ.

QUEMADMODUM apud nos non hominum tantùm, ſed & morum, rituumque longa eſt diverſitas, nec ubique uno voto vivitur: ita Majores noſtri varias fœderis ineundi rationes, ritusque nobis reliquerunt. Legimus enim, Græcos poſt Cyri minoris mortem, cum Ariëo Barbarorum Imperatore, Clearcho Duce, fœdus antiquo more iniiſſe. Mactatis videlicet ſuper ſcuto Tauro, Apro, Lupo, Ariete: Græci enſes in ſanguinem intingebant: Barbari verò haſtas: ac iſto more fidem, amicitiam, & ſocietatem ſeſe ſervaturos jurabant. *Xenophon lib. 2. de expedit. Cyri. mino.* Græci item, cum Macronibus populis, data utrinq; fide, ac Barbarica lancea Græcis data, Græca verò Barbaris, fœdus inierunt: Patrio namque ritu ita fœdera ſanciebant. *Ibid. lib. 4.* Reges Armeniæ, & Hyberiæ, quoties in ſocietatem, amicitiámve coeunt, implicant dextras, pollicesque inter ſe vinciunt, nodoque perſtringunt: mox ubi ſanguis in artus extremos ſeſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atq; invicem lambunt: arcanumq; id fœdus habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. *Cornel. Tacit. lib. 12.* Iſto etiam modo Hadingus apud Danos cum Liſero

quodam celebri pirata, pactionis jure, conciliatus fuisse legitur. *Saxo. lib. 1. historiæ Dano.* Dani namque amicitiarum pignus mutui cruoris comercio firmissimè constitutū existimant. Romanis autem prohibitum erat, ullum, Senatus, atque populi injussu, fœdus facere. *Salust. in Iugurth.* Nam ineundum erat ita: Intercedente Prætoris, vel Consulis autoritate, aut Senatusconsulto, Prætor verbenam ex Arce, & sagmina, ac lapidem silicem ex templo Jovis Feretrij dabat Fœciali: qui, Porca in foro adhibita, manu sceptrum tenens, pro Jovis simulachro, filo lanæ capite velatus, & verbena coronatus Jovem, Martem, cæterosque Deos obtestabatur, si quis fœdera violasset, ita illum Jupiter feriret, quemadmodum Porcam percuteret: inde silice Porcam feriebat, quæ, aqua, & igne adhibitis, immolabatur. Siquidem ut *Virgilius, 8. Aeneidos.*

Antiqui cæsa firmabant fœdera Porca.

Respondit autem Menippus Antiochi Regis Legatus Q. Quintio Consuli, anno ab Urbe condita quingentesimo sexagesimo primo, tria esse fœderum genera. Unum, cùm bello victis dicerentur leges: ubi enim omnia ei, qui armis plùs potest, dedita essent, quæ ex ijs haberet victor, quibus mulctari eos vellet, ipsius jus, atque arbitrium erat. Alterum, cùm pares bello, æquo fœdere in pacem, atque

que amicitiam venissent: tunc quippe repeti, reddique per conventionem res solebant. Et si quarum bello turbata possessio esset, eas aut ex æquo simul, aut ex formula Juris antiqui, aut partis utriusque commodo componebant. *Livius lib. 4. Decad. 4.* Ista ferè forma Octavius Cæsar, Antonius, & Pompejus, Julia Antonij, & Mutia Pompeji matre in hæc fœdera compellentibus, convenere. Ut bellum cœptum dissolveretur: negociatores liberè omni loco commeare possent: Pompejus, quas custodias in Italia haberet, educeret: Servos fugienteis non admitteret: Sardiniæ, Siciliæ, Corsicæque imperaret: Cæsar, & Antonius reliqua possiderent. Hæc autem conscripta, ac proprijs cujusque signis munita, Virginibus Vestalibus custodienda misere Romam. *Appian. lib. 5. De bel. civil.* Hoc exemplum isto loco adjecisse majorem in modum placet, tum ut mulierum congressu fœdus aliquando initum intelligamus: tum ut nominatim in memoriam revocemus Lodoicam Francisci Regis Christianissimi matrem, ac Margaretam Austriacam Caroli quinti Aviam Viduas sagacissimas, quæ ad Cameracum fœdus sanciverunt. Nec minore gloria dignæ, mea quidem sententia, sunt sorores Leonora Franciæ, & Maria Ungariæ Reginæ: quæ non decennaleis tantùm inducias,

sed

ſed pacem proximis diebus compoſuiſſe feruntur. Quam ſi in perpetuum trahere poſſumus, inſignem mulierum animum tanto tempore ad pacem intentum non abs re laudabimus, amabimus, deoſculabimur. Tertium poſtremò fœderum genus eſt, cùm, qui hoſtes nunquam fuerunt, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coeunt. Ii neque dicere, neque accipere leges, quando id Victoris, ac victi interſit, conſueverunt. Enimverò mos Tartarorum, dum fœdera ſanciunt, is eſt: *lib.4. Chronico.Polono.* Super frameas jurãt, & aquam ablutionis gladiorum, atque framearum epotant, verbaq; talia adjiciunt: Quicunque pacta, & fraternitatem violaverit, aut contra eam violandam inſurrexerit, vel aliquid intentaverit, à frameis incidendus, occidendusq; pereat, &, tanquam aqua, defluat, ac evaneſcat. Lacedæmonij quoq;, factis fœderibus, ita ſacramento graviſſimo jurabant, ſtaturos ſe in ſocietate ſecundum conventa juſtè, innocenter, & ſimpliciter, neque tranſgreſſuros ulla vel arte, vel machinatione: renovabantq; quotannis jusjurandum. *Thucyd. lib. 4. bell. Pelop.* Sunt ergo fœdera hujus generis, quæ, cùm communiter utroſq; aſtringant, ab utriſque etiam ex æquo, bonoque ſervanda ſunt. *Iſocrates in Panegyrico.* Induciæ Paulo Juriſconſulto ſunt, cùm in breve, & præſens tempus convenit, ne in-

ne invicem hostes sese lacessant. *l. Postliminium. §. Induciæ. ff. De Captivis, & postlim.* Varroni Inducię sunt, pax castrensis paucorum dierum, vel belli feriæ: veruntamen bellum manet, sed pugna cessat. *A. Gell. lib. 1. cap. 25.* Pactum igitur induciarum est hujusmodi, ut in diem certum non pugnetur, sed ex hoc die posteà uti jam pugnetur, ubi dies advenerit. Græcis ab abstinendis manibus ἐκεχειρία dicitur. Neque tamen paucorum tantùm dierum, sed & horarum, & multorum annorum factas inducias legimus. In Annalibus Quadrigarij scriptum est, L. Pontium Samnitem à Dictatore Romano sex horarum inducias postulasse. Secundæ item induciæ inter Romanos, & Carthaginenseis factæ per quinquaginta annos permanserunt, donec solutis ijs, tertium, & ultimum bellum cœptum est. *Appian. in Lybi.* Datæ sunt præterea Veientibus induciæ à Romanis in centum annos. *Livi. lib. 1. ab Vrbe cond.* Nemo itaq; miretur ijs temporibus à Francisco Rege nostro in decennium cum Carolo Imperatore initas inducias. Sint licet, dum Grammaticis ita visum est, paucorum dierum induciæ, constat tamen & multorum annorum fuisse. Factæ autem sunt primùm Induciæ, regnante Romulo, Sabinis, Duce Tatio, adversus Romanos bellum gerentibus. Tunc Romanæ mulieres Legationem obiverunt, ducente eas Hersilia: & congre-

gredientibus Regibus, pactiones de amicitia factæ sunt. *Dion. Halicarn. lib. 2. Antiq.* Induciarum tempus hoc ferè habet, ut hostes alteri cum alteris impunè colloqui possint, rerum omnium sit liber commeatus, huc, illucque meare, & remeare liceat. Ac propemodum eæ conditiones observari solent, quas inter Lacedæmones, & Athenienseis nono anno belli Peloponesiaci pactas novimus. *Thucydi. lib. 4. bell. Pelop.* Ut scilicet Caduceatoribus, atq; Legatis dissolvendi belli gratia, & controversiarum Athenas, vel in Peloponesum euntibus ac redeũtibus terra, mariq; fœdera essent. Transfugas intereà nõ recipi, neq; Liberum, neq; Servum. Alteros item alteris deferentibus caussas secundum Majorum instituta dicere, litemque, citra bellum, solvi judicio volebant. Quæ omnia ab æquitate haudquaquam recedunt. Atque ideò nemo eas Inducias non sanctas, piasque confitebitur, tum quòd à bello (per quod omnia prophanantur, bona rectaque pereunt, Justitia procul exulat) fit omnimoda cessatio: tum quòd paci justi, & boni conservatrici illæ multò sunt viciniores. Eam ob rem placere non potest Frothonis Danorum Regis adversus Sclavos bellum parantis Responsum, quamvis scitum sit, notatuque non indignum. Illud autem datum est Strumio Sclavorum Regi per Legatos inducias peten-

petenti. Quas ei denegavit Frotho, affirmans hostem inducijs nunquam instrui oportere. *Saxo hist. Danor. lib. 5.* Sed nos, tametsi ex inducijs aliqua perversa, iniquaque frequenter eveniant, non ea de caussa rejiciendas esse concedemus. Et sanè non injuria forsan aliquis putaret eas in Virtutum officijs sitas esse, cùm maximè mediũ quoddam inter bellum, & pacem existere videantur. Huic ego lubens assentior, patiorque vel in Fortitudinis officijs (quibus Vir fortis non omnia pericula subire debet, sed ea tantùm, quibus ob majus bonum fortissimè illi agendum est) contineri. Fatebimur etiam in Mansuetudinis officijs includi posse Inducias, cùm inter iracundiam, iracundiæque cessationem quædam mediocritas esse videantur. *Aristot. libr. 1. magno. Moral.* Adhæc non parvas iras tantùm, sed & magnas, atq; difficileis restinguunt, & benevolentiam, qua nos humani dicimur, facilè conciliant. Eam ob rem apud nos, dum Virtutes assequi contendimus, permitti non debet perversus ille mos Hunnorum, qui semper per Inducias infidi, ac inconstãtes esse consueverunt. *Ammia. Marcell. lib 31.* Ac ne is quidem Barbarorum, qui Mantinensium civitatem, jam sancita pace, depopulati sunt. *Isocrates in Paneg.* Neq; laudare possum Cleomenẽ Lacedæmonium: qui, cùm centũ, & triginta dierũ essent

pactæ

pactæ cum hoste Induciæ, noctu populabatur agros, quòd dierum essent, non noctium factæ Induciæ. *Plutar. in Apo. Laconicis.* Vitanda est enim hæc callida, & malitiosa juris interpretatio. *Cicer. Offic.* 1. Quicquid igitur ijs Inducijs promissum erit, id nō minùs ratum, firmumque manere debet, quàm si Pax esset inita. Aliàs ad arma reditur, à fide data receditur, bellaque majori cum furia resurgunt. Legitur namque Geysa Hungarorum Rex in Albam Bulgariæ oppidum exercitum duxisse, quia Hostibus Hungarorum, contra Induciarum conditiones, portas aperuissent, atque urbem, Hungara quadam Puella captiva ministrante, incendisse, & prædam asportasse non mediocrem. *Michael Ritius lib. 2. de Regib. Neapol.* Itaq; si nobis ipsis, ac utilitati publicæ studuerimus, cavendum erit, non tantùm ut infideles, ac irreligiosi non videamur, néve latum unguem à promissis, pactisque recedamus, sed etiam ne ab infida gente, populoque versipelli, si cum illo pactas habemus inducias, decipiamur. Cujus quidem rei Arthurus Britannorum Rex sapienter nos admonuit, qui Saxonum Legatos non solùm non audiebat, verùm à se longissimè reijciebat, quòd illi Pacem antè petentes, dolosè suos adorti, bellum commisissent. Is præterea Legatos, dum sæpiùs redirent, in Castris inter præsidia detineri jussit:

juſſit: dicens novas Legationes novis ſemper dolis munitas eſſe: ac tum inſtructam aciem in hoſtes movit. *Hector Boeth. lib. 9. hiſtor. Scotorum.* Hæc, ſi peritus Miles, Duxque ſtrenuus animadvertant, non citò fiet, ut vel facilè decipiantur, vel illis ſummo cū dedecore, & teterrima ignominiæ nota manifeſtè illudatur.

CAPUT XXII.

Oppignerationes, ſeu Repræſalia.

OPPIGNERATIONES Græcè ἐνεχυριασμοὺς appello: Vulgus Repræſalia vocat: purioris Linguæ homines poſt Hermolaum Barbarum Clarigationem appellari volunt: licet fortaſſe melius pro Perduellionis declaratione accipiatur. Ego rectiùs cum Budæo Androlepſiam appellavero. Sunt autem Oppignerationes, permiſſio recuperandi id, quod ab inimicis vi ablatum eſt, ſi priùs repetitum reddere noluerint, nulla facta differentia, ſintné ij, qui abſtulerunt, aut Cives noſtri, aut etiam Noſtrates: danturq; à Principe maximè, cùm res ablatæ, per Judicem recuperari nequeunt: aut tutum non eſt, coram Principe eorum, qui abſtulerunt, agere. Nos id literam Marquæ dicimus. Juriſconſultus contenderet, permiſſas non eſſe: conſtat enim, Juſtinianum Imperatorem pro-

 hibuiſſe,

hibuisse, ne personæ, vel rei, vel auri alterius pro alio oppignerationes fiant, sed oppigneratione læso quadruplum restitui: illiberales quidem (ut ait) & odiosæ sunt hujusmodi exactiones. *In Novel. Constitutio. 52. c. 1.* Idem scripsit Musonio Præfecto Urbis, prohibuitque, ne Provinciarum Præsides alios, pro ijs, qui deliquerunt, accipiant: néve quempiam alium è locis, unde ducunt originem ij, qui deliquerunt, aut prædijs eorum damnum inferāt, aut propter unum, qui deliquit, Oppignerationes faciant. *In Novel. Constitut. 134. §. Quia verò. 7.* Julianus Imperator sapienter cavit, ne quis propter nomen alienum molestiam, aut damnum patiatur. *l Providendum. 23. C. De Decur. libr. 10.* Fridericus Imperator noluit eis, qui studiorum caussa peregrinantur, ob alterius Provinciæ delictum damnum inferri: etiamsi perversa consuetudine nonnunquam factitatum extiterit. *Authent. Habita. §. Hac igitur. C. Ne fil. pro pat.* Gregorius Romanus Pontifex omnino prohibuit, Oppignerationes fieri: quæ cum graves sunt legibus, & æquitati naturali, tum aliquis, præter modum, facilè offenditur. *Cap. uni. de Iniurijs, & damn. da. lib. 6.* Verùm enimverò cùm aurea illa Saturni secula, quibus omnis rapacitas, furtum, bella, seditiones procùl aberant, longo jam tempore præterierint, non video, cur alijs non sit vivendum legibus,

atq;

atq; hodie Oppignerationes non Jure concedi possint. *Plato Dialog. De Regno.* Justitia sanè, quæ Cœlo delapsa est, eadem ubique regnare debet. Nam quod apud nos justum erit, in Italia, aut apud Barbaros injustum esse non potest: neq; justè quicquam fieri, aut si factum est, inultum esse patitur. Justum autem, quod in comparatione rationum situm est, nihil omninò discernit an pravo probus, probóve pravus quicquam detraxerit: sitné à pravo, probóve Viro commissum crimen. *Arist. Ethic. 5.* Justum prætereà ipsum cùm à Philosophis inter plus, & minus, medium constituatur, lucrum autem, & damnum plus sint, atq; minus, inter hæc duo medium quoddam emendativum justum esse, fateri oportet. Quapropter, si quis de damno illato queratur, ad Judicem, qui mediũ quoddam justum est, confugiens adversarium de damno illato accusabit. Fingamus si libet, ut est Oppignerationum natura, Judicem, qui est in Provincia Rei (Actor enim forum Rei sequitur) justum illud medium, quod inter lucrum, & damnum constituimus, vel producere, vel agnoscere nolle (favemus enim nonnunquam Nostratibus) quid tum facturum Actorem censeres? Is viciniorís Provinciæ Præsidem implorabit. Is alium Judicem, qui neutri faveat, consulet. Si deniq; latæ sententiæ Re⁹ parere renuat, quid

Actori faciundum? Illéne aut nocti aut diei, aut Soli, aut Lunæ miserias narrabit suas? erumpétne aliquando justum illud medium, quod ubique regnare prædicatur? Hîc dum per Recuperatores rebus nostris potiri non possumus, armata manu justum illud excitare, Principis Edicto nobis permittitur. Quis enim justi illius amans sic id labefactari, atq; in contrarium immutari pateretur? Pulchrè itaque sancitum est, iniquum non videri, si quid improbè factum est ab aliquo Civitatis, monito priùs Populo, ulcisci injurias, ac singulos Civitatis invadere: maximè si justum illud neglexerint. *Can. Dominus noster. 23. q. 2.* Idcirco injustum videri non potest, Gallis, quibus, dum navigarent, Lusitani vestem omnem abstulerunt, ac, dum illi coram Lusitano Judice sua repetunt, nullum locum relictum esse justitiæ vident, Oppignerationes à suo Principe concedi non in eos tantùm, qui vi abstulerunt, sed in singulos quosque Lusitanos, qui res repetitas aut restituere, aut per Judicem jure experiri volentibus restitui noluerunt. Horum si Rhadamanthus inexorabilis ille vir Judex existeret, justum hunc morem fateretur: qui inquit:

Si quis quid faciat, eadem patietur & ipse.
Iudicium rectum fuerit, vindictaque recta.

Sunt autē Oppignerationes hujusmodi non paucis abhinc diebus, ut Bartolus asserit, inventæ.

ventæ. Nos verò ab antiquo Fœcialium jure originem ſumpſiſſe credimus. Cùm enim Ancus Martius Rex declaratus eſſet, videretque Numam in pace religiones inſtituiſſe, ut bellicæ ceremoniæ à ſe proderentur, indicerenturq; bella aliquo ritu, jus deſcribi juſſit ab antiqua gente Aequicolis, quod tunc Fœciales habebant, quo res ab inimicis repetebantur. *Livius libr. 1. Decad. 1.* Legatus ad fines eorum, unde res repetebantur, ibat, ac ibi Jovem obteſtabatur, ne compotem Patriæ eum ſineret, ſi injuſtè, impieq; illas res dedi populo Romano expoſceret. Si non dabantur, quæ expoſcit, dieb⁹ triginta peractis (tot enim ſolennes erant) bellum indicebat, obteſtans Deos, Populum talem injuſtum eſſe, neq; jus perſolvere velle. Inde nuntius Romam ad conſulendum redibat, ac confeſtim Rex Patres conſulebat, quid cenſerent de ijs rebus, quas per talem Populum dari, fieri, ſolvi oportuit: eas tamen nec dederunt, nec fecerunt, nec ſolverunt. Tunc omnes puro, pioq; duello quærendas res cenſebant, bellumq; erat conſenſu fieri ſolitum: quod mox indicebatur per Fœciales. Iſto modo à Latinis repetitę ſunt res Romanorũ, ac indictum bellum. Quem morem Poſteri acceperunt: hinc quoq; Oppignerationes initium ſumpſiſſe puto: licet Barbarum vocabulum Repræſaliorum civitate Romana non ſit dona-

 tum.

tum. Romanos præterea produnt Historiæ aliquando graviter in Veliternos sævisse: qui, cùm veteres cives Romani essent, sæpiùs tamen rebellaverant. Ii trans Tiberim sunt missi habitatum: edictumque est, ut is, qui cis Tiberim deprahensus esset, non priùs, quàm ære persoluto, abiret, & usq; ad mille passuum erat. *Livius lib. 8. Decad. 1.* Eam Oppignerationum speciem nonnulli intelligunt. Carthaginenses etiam aliquando aggressi naviganteis deprædabantur: Romanos quoq; mari obruebant *Appianus in Libyco.* Romani autem, cùm pœnas ab illis exigerent, idq; differrent, bellum inter eos decrevere. Admonuit nos Budæus loci Demosthenis, quo Lex Draconis Atheniensium Legislatoris nobis declaratur, ut si quis violenta morte obierat, pro hoc Gentilibus & Cognatis Androlepsia esset, quoad judiciũ cædis, pœnasq; subirent, vel necis autores dederent. Mulcta autem erat Androlepsiam postulanti, vel ea potiùs utenti. Id quod ad Oppignerationes accedere videtur. Nos tãdem vetus illud Romanorum institutum insequentes, vidimus nonnunquam Oppignerationes concedi: ac, si benè memini, concessæ sunt paucis abhinc annis cuidam egregio viro cõtra Genuenseis: à quibus supellex ejus non vulgaris, dum Roma rediret, ablata erat: quã dum sæpiùs repeteret, illi negligebant.

Clarigatio

bant. Contingit prætereà, quendam Gallum ad Nummulariorum mensam Lugduni millia nummûm deposuisse: mox Argentarium, qui depositã habebat pecuniam, abscessisse, nullibiq; locorum repertũ. Gallus cum socijs mensæ jus sibi salvũ fore contendit. Contra hos dum coram Præside Florẽtiæ cœpit agere, is vel noluit, vel dissimulavit æquitati, ac justitiæ consulere. Quare Principem, neq; injuria, Oppignerationes concessisse vidimus. Non consueverunt autẽ dari, nisi priùs adito Judice adversarij, ac vel neglecta, vel denegata justitia. Neq; à ratione alienum existimet aliquis, istis casibus Oppignerationum, Gallos sibi jus dicere, utpote quibus Rex non consuevit Judices assignare alterutri partiũ faventeis, qui de Jure cognoscant: sed, monito adversario, ut dictum est, ipso statim in limine Oppignerationes concedit. Jura enim, cùm Judicis copia haberi non potest, aliquibus, propter urgentem necessitatem, jus sibi dicere permittunt. *l Ait Prætor. § Si debitorem. ff. Quæ in fraud. credit. cum similibus.* Quis prætereà Regem condemnabit, qui subditos suos vult ab omnibus injurijs quovis modo defendere? Etenim si quis ad propulsandas injurias convocare potest amicos, cur non & Principem in auxilium vocare poterit? *l. 3. §. Eum igitur. ff. De vi, & vi arma.* Princeps verò cur non suos modis omnibus defendere?

cur non Civium ſuorum jura ſarta, tectáve conſervare? cur non & libertati, & immunitati Populi ſtudere poterit? Romanus autem Pontifex, qui totius Orbis Imperium ſibi arrogat, Exteris conſuevit Judices minimè ſuſpectos dare. Quo modo noſtris temporibus à Clemente ſeptimo Avenionenſi cuidam ſuper jure Oppignerationis Epiſcopus Nicienſis datus eſt Judex cõtra Genuenſeis, qui res ejus Inſtitori cuidam abſtulerant. Veruntamen inter ſubditos nullibi conceduntur Oppignerationes, cùm Judicem habeant, coram quo de illata injuria poſſint conqueri. Quod Romanus Imperator Edicto prohibuiſſe legitur. Vult enim, coram Præſide Provinciæ unumquemque jus ſuum experiri. Hinc extat Juſtiniani Edictum: Si quis cum altero controverſiam habeat ſive de pecuniaria cauſſa, ſive quòd res mobiles, vel immobiles illi abreptæ ſint, priùs debet adire Præſidem Provinciæ: qui, ſi allegata audire differat, compelli debet ab Epiſcopo, qui ſecundùm leges vel agentem liberabit, vel ad Principem remittet. *In Novel. conſtit. 86. c. 1.* Reſcripſit autem Triboniano Quæſtori ſacri Palatii: Si quis adeat Imperatorem, dicens ſe Præſidem Provinciæ petiiſſe, neque, quod juſtum eſt, ab eo impetraſſe, Præſes punietur: ſi verò, non adito Præſide Provinciæ, Imperatorem acceſſerit, nullo jure illi dicto,

ad

ad Præsidem remittetur. *In Novel. constitut. 17. c. 3.* Accedit Neapolitana constitutio *de cultu pacis, titu. 17. & seq.* quæ in Regno prohibet fieri Oppignerationes, pœna adjecta proscriptionis partis mediæ bonorum. Neque in hoc Christianissimo Regno Regnicolis dari consueverunt. Possunt enim coram suis Judicibus agere, atq; suas res recipere. Si autem cum Extraneo agendum est, erit Oppignerationi locus: neque tunc dicemus officium Judicis, cujus copiam habere non possumus, implorari debere: sed potiùs manum, aut regiam Majestatem requiri. Quod maximè ad jus gentium accommodari videtur: manu enim Regis antiquitùs expediebantur omnia. *l. 2. in princ. ff. De orig. iur.* Neq; verum videri potest, Principem, vel Imperatorem denegaturum justum illud medium, quod quærimus. Nam Constantinus Imperator Andronico rescripsit: *l. unic. in fin.* C. *Quando Imperator inter Pupillos, & Vidu. cogno.* Si Pupilli, vel Viduæ, alijq; malè fortunati homines judicium Imperatoris oraverint, cùm alicujus potentiam perhorrescunt, ijs sui copiam non denegabit. In summa: si ab inimicis ablatæ res repetantur, ijque, qui abstulerunt, aut non facilè conveniri, aut si conveniri, eo tamen loco agendum est, quo periclitatur Justitia, ad Jus conservandum, Justitiamq;, quam velut Deam Majores nostri

 colue-

coluere, Oppignerationes, seu Repræsalia concedi dicimus: si priùs tamen liquidò cõstiterit, & res ablatas, &, dum ex æquo, bonoque repeterẽtur, denegatam justitiam. Quare qui erepta multis etiam pòst annis recuperare volunt, spectare debent, ne quid eorũ prætermittatur, quæ necessaria diximus.

Caput XXIII.

Bellum.

DE certandi præcipua sunt duo genera: unum per disceptationem: alterum per vim: illud quidem proprium Hominis, hoc Beluarum. Confugiendum autem nobis esse videtur ad posterius, si non licet uti superiore. Quare suscipienda quandoque bella sunt vel eam ob caussam, ut sine injuria (quod jus commune est gentium *l. Ex hoc iure. ff. De iustit. & iure.*) in pace vivatur. Ac primùm nemo planè est, qui non fateatur, arma non homini tantùm, sed & cunctis animantibus à Natura data esse, ut sua omnia, adeoq; corpus ipsum tueantur, ac inimicos tum à se, tum à suis propellere discant: imò verò priùs quàm didicerint, & parata arma habeant, ad bellum quodam modo nata videantur. Vitulus enim cornu petit, nondum productis cornibus: Pullus equinus ungulis necdum solidis calcitrat: Catulus, etsi dentes soli-

ſolidos non habeat, ad mordendum tamen incitatur. Homo autem, quem rerum parens Natura cæteris animantibus fecit imbecilliorem, ſi virtutibus excolatur, non ſolùm aliqua ſui parte, ſed totis nervis, manibus, pedibusque inimicis reſiſtendum ducet. Etenim pueros iraſci, calcitrare, mordere videmus, dum vincere prorſus, ac ſuperiores evadere contendunt. Idem quoque pleraque animalia factitant, nullo, præter victoriam, propoſito præmio. Qua de cauſſa & civitas contra civitatem, oppidum contra villam, ipſique homines inter ſe maxima bella confecerunt: ſinguli quoque viri ſecum diſſentire, atque pugnare mihi videntur. Nam ut membrorum, ita & affectuum invicem quædam eſt pugna: in qua id unum vel pulcherrimum ducimus, tum ſibi dominari, tum ſeipſum vincere. Itaque cùm homo contra ſeipſum, adverſus proximum, civitas cum civitate bella gerant, bonaque eorum, qui victi ſunt, ad eos transferantur, qui victoriam adepti fuerint, ſive de honoribus, ſive de Imperio certamen ſit, nihil penitus utilitatis in reliquis officijs hominum poſitum exiſtimavi, niſi quis bello, armisque eſſet ſuperior. Cùm Romani in Romanos inſurgebant, quòd natura amici eſſent, dicebatur Roma morbo quodam laborare, & ſeditionibus agitari: Neque has inimicitias bellum, ſed

ſed ſeditionem vocabant. Cùm autem Barbari contra illos, illíve contra Barbaros pugnabant, bellum geri exiſtimabatur. Ideoq; hos natura hoſtes, atque has inimicitias bellum vocabimus. *Plato Dialog. 5. De Republica.* Tyrteus Athenienſis Poëta apud Lacedæmones laudavit viros, qui ſtrenuè adverſus exteras nationes pugnaſſent. *Idem libro 1. De Legibus.* Theognis autem Siculus Poëta eos, qui ſe conſtanteis, fidos, forteisque tempore ſeditionis exhibuerant, magnis efferebat laudibus. Ego hîc agere non inſtitui, utri præſtantiores cenſendi ſint, tum quòd Antiquis Philoſophis id genus belli gravius fuiſſe videtur, quo Juſtitia, Temperantia, Fortitudineque Prudentiæ junctis ſuperiores evadimus, quàm quo ipſa ſola Fortitudine: tum quòd de ſeditionibus alio loco nonnihil tractatum eſt. Atque ut hoc loco nobis probandum eſt, æquum, bonumque eſſe, bella ſuſcipi: ita & hujuſmodi ſeditiones prorſum rejicere contendimus: cùm maximè Cives Judicem habeant vel pro Conſule, vel pro Prætore: coram quo de illata injuria conquerantur: tum quòd perfecto Reipublicæ ſtatu nullum pernicioſius malum, nullumq; majus periculum acceſſurum eſt. Eam ob rem Juſtinianus *In Novel. Conſtit. 85.* quantũ poterat inter ſubditos temerarias pugnas cohibuiſſe, & ſeditiones caſtigaſſe commemoratur: & ea

omnia,

omnia, quæ bellorum civilium calamitas in Urbem invexerat, sapienter ejecisse. *l. 1. C. De cadu. tollen in princ.* Hæc bella si quis vel justa, vel necessaria dixerit, ipsi veritati palàm, rationique obversatur. Ea autem, quæ adversus hostes geruntur, ex æquo, non præter rationem, confici, fatendum est. Dicat aliquis, non licere cum alterius incommodo suum augere commodum. Ac sive de Imperio certetur, & gloria, ut cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho Romani decertarunt: sive cùm uter sit, non uter imperet, veluti cum Celtiberis, & Cymbris pugnatum est, oportet tamen subesse justas caussas bellorum, quas ne hostes quidem ipsi usquam aliqua de caussa improbaturi censeantur. Si illatam injuriam, si bona ablata, si famam, si honorem illos læsisse contendas, quî fiet, ut id ipsum hostes fateantur? quî fiet, ut eos aliquid præter rationem egisse, illis ipsis persuadeas? At cùm docuerimus, nullam servitutem præter Naturam esse, ac ut quosdam Natura Servos, quosdam verò Dominos constituerimus, ita illos servire, hos autem dominari sit necessarium, bella necessaria esse, vel invitis nobis fatendum est: tum ut in servitutem adigantur, quos servire oportet: tum ut ijs, qui servire digni sunt, legitimè dominemur. *Aristot. Politicor. 7.* Prætereà quantis viribus conandum sit, ne servire compellantur

tur ii, qui nati ſunt ad Imperium, nemo ferè eſt, qui non videat. Accedit Subjectorum utilitas; honores perpetui, quibus nobiliora aluntur ingenia: perennis rerum benè, fortiterque geſtarum memoria, quam nemo probus, prudensque non magnifaciet. Neque verò prætermittenda eſt, vel negligenda maxima Juvenum ad Virtutem exercitatio. Quæ ſola Romanum movit exercitum in Carthaginem, ne ſcilicet ocio, & voluptatibus tam benè nata Juventus marceſceret. Bella ſiquidem homines juſtos, ac temperatos eſſe compellunt. Accuſent Lacedæmonij, quantum illis placet, Pauſaniam, quòd vincere tantùm, ac finitimis dominari docuerit. Hunc Lycurgo, ejúsve legibus ne in minima quidem parte conferant. *Cicero Offic. 1.* Iſto tamen Duce, opes eorum auctæ, Virtus ubique prædicata, Imperium non mediocriter dilatatum eſt. Ea propter non poſſum non ſummoperè commendare eam Legislatoris mentem, qui omnia ad potentiam, & bellum direxerit: Neque video, cur non meritò laudare poſſim Lycurgum, & Minoëm, qui Lacedæmonijs, ac Cretenſibus leges tulerunt, ſic eas conſcribentes, ut ad bella tantùm modò reſpicerent. *Plato libro 1 de Legib.* Quaſi verò cæterarum rerum nulla eſſet utilitas, non poſſeſſionum, non artium, niſi quis bello ſuperet: cùm bona victo-

victorum ilicò ad victores transeant. Præterea si bella omnia geri pacis tantùm gratia Antiqui Philosophi censuerunt, quis eum Legislatorem improbabit, qui, concordiæ gratia, leges suas ad bellum composuerit? Nempe si vitam nostram cum Sapientibus in negocium, & ocium, pacemque & bellum diviseris, ut negocium gratia ocij, ita bellum gratia pacis necessarium duces. Sic demum leges gratia pacis de bello potiùs, quàm de pace belli gratia, conscribẽdas censeo. Condemnabitne aliquis Majores nostros, qui belli caussa convivandi legem tulerunt? At, custodiæ caussa omneis simul convivari, ac velut in unam cogi militiam, utile credendum est. Hinc Paulus Aemylius dicere solebat, ejusdem esse animi, & aciem, & conviviũ benè struere. *Plutarch. in vita Aemylij.* Hic tandem vereor, ne plures hæc à nobis tantoperè laudata bella rejiciant cum multis de caussis, tum potissimè propter ea incommoda, quæ è bellis in universum Orbem influere perspicimus. At ego plerosque novi, qui à bellis ingentem fortunam nacti sunt: multos item præsentibus bonis, omnique fortuna propter pacem spoliatos. Nulla enim res vel bona est, vel mala: sed ut quisque occasionibus utitur, ita necesse est, res omneis vario ordine succedere. Amyntas Macedonum Rex à Barbaris finitimis bello victus,

victus, ac tota Macedonia privatus, modico agello occupato, ac ibidem accersito præsidio maluit belligerare, quàm pacem cum Barbaris componere: sicque intra trimestre totam Macedoniam recuperavit. *Isocrates in Archidamo.* Dionysius à Carchedonijs obsidione cinctus potius duxit, belli fortunam experiri, quàm pacem ab eis petere, aut fuga sibi salutem quærere, ac ita forti animo multos illorum Myriades perdidit. Laudemus itaq; bella, quæ id præsertim spectant, ut pacem & cum subditis (quod prudentis Reipublicæ Gubernatoris est officium) & cum Barbaris (quæ Virtutis est perfectio) haud dubiè constituant. Eam ob rem à Romanis illa publicè indicebantur: eratque belli æquitas sanctissimo Fœciali Populi Romani jure præscripta. *l. Hostes. ff de Capt. & postlimin.* Ex quo intelligi potest, nullum bellum justum fuisse, nisi quod aut rebus repetitis gereretur, aut denuntiatum antè esset, & indictum. Nam Fœcialibus prohibentibus, aut minùs approbantibus neque militi fas est, neque Romanorum Regi, arma movere: sed ab ijs initium belli sumendum erat. *Plutarchus in vita Numæ.* Ideoque Imperatores, Ducesque exercituum diligenter animadvertere debent, ne quod bellum temerè ab eis suscipiatur: ne, re nondum satis perspecta, hostes adoriantur: ne quid inconsultò, néve teme-

temerè fiat. Illi verò prudenter quidem facient, si à Trajano exemplum sumpserint: qui sanè belli tantùm & avidus, & studiosus erat, ut acceptas clades emendaret, exultanteis hostes compesceret, impetus illorum reprimeret, &, si qui rebellassent, eos armis ad obsequium compelleret. *Dion. Cassius in vita Traiani.* Accedat adhæc aliud exemplum memorabile Octaviani Augusti, qui bellum omninò suscipiendum negabat, nisi major emolumenti spes, quàm damni metus, ostenderetur. *Tranquill. in Octaviano.* Etenim minima commoda non minimo discrimine sectantes, similes sunt aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensari possit. Ita procedente Imperatore, seu Domino in hostes Vasallus, quem diximus, ei comes adesse, hunc juvare, & totis viribus auxiliũ pręstare debet. *Cap. Domino. Hic finitur lex. in usibus feud.* Quid debere, inquies, cogétne me aliquis vel in patens periculum descendere, vel aperto Marte cum inimicis jure, vel injuria præliari? Quorsum hæc? in nefas omne ruere? sursum, deorsumque omnia uno Principis nutu vertere? demum nescire, dempta una Principis voluntate, quid facias? cur in aciem prodeas? unius arbitrio tot mala, tot calamitates, tantas ærumnas populo, civitatibus, villis impendêre? Veruntamen cùm necessaria bella suprà

satis, superque probaverimus, tum fieri nequit, ut solus Princeps, pede collato cum hostibus, dimicet, punctim, cæsimque feriat, hortetur, consulat, imperet ipse, militibus carens, & exercitu. Fateamur itaque bella gerenda esse: item Imperatorem cum armata hominum manu in hostes prodire oportere. Sequentúrne eum exteræ Nationes? Gens ignota? Barbari homines potiùs, quàm illi, quibuscum vivit? quibus dominatur? quibus præesse novit, & imperare? Prorsus pluribus collatis beneficijs, ut devinctiores eos reddimus, quibus conferuntur, ita in reddendis, ac referenda gratia paratiores futuros non dubitamus. Ergo si ibi locata sunt beneficia, ubi fructum demetere debeas, quid tandem à Vasallo, aut, si mavis, Cliente certius speres, quàm ejus sementis fructum uberrimum, quem seminaveris? Quis, quæso, collatorum beneficiorum fructus? quod memoris beneficij specimen, si Principem neque viribus, neque opibus juvemus, promoveamus, augeamus? Ea mehercule est Principum expectatio, eò spectant collata beneficia, eam ob caussam illi nos devinciũt, non ut encomijs eos laudemus, vel præconijs nostris in cœlum usq; evehantur, sed ut, insistentibus, vel irruentibus hostibus, sequamur eos, quòcunque proficiscantur: nervis omnibus tueamur, ac beneficiorum

non

non immemores aliqua ſaltem in parte, dum parem gratiam referre non valemus, illis pro virili præſto ſimus. Hanc ob cauſſam, jure mihi condemnaſſe videtur Conradus Imperator eos Vaſallos (ut ajunt) milites, qui eum ad bellum proficiſcentem non conſectati erant. *Titu. De cap. Conradi. §. Similiter, in uſibus feudorum.* Is poſteà, ne quis Imperatoris animum prorſus ignorare ſe jactaret, publicum Edictum ad id propoſuit, quod tandem in tota Inſubria proclamatum nulli potuit non innoteſcere. Hoc etiam modo, ingruentibus in Regnum hoc Chriſtianiſſimum hoſtibus, quando edicto Regis Nobiles, quotquot ſunt, vocantur ad arma, nefas eſt cuilibet, non adeſſe. Id nos Bannum, & Arribannum vocamus. Nam præter id, quòd torpeſcens Nobilitas cogitur ad Virtutis exercitationem, tum beneficia aliquo ſaltem munere reſarcire, & Imperatorem ipſum, Ducemque cum Patria, Conjugibus, Liberis, denique cum nobis ipſis protegere, & ab hoſtili incurſu defendere debemus. Quando autem illis debitas gratias ſic reddimus, id planè conſequimur, ut nos immortalibus honoribus proſequantur, reliquis ſemper multo, longeque præcellere exiſtiment, & collata à nobis beneficia nulla prorſus oblivione deleri intelligamus. Illud enim omnibus perſpicuum eſt, eorum perpetuam fore

memoriam, per quæ in calamitatibus Reipublicæ, consulitur, & quibus videmur officio nostro, fidelitate, nobis denique digna præstare. Itaque sit id omnibus persuasum, bellum ijs, quas modò demonstravimus, caussis jure, legitimeque suscipi.

Caput XXIV.

Duellum, seu Monomachia.

Antiqui bellum duellum vocabant: & qui nunc hostes, olim perduelles, seu perduelliones appellabantur. *l. Quos nos. 234. ff. De verb. signif.* Nos autem perduellionis reum eum dicimus, qui hostili animo adversus Rempublicam, vel Principem incensus est. *l. fi. ff. Ad l. Iuliam Maiesta.* Veruntamen etsi duellum dicamus bellum inter duos Principes, significat tamẽ & monomachiam, hoc est, unius pugnam adversus alterum. Ita enim Jurisconsulti vocant, quòd duorum pugna sit ad veritatis probationem. Nam deficientibus probationibus, si non potest aliter facti veritas reperiri, res ipsa duello decîdi debet. Hîc primùm dubitari potest, sitné permissum duellum. Certè quidem Decretis Pontificum omnis Monomachia Christianis est prohibita. *c. Monomachiam. 2. q. 5.* Et sanè nemo debet, quamvis vel maxima illata injuria, proximum offendere, ac multò etiã minùs

minùs occidere. Etenim viventia omnia, quæ vel ſenſu carent, vel ratione ipſa, ſuæ ſpeciei quodam modo conſervationem appetunt. At verò ſi teneamus cum Philoſophis, in vita nullum eſſe majus malum turpitudine, non certè facilè patiemur, aut cum deformitate corporis nos offendi, aut maximè deturpato animo fœdari, vel depravari. Quis autem Miles, ſi modò militiæ nomine dignus cenſetur, feret æquo protinus animo, ſplendorem vitæ maculis aſpergi, honorem ſuum ubique traduci, nomen infamiæ notis inuri, quas nemo non modò nomine, ſed ne ſuſpicione quidem poſſit agnoſcere? Fingamus Cajum, de cujus probitate, religione, integritate nemo planè dubitet, in homicidij, vel adulterij crimen vocari (quod tamen non liquet, neq; verum eſſe conſtat) patietúrne, ſi vir fortis eſt, nomen ſuum maculis affici? quarum etſi Veritas probari nequeat, tamen fortitudini hominis non modicum detrahunt. Pulchrè profectò Stoici Fortitudinem definiunt virtutem eſſe propugnantem pro æquitate. *Cicero Offic. 1.* Putáſne paſſurum Achillem æquo animo id, quod apud Homerum ait de ſe Diomedes?

Inter Troianos dicet fortiſſimus Hector:
Titydes metuens, puppes confugit ad altas.

At cùm Cives in jurgijs opprobria, honoríſve pericula ſubeunt, civilis eſt fortitudo: *Ariſtote-*

ſtoteles Ethicorum 3. ac ea forſitan cauſſa

---- Bellum incidit inter
Hectora Priamidem, animoſum atq; inter Achillem.
Ira fuit capitalis: ut ultima divideret mors.
Non aliam ob cauſſam, niſi quòd Virtus in utroq;
Summa fuit. Horat. lib. 1. Sermo. Satyr. 7.

Itaque ſi eos forteis dicimus, non qui patiuntur, ſed qui propulſant injurias, cur, quæſo, non laudabimus Marcellos, Torquatos, Corvinos, qui provocanteis hoſtes magna ſua, ſuorumque Civium gloria proſtraverunt? Publium Scipionem, qui poſteà eſt cognominatus Africanus, laudant multi, quòd in Hiſpania Barbarum provocantem ſingulari certamine occiderit. *Eutropius lib. 4. de geſtis Romanor.* Alexander Macedo ad Granicam pugnam Spithrobatem quendam Præfectum Joniæ genere Perſam ſingulari certamine, lancea una per medium pectus transfixa, atq; alia ſubinde in faciem diducta, occîdit. *Diodor. Sicul. lib. de Geſt. Alexand.* Idem cum Poro Indorum Rege in certamen ſingulare deſcendit. Pyrrhus item cum Panthaco. Cenſebant namque, turpiſſimum eſſe militi, ab hoſte provocari, & pugnam detrectare. Hinc apud Saxones ſumma ignominia afficiebatur, qui evocatus ad duellum, pugnam detrectaſſet. *Alber. Krantz. lib. 1. hiſtor. Saxoniæ.* Quæ res effecit, ut Hundingus Saxonum Rex à Roe Danorum Rege provocatus

tus recusare certamen noluerit, quo tamen Victor evasit Danorum Rex, coactiq́ue sunt Saxones Jutia urbe decedere: ita enim uterque exercitus convenerat, atq́ue hoc casu utrinque præliandi copiam fecerant. Eam ob rem facere non possunt Historiographi, quin condemnent ignominiæ, aut aliqua saltem in parte notam inurant Ferdinando Davalo Aterni (quod nunc Piscaria dicitur) Marchioni, qui ob violatam in deditione Comensi fidem, ad singulare certamen à Joanne Cabaneo strenuo milite, ac generoso Gallo provocatus, non modò non congredi, sed ne respondere quidem fuit ausus. *Galeat. Capel. lib. 2. De reb. gest. pro Duce Medtolan.* Eadem pariter ignominia Petrus Arragonum Rex notandus jure videretur, nisi varij essent Historiographi. Hunc cùm Carolus Andium Dux Lodoici Octavi Francorum Regis frater, qui & à Neapolitanis Carolus primus Rex vocatur, ex obsidione Messanæ in Italiam se recipiens, ad singularem pugnam provocasset, dictusq́ue esset locus ab Angliæ Rege, qui utrique affinis erat, apud Burdegalam, statuto die non affuit. *Michael Ritius lib. 3. De Regib. Neapol.* Eum autem, si ad constitutum diem non affuit, recusasse certamẽ, eaq; de caussa ignominia notari fatebimur. Noverũt quippe omnes, in fortis viri officio sitũ esse, honoris gratia fugere vituperiũ, potiusq;

mortem oppetere, quàm turpitudine aliqua deformari velle. Hinc à Magiſtratibus cogimur pugnam capeſſere, & duello inquirere veritatem. Verùm iſta pars civilis Fortitudinis non æquè laudabilis cenſetur, atque ea, de qua paulò antè diximus: *Ariſtot. Ethicor. 3.* utpote qua cogantur homines à Magiſtratibus non pudore, ſed metu, non ut vituperium evitent, ſed pœnam, non rem turpem, ſed moleſtam fugientes. Quo modo Homerus inducit Hectora loquentem:

Si procul à pugna trepidantem videro quemquam,
Ille Canum fiet, fiet quoque Vulturis eſca.

Verùm enimverò hanc quoq; partem Fortitudinis officia complectuntur, neq; abſque ratione Principes in Italia, & in Gallijs duella præcipiunt, adjecta cum dedecore non vulgari pœna, ſi quis vel certamen recuſarit, diſtuleritve: vel victus ſit duello. Agedum, dicet aliquis, in tantis injurijs, tantaque hominum impudentia tolerantiam animi pulchrum quiddam, ſpecioſumque videri. Adhæc, fortem Virum, niſi virtus, niſi conſilium, niſi æquitas eidem deſint cum Prudentia virtutum omnium communi nexu, quaſcunque vel maximas injurias pati, ac tolerare debere: Atqui ſi tolerantia ipſa, conſtantiaque fortitudo eſſet, nō in ijs tantùm, quæ damnoſa, noxiaque ſunt tum vitæ, tum nomini, viri fortis officiū verſaretur, ſed etiam tole-

tolerantem virum, cui cum armata manu, fortique præsidio adversus debiliores dimicandum esset, fortiorem eo, qui in contrario exercitu pari modo constat sibi, ac tolerat, sine dubio censeremus. *Plato Dialog. de Fortitudine.* Hujus tamen est multò minus, quàm illius, cauta, & imprudens patientia. Quam ob rem viri fortis officium est, duellum potiùs suscipere, per quod familiæ laus, generi memoria, nomini decus, & gloria constituta est, quàm maledici convitiatoris maledictum aliquod è trivio, aut scurrili dicacitate patientem, pusilli animi vitio redargui, & perpetua notari infamia. Accedit eò Deus Optimus Maximus, quem velut veritatis, æquique Judicem pugnantes in duello sibi constituunt. Quis enim meliùs novit, sitné hujus, an illius caussa potior? Vísne in ea caussa, de qua per testes, per probationes nihil liquet, synceriorem, certioremque Judicem? At eum ipsum, qui duello vincit, Deo autore vicisse, nemo prorsus est, qui non fateatur. Atq; quemadmodum Diocletianus, & Maximianus Augusti sanciverũt Judicem, si inopia probationum laborat, caussa cognita, jurejurando res decidere: contemptæ autem religionis jurisjurandi fide violata solus Deus ultor cõstituitur: *l. 2, & 3. C. de Reb. cred.* ita & Deum ultorem, & Judicẽ duello statuere, si res non potest per homines, deficientibus

probationibus, judicari, sanctum sanè, & religiosum videtur. Adhæc in actione injuriarũ, nihil præterea agitur, quàm ut res vindicetur, non etiam ut damnum sarciatur: *l. Prætor edixit. 7. §. 1. vers. Quid ergò. ff. De iniuriis.* quo modo autẽ satius poterit, quàm Deo ultore, vindicari? Igitur pulcherrimè sancitum esse censemus, nemini licere occidere Hominem tempore pacis, nisi duello. *§. Si quis. & §. Si quis alium. De pace tenenda, in usibus Feudorum.* Atq; ob eam caussam Frotho Danorum Rex legem tulisse memoratur, ut omnis controversia, aut lis ferro decerneretur. *Saxo libr. 5. historiæ Dano.* Existimabat enim speciosius esse, viribus, quibus nos Deus, & Natura dotaverunt, quàm verbis, confligere. Veruntamen non in omnibus casibus Principes consueverunt duella permittere. Nam Regni Neapolitani constitutionibus *titu. 32. De pugnis subla. & seq.* in crimine tantùm læsæ Majestatis, vel morte clandestina per venenũ, aut alio quovis modo illata duellũ conceditur: auferturq; Campanis omnis alio casu facta monomachia, quam illi à Francis, qui sese, suaq; omnia tali Fortunæ committebant, in Regnum suum inductam asserunt. Apud Longobardos in viginti, aut pluribus casibus permittitur: quos ex eorum legibus quilibet potest excerpere. Nos nostra tantùm tetigisse, satis sit. Apud nos quamvis perrarò, tamen in tribus casi-

casibus Reges Christianissimi soliti sunt inducere duella. In crimine læsæ Majestatis: in homicidio: & quando Uxores adulterij crimine accusantur. In hoc postremo casu, Maritus Uxoris vicem subire debet. Siquidem injuria Uxori facta, Marito quoq; facta videtur. *l.1.§.Item aut. & §.fin.ff.De iniur.* Neque tantummodò Uxori facta injuria, sed & ea, quæ ijs fit, qui vel potestati nostræ, vel affectui subjecti sunt, ad nos spectare videtur. *d. l. 2. Eod.* Veruntamen non ob quamlibet injuriam præcipi, imponive onus duelli consuevit: licet nihil prorsus repugnet, quoslibet quacunq; de caussa ob acceptas injurias voluntariũ duellum suscipere. Quibus autem modis facta esse dicatur injuria, hoc loco tractare, non est nostrum propositum. Accedit & quartus casus, videlicet cùm quis accusatur, quòd cum catamitis pueris prædicatus sit, & præpostera libidine contra naturam turpiter usus. Quem casum scimus temporibus Caroli septimi, & nostris etiam decisum esse: adeoq; rem ipsam in procinctu inter quosdam nostrates nobileis esse audimus. Nominatis quatuor his duelli caussis, nos quatuor necessaria esse, priùs quàm duellũ præcipiatur, admonemus: quæ Philippus Francorum Rex Christianissim⁹ anno à Christo carne tecto Millesimo trecẽtesimo sexto statuit. Quæ cuivis Judici (si æquitatis, rationisq; studiosus vult

vult haberi) ſunt diligenter annotanda, & obſervanda. Imprimis oportet rem, quæ in controverſiam venit, pœnæ mortis eſſe ſubjectam. Nam quo pacto cum ex æquo, bonoque in mortis periculum injicias, quem, etiamſi apertè crimen conſtaret, morte dignum minimè cenſeres? Et verò ſi cui pars corporis, ſeu membrum ob admiſſum ſcelus Jure amputari debet, recténe faciet is, qui totum corpus mulctare non dubitarit? At ſine periculo vitæ, qua totius corporis compago firmatur, nemo duello decertare poteſt. Secundo loco neceſſe eſt proponere, crimen tale clam omnibus eſſe commiſſum, neq; per teſtes, alitérve ſatis probari poſſe. Etenim ſi in promptu ſunt probationes, nihil eſt, quòd Judex dubitet vel abſolvere Reum, vel condemnare. Deinde oportet eum, qui provocatur, ſuſpectum eſſe per indicia, & veriſimileis probationes. Atq; ideò apud Scotos, Ethodij Regis temporibus, prohibitum legimus, coram Magiſtratu eum armis, aut armorum provocatione defendere, quem ſola fama criminis condemnaſſet. *Hector Boeth. lib. 5. hiſtoriæ Scotor.* Neq; enim in tanto vitæ diſcrimine è fama, quæ plerumque mendax eſſe ſolet, ſed ex veriſimili ſaltem conjectura, ac (ut volunt) ſemiplena probatione Judicium facimus. Poſtremò neceſſe eſt, verum eſſe, rem, de qua agitur,

conti-

contigiſſe. Siquidem niſi conſtet crimen, non oportet quæſtionem fieri, cùm id liquere debeat. *l. 1. §. Item illud. 24. ff: Ad Syllanianum.* Adhæc Prætor edixit: Qui agit injuriarum, certum dicat, quid injuriæ factum ſit: *l. Prætor edixit. ff. de Iniurijs.* hoc eſt nomen injuriæ, neq; ſub alternatione, puta illud, aut illud, ſe paſſum eſſe. Porrò Philippus Rex prudentiſſimus, ne quid poſteri in committendo duello addubitarent, hunc morem ſervari voluit, quem ob oculos omnibus ponimus. Is autem tam duellis, quæ à Principibus præcipi ſolent, quàm voluntarijs, convenit. Cùm itaque in omni Judicio tres perſonæ ſint, Actor, Reus, & Judex: primùm, quæ ſint Actoris, deinde Rei, demum Judicis partes, nobis hoc loco dicendum eſt. Actorem igitur, à quo omnia Judicia ſumunt exordium, proponere oportet, Reum feciſſe, vel fieri curaſſe tale crimen. Neq; tamen cogendus eſt vel ipſo ſaltem nomine declarare, quis id crimen commiſerit. Etenim injuriam facit tum is, qui mandavit, tum etiam, qui perſuaſit, veluti ſi feciſſet. *L. Non ſolùm. ff. Eod.* Inde non tantùm locum illatæ injuriæ, ſed etiam horam, & diem prænotare debet. Quia (ut ait Ulpianus *d. l. Prætor edixit. Eod.*) qui famoſam actionem intendit, nō debet vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis. Poſtmodum aſſerere debet, id crimen per teſtes probari

bari non posse, petereque, ut per Principem sibi liceat facti veritatem duello experiri, & honori suo, famæque consulere. Nam bonis viris non minor debet esse metus infamiæ, quàm mortis. *l. Isti quidem. §. 2. ff. Quod metus caussa.* Reus autem contrà respondeat, se commissi criminis falsò insimulari, illatamq; injuriam pari pœna sarciri postulet, quam, probato crimine, jure ipso pateretur: & Actorē (non tamen sine præfatione honoris Regij) mendacem appellet, atque duello, si ita Principi visum fuerit, sese offerat. Tum Princeps posteà locum duello assignare, diemque utrique præfigere consuevit. Ita locus apud nos per Principem assignatur: in Italia verò per Provocantem tria loca solent annotari: quorum unum Provocatus ad duellum eligere cogitur. Tum à Domino illius loci experiundi potestas petenda est. Rursus in Italia dies non præfigitur à Principe, sed Reus, & Actor missis hinc, & inde Libellis eum præfigunt: quo si alter non præsens adfuerit, non tantùm perpetua ignominia afficietur, sed & crimen impositum fateri censebitur. Reges tamen Gallorum Christianissimi locum, & diem præsignare consueverunt. Quæ sanè consuetudo mea sententia fluxit ab Alexandro Macedone, qui Dioxippo Atheniensi, & Corago quodam Macedone pugnā singularem inire volentibus diem certaminis

nis ſtatuit, & locum, in quem plures convenere: victorque Dioxippus corona à ſuis donatus eſt. *Diod. Sicul. lib. de Geſtis Alexand.* Itaque die dicta Actor, & Reus ſeſe affuturos promittunt, indiciturque duellum: neq; poſteà ſine pœna convicti criminis à promiſſo recedere poſſunt. Exin deſignatus locus in orbem trabibus, ſepibus, funibúſve clauditur: cujus ſi utervis gyrum pugnando exceſſerit, victus cenſebitur. Legimus namq; apud Danos ſtatutum fuiſſe, ut, ſi utervis duello dimicantiũ pede relato prænotati Orbis, vel circuli lineas prætergrederetur, perinde quaſi victus cauſſa caderet. *Saxo lib. 5. hiſt. Dano.* Deinde in hoc Circulo locũ Actoris ad Principis dextram, Rei verò ad ſiniſtram cõſtituimus. Et utriq; Patrõos, aut, ſi ita vocari mavis, Auxiliatores, vel Fautores Patres adhibemus: quod tamẽ nõ memini Antiquos obſervaſſe. Ideoq; præter duellorũ rationem id inventũ, non ægrè fatebor: veluti & alius, qui adjungi ſolet, quem campi Magiſtrũ vulgò vocamus: niſi fortè iſte loco Judicis haberi poſſit. Præter iſtos, nemini prorſus permittitur præſignatum locũ intrare, & quotquot amici, parentesq; vel Reũ, vel Actorẽ conſectati ſunt, ſecedere oportet. Veruntamen ex Hiſpanorũ more, illis non ſolet eſſe prohibitus aditus, qui aliâs ſingulari certamine victores extiterũt. Inde Tubicẽ proclamare ſolet, omnibus edi-

edicto Regio prohiberi, ne arma ferant: eos tamen excipio, qui prænotatum locum ingrediuntur. Item ne quis dictum locum intrare audeat. Et adijcit pœnam confiscationis bonorum, & corporis. Prætereà ut sedeant omnes in Subsellijs, sintque quieti: eorũ nemo tussiat, nemo spuat, nemo quicquam altius loquatur, quo alteri præliantiũ aliquid indicari possit: & addet bona secùs facientium fisco applicanda, cum alterius manus amputatione. Præter hæc, ille idem Tubicen notum faciet omnibus, eum, qui victus erit, loco dejiciendum: nobilitatis ejusdem insignia deturpanda: honore, fama, & quolibet nomine eum orbandum. Pœna verò corporis Regio arbitrio relinquetur. Tum deinde Actor, & Reus coram Principe alternatim jurabunt. Primùm se veneficijs omnibus, seu magicis incantationibus carere: Deinde justa, ac legitima caussa se in certamen prodiisse. Postremò mutuis manibus vicissim tactis, implicatisque brachijs justissimo duello alterum cum altero contendere. Similis est Regnorum Siciliæ, & Neapolis consuetudo, ut scil. tàm Reus, quàm Actor præstet juramentum. Diversa servantur in legibus Longobardorum: nam satis est, tantùm Actorem jurare. At mihi laudabilior, multoque firmior videtur mos noster, præsertim cùm apud nos duella ad formam ju-

diciorum sint redacta. Justinianus autem statuit & Actorem in exordio litis, & Reum ante omneis allegationes jurare debere. *l. 1. C. De iuramento propter calum: dando.* Posteà ambo pari armorum, quibus tegantur, genere induti, pari item, quibus vel offendant, vel noceant, certamini se accingunt. Arma ego intelligo, quibus soliti sunt uti milites, neque (ut infrà dicam) fustes, lapidésve volo comprahendere. Ideoque non placent illi, qui inaudito armorum genere, vel partim inermes, partim armati certare statuunt, qui in armorum delectu forsitan inviso unicum sibi præsidium constituunt: quasi verò plùs illis arma, quàm brachium, plùs ensis, quàm animus, prodesse debeat. At dum Reo favere volumus, & is usus jam inde antiquitùs invaluit, is quippe minimè mutandus est. Est verò apud omneis certum, Reo id privilegium concedi, ut scilicet arma eligat. Cujus favore, & in Actoris odium illud concessum existimamus. Etenim inferre injuriam, maximum malorum esse Philosophi censent. Ideoque Socrates apud Platonem *in Gorgia* dicebat, se malle pati injuriam, quàm inferre. Veruntamen si inter Actorem, & Reum convenerit de armorum genere, id planè servandum est. Adhuc si Actor, ostenso certo armorum genere, dicat se ijs armis probare velle, & id quoq; Reus receperit, jam nihil dubitan-

dum est. Si verò Reus non nominatim illi assentiatur, auferri ab eo non potest ea armorum electio, quæ per usum quotidianum in ejus favorem introducta est. Id tamen scimus, in Urbe Taurino apud Pedemontanos hoc anno variè disceptatum in duelli apparatu, quod sine pugna diremit Gulielmus Bellayus Langëius in ea civitate Vicarius Regius: Vir sanè, quem ob res tot, tantasque præclarè, fortiterque gestas, tum ob rei militaris, tum omnium bonarum artium singularem peritiam nec nimis laudare, nec plus satis admirari possum. Vir me hercule, quo nemo prudentiùs regere, munire, conservare commissam sibi Provinciam possit. Vir inquam prudentia quadam divina non magis præditus, quàm inaudita, & incredibili munificentia, liberalitateque spectabilis. Vir iterum inimicis formidabilior, quàm quibusdam nostratibus ob nimiam virtutem acceptior. Quanta prudentia sit, quàm exactis, & evigilatis consilijs præstet, fidem faciant Barbaræ nationes ab eo in quamlibet fœderis conditionē pro re Gallica adductæ. At verò ut diversi sunt hominum mores, nec eadem Reorum ingenia, & disciplinarum varietas, ita diverso armorum genere in duellis pugnatū est. Eam ob rē hîc meminisse lubet Georgij Castrioti, qui à Turcis Scanderbeg, hoc est, Alexander magnus nominatus est: quo

quo nemo sæpiùs duello victor evasit, neque plùs vario armorũ genere decertasse legitur. Is nudus, soloq́; gladio armatus cum Scytha quodam nudo, & pari gladio armato, Amurathe Turcarũ Imperatore præsente, cõgressus, singularis certaminis fortunam expertus est, & vicit. *Marius Barle. lib. 1. de rebus adver. Turcas gest.* Is prætereà in ejusdem Amurathis Imperatoris conspectu cum duobus Persis Jaja, & Zampsa congressus nihil præter Equũ, Gladium, Lanceam, & Scutum habens, reliquis omnibus armorũ præsidijs nudato corpore, victor evasit. Itaq; certũ est, favorem Rei cum esse, ut arma eligat: sicq́; expeditæ sunt Actoris, & Rei partes: quas non uno loco tantùm observari annotavimus. Nam Moulini (Ambarrorũ Civitas est ad ripã Elaveris) eam formam omninò proximè observarunt nobiles duo Helyom Barbansoyus, & Franciscus à Divo Juliano. Eodẽ isto anno ad Vari fluminis ripam juxta Niciam duos decertanteis vidimus: quo tẽpore Romanus Pontifex, Franciscus Gallorũ Rex, & Carolus Cęsar illuc cõvenerant. Tandẽ Actor, & Reus prodibunt in certamẽ, quos ita dimicare oportet, ut viam veritas, finẽ caussa, & Judiciũ, ipsi quoq; honorẽ, nomenq́; perpetuũ nanciscãtur. Antiquitùs autẽ in duello tota versabatur cõtentio, utri prior esset feriẽdi facultas. Nam non crebræ ictuũ vicissitudines petebãtur, sed cũ

intervallo tẽporis feriendi erat distincta successio. Quo ferè modo narrãt Danorũ historiæ, Agnerum à Biarcone duello superatum, & occisum. *Saxo lib.2.histor.Dano.* Nunc verò ita usus recepit, ut alter alterum, nullo servato ictuum ordine, punctim, cæsimq; feriat, sicq; duello res decidatur. Si verò non potest præ temporis angustia, aut aëris intemperie, aut pugnantium pari industria, eodemq; animi vigore ipsa res statim terminari, impetrare possunt temporis prorogationem. Nemo enim est, quem non tædeat vel totum diem, vel horas etiam aliquot decertasse. Sigismundum Malatestam, qui pro Cæsare ad laudem Pompeji Dux fuerat, cum Vistarino proditionis accusato per horas quatuor duello contendisse intelleximus. *Galeatius Capella, lib.6. ubi supra.* Ergo in sequentem diem, vel alterum, si ita videtur Judicibus, duellum differri potest. Ego tamen censerem non differendum, si Actor dixisset, ac promisisset, se illa die armis probaturum. Siquidem verba ipsa Actorem satis obligasse intelliguntur: tum moveri præterea possum argumento Venuleji Jurisconsulti, qui ait, ut, si quis denuntiaverit, se opus facturum, & confestim opus fecerit, clàm fecisse non intelligatur: nam si post tempus, videbitur clàm fecisse. *l. fina. in fi. ff. Quod vi, aut clàm.* Hîc ego contendere nolo, duellum in quatuor tantùm suprà

prà dictis casibus permissum fuisse, quòd plureis ob illatas injurias voluntariè decertasse legimus, & quòd multos non minimis honoribus, ob victoriam, in duellis decoratos, memoriæ est mandatum. Etenim Darius quidam Persa, qui Artaxerxe contra Cadusios pugnante singulari certamine quendam hostium provocantem interfecerat, ob eam victoriam, virtutesq́; eximias, Rex Persarum effectus est. *Diod. Sicul. libro de gest. Alexand.* Satibarzanes Bactrianus apud Arios provocans Macedones omneis ad singulare certamen ab Erigio Macedone forti pugna victus est. *Idem eod. libro.* Atque ob id Erigius in Heroum numerum est relatus. Num meministi Dioxippum corona à suis ob victoriam donatum? Num memoratur Uffo Danorum Regis filius, ne Regium nomen infamiæ labe deturparet, contra duos provocatos duello contendisse, & vicisse? *Alber. Krantz lib. 1. histor. Saxon. cap. 4.* Nihilne existimas victi spolia victori lucro esse, atq; cruentum victi cadaver summa cum ignominia auferri? At Georgius Castriotus miles ille strenuus, cùm ab Amurathe descivisset, Albaniæ, & Epiri Dux factus, paratusq́; cum Mustapha Turcici exercitus Præfecto juxta Crojam totius Albaniæ munitissimum oppidum pugnare, Caragusio Turcæ, & Paulo Manessi Epirota duello decertare volentibus has leges posuit.

Ambobus eadem erant arma, hastæ equestres, clypei laminis ex chalybe in umbilico distincti, ensis utrique de more recurvus, ferrea clava, corpora loricis, & capita galeis tecta. Quo in duello Paulus Barbarum hasta transfixit, victorque, ac ovans ad suos reversus est. *Marius Barletius ibi. lib. 4.* Edixerunt autem exercituum Duces, ne motus aliquis à stationibus ad adjuvandam alterius fortunã exoriretur. Qui namq; duelli Spectatores accedunt (ut prædixi) pugnanteis neq; signis, neque nutibus vel monere, vel concitare debent, imò verò omninò mutescere, & prudentia, fortitudineq; hominis inspecta, gaudere, & voluptate perfundi. Quæ autem major voluptas accipi potest, quàm cùm is, qui omni cura, & periculo est solutus, duas acies inter se dimicanteis spectat? Tali spectaculo gavisi sunt Juppiter, cùm ab Ida, & Neptunus à Samothracia pugnanteis acies longè respicerent. Scipio quoq; gloriabatur, se tertium post illos duos inspecta pugna Masinissæ, & Hasdrubalis pari voluptate perfusum fuisse. *Appia. in Lybi.* Verùm istos Spectatores cum silentio suo relinquamus, & ad Judicis officium, quod in hac caussa obscurum esse non debet, revertamur. Cui primùm certas regulas aliquot, quas sequi oporteat, ponemus: tum casus, qui plerumque incidunt, in quibus non trivialis tantùm, sed & eruditis-

simus

mus quivis Judex dubitare posse videtur, djiciemus. In quo vehementer confido, laorem meum à multis non neglectum iri. Quocirca quando jactitant se nonnulli effiere posse, ut in tam multa Libellorum missiatione ex Actore Reum faciant, nos hîc certas aliquot regulas ponemus. Nam non parvi refert propter electionem armorum ex Actore Reum effici: neq; etiam iniquum videbitur, in eadem caussa eundẽ modò Actorem esse, modò Reum, cùm in civili judicio idem persæpè eveniat. Sit tamen hæc certissima, stabilisque regula, eum, qui injuriam in aliquem immittit, Actorem esse: neque facere potest, quò minus in ea caussa sit Actor, nisi Reus consentiat. Potest tamẽ ex ista caussa, alia subinde emergere: in qua, qui in priori Actor erat, Reus efficietur: neque hoc absurdum est. Ergo dum constat, esse illatam injuriam, dubitari nõ potest, eum, qui imposuit, Actorem esse: eum verò, qui accepit, Reum. Cujus ea est certa ratio, quòd omnes homines, qui injuriis sese dedunt, simul de defensione in futurum cogitant. *Isocrates adversus Euthinum.* Hoc loco non consideramus, sitné confestim, an longo posteà tempore propulsata injuria, quisve prior mendacem hostem vocaverit: quod hodiè maximè spectatur. Nam apud Jurisconsultos, si quis injuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad

animum ſuum nõ revocaverit, poſteà ex pœnitentia injuriã remiſſam non poterit ulciſci. *l.Non ſolùm.§.1.ff.de iniu.* Siquidẽ ea, quæ nota bilis injuriæ ſunt, niſi de ijs mox expoſtules, videntur quaſi neglecta.*l.Item apud.§.Hoc edictum. 26.Eod.* In hoc tamẽ permultum dubij eſt. Ideò diligenter cavere debet Reus, ne in exemplo ſui Libelli, Actorẽ ſe conſtituat. Neq; jactatis hinc, & inde injurijs ſpectare debemus (ut fieri ſolet) uter prior mendacẽ hoſtem vocaverit, ſed uter prior intulerit injuriã. Id tamẽ in eo conducere cenſetur, quod ferè is, qui mendacẽ appellat, illatam injuriã propulſare judicatur. Hoc tamen fallit, ut planũ faciemus exẽplo. Fingamus Sejum hac forma ſcripſiſſe literas Cajo: Audivi, Cai, te multa iniqua, indignaque homine de me dixiſſe: in quo te malevolo in me animo uſum non dubito. Eam ob rem quoties id dixiſti, toties te mentitum eſſe aſſero: ideoque volo famam, & honorem meum duello ſervare, & tibi ſingulari certamine oſtendere me talem, qualis inter probos, ac integræ famæ viros numerari debeam. Hoc itaq; caſu propoſito, dicimus Sejum eſſe Actorem, licet re ipſa vera fuerit provocatus injurijs, Cujus ea eſt ratio, quòd is prior ad duelli fortunam recurrat eo animo, ut famam, ac honorem ſuum defendat. In quo tamen parteis Actoris ſuſtinet, licet ipſa re, & tali verborum contextu, parteis

s Rei provocati injurijs obire videatur.
versum esset, si literis scripsisset, se velle de-
idere. Nam ita intelligitur, quoties ab al-
'o esset provocatus. Præterea istud intelli-
, nisi per aliqua indicia ejusdē anim^a aliter
egnosci potuisset. Tunc enim à verborum
nificatione recederet. *l. Non aliter. ff. De lega. 3.*
ba quippe animo, non etiā animus verbis
vire debet. *cap. Intelligentia. extra De V. S.* Exin-
hîc debet Judex animadvertere, licere mi-
:um mendacē vocare, qui me aliquod cri-
n asserat commisisse. *Barto. l. Quæ omnia. ff. De*
:ur. Tamē qui mendacem dicit, videtur in-
iam inferre. *Idem l. Si quis extraneus. ff. De acqui.*
Ideò nō parum refert, an statim, an longo
l tempore mendacē appellaverit. Nam si
im, ad propulsandā injuriā id facere cen-
itur: si longo pòst intervallo, verba Libelli
ctanda sunt, & ex illis, aliisve quibuscunq;
icijs judicandū est. Nihilominus res hodie
:st in usu: ut si quis levare injuriam velit, &
ndacem provocatorem appellet, illi non
at injuriam, sed refellat; si addiderit men-
em esse, ut perversum, ac iniquum, neq;
n afficit injuria, neq; iniquitatem ullam
ıscribit: si perversum asserit, sic facit in-
am, & tunc in ea caussa Actorem se con-
ıit. Hîc procul dubio multi casus in du-
m revocari possunt, quorum partem, ut
nullo non loco satisfactum putes, se-

quentibus exemplis inferemus. Ac primùm cùm apud Jurisconsultos non sit dubium, atrocem esse injuriam, os alicui percuti: *d. l. Prætor edixit. Eod. in fin.* quid si quis non quidem pugno percussus sit, sed extento brachio, porrecta manu parum abfuit, quin percuteretur? illíne dicetur illata injuria? Respondi: Si quis pulsatus quidem non est, verùm manus adversus eum levatæ, & sæpè territus est, eum, qui quasi percussurus, non tamen percussit, utili actione injuriarum teneri. *l. Item apud. §. 1. ff. de Iniuriis.* Nam si mihi fiat injuria ab eo, cui sum ignotus, aut si quis putat me Lucium Titium esse, cùm sim Cajus Sejus, prævalet, quod precipuum est, injuriam eum mihi facere velle. Siquidem certus ego sum, licet ille putet me alium, quàm sim, & ideò injuriarum habeò actionem. *l. Eum qui. §. Si iniuria. 3. ff. Eod.* Prætereà, fingamus etiam alios casus. Hunc inprimis: à Nobili viro injuriam cuidam Pagano illatam: Paganus petit, ut liceat rem ipsam Duello decidere: quæri potest, sitne, isto casu proposito, locus Duello. Magnanimitas quidem à Pagano nobilem non distinguit, neq; repugnat, ignobilē Fortitudinis nomine decorari. Si integritatem, fidem, virtutem quærimus, nullo facto discrimine ab utrisq; comparari potest. Inter Commilitones fit, ut sequitur. Dū Legionarius, vel caligatus Miles à Commilitone queritur

tur sibi factam injuriam, non vocatis testi-
us, nullo adhibito Judice, non Libellorum
ussitatione rē ipsam definiunt, sed protinus
rrepto ense, alter alterū impetit: & ita caus-
e finem imponunt. Attamen Nobilitatis, ac
orum, qui fumosas Patrū imagines possunt
stendere, est habenda ratio. Tum non parvi
aciendi sunt illi, qui à natura nati, & à Paren-
bus quasi manu ducti ad virtutem vidētur:
lec verò negligenda est, aut vulgari cuilibet
quiparanda Principum cognatio, ac nobi-
tatis fons, quo ad virtutem paratiores sunt
nimi, promptioraq; hominum ingenia. Ac-
edunt Duellorū leges, quæ eò tendunt, ne
emerè quid à militibus, ac viris Nobilibus
ōmittatur. At Paganus Paganū si in singula-
e certamen indiscriminatim vocet, nihil Ju-
icem, nihil Principem movebit. Hinc Impe-
atores sapienter voluerunt, militem adver-
us militem duello decertare, si tamen priùs
robaverint se milites esse, & à Parētibus mi-
tibus duxisse originem. *§. Si miles. de Pace tenen.*
usi. Feud. Idcirco si Dux à Legionario provo-
etur, justè duellū recusare posse censemus.
ingamus iterū diem duello dictū esse, Reus,
ujus privilegiū est, ut arma eligat, vult eque-
tri prælio contendere, Actor autē pedestri,
ujúsne, an illi⁹ potiorē causā Judex statuet?
i Actorē Peditē, dum ita illi visum est, in Reū
quitē decertare debere judicas, vide, quæso,
quan-

quantum à Rei privilegio recedis. Nam &
nos ubique Actorem condemnamus , qu
arma à Reo electa recipere vel renuerit, ve
distulerit. Arma sanè, quibus tegantur, aut
Principe, (ut apud nos) sunt proposita: ve
ambo, missis Libellis, conveniunt. Ea au
tem, quibus alterum alter offendat, Reu
eliget, & proponet, ambobus in procin
ctu existentibus , ea ipsa tantummod
hora, qua confligendum est. Apud Italos
quadraginta ante duelli commissionem die
bus, Reus varia ad Actorem genera armo
rum mittit, ut ex ijs, quæ velit, eligat. Ex ij
item Reus armatus in conflictum prodit
sed tamen ignorat Actor, qualia ea ex tam
diversis futura sint. Ea verò, quibus Reus in-
structus erit ad pugnam descendens, nullo
omninò jure Actor recusare poterit, & simi
libus utetur: nisi caussa mavult cadere, & no-
tari ignominia. Enimverò nonnulli asserunt,
neque sine ratione, Actori licere, ut Pedes
contra Equitem dimicet. Sic certè Reo ma-
gis favemus, videturq; Actoris pars esse de-
bilior : nam Eques Pedite expeditior esse
censetur. Præterea si non permittitur Equi-
ti, qui ab Equi sella vel lapsus, vel ejectus est,
equum iterum admittere, quónam pacto
cogi poterit Actor ad equestrem pugnam?
Etenim præter id, quòd juri suo nonnihil
detrahit, tum Reus equitandi peritia confi-
su

ſus cogere non poteſt hunc equitare, qui nec inſidere equo, nec manu hac, illacq́ue ductare noverit. Ego tamen à favore Rei non facilè me diſceſſurum, dudum mihi perſuaſi. Inſuper cenſeamus Victum duello Victori ita eſſe obligatum, ut illi perpetuam ſervitutem ſerviat. Et ſic fingamus, Sejum à Cajo victum eſſe: jam Sejus Caji Servus effectus eſt. Sempronius poſtea illatam ſibi à Sejo injuriam expoſtulans, vult cum illo duello contendere: cui Cajus aſſentitur. Vult enim ratio, Caji Victoris aſſenſum neceſſariũ accedere. Sempronius iterum vicit Sejum: tum is utriuſque Servus efficitur. Verùm ſi unus eodem tempore rem aliquam, alter autem diverſam præcipiat, dubitari poteſt, utrius dominium prævalebit, aut utri potiùs ſervire cogetur. Dicet aliquis, ejus, qui prior vicit, potius eſſe dominium. Primus enim Creditor ſequenteis omneis excludit. Prima cujuslibet rei venditio ſequenteis infirmat. Huic tamen reſpondere poſſumus, ut majori cum periculo, accuratioriq; diligentia à Sempronio Sejus jam edoctus, ac idem periculum expertus victus eſt, ita potius jus eſſe Sempronij, qui ſecundo duello Victor extitit. Accedit conceſſa pugnandi facultas: qua multùm Cajo detrahi nemo negaverit. Nam cui vincendi duello poteſtas facta eſt, eidem quoq; cadendi data libertas videtur. Denuò quęret

alius:

alius: posſítne is duello prorſus excludi, q
aliâs duello victus fuerit. Is nimirum ea n
tatus eſt ignominia, ut nullum illi hono
veſtigium relictum ſit. Idcirco non immeri
rejiciendus cenſebitur. Tum abſurdum e
ſet, hunc modò in eorum, qui viciſſent, m
dò in eorum, qui victi eſſent, album referr
neque ut perſonarum, ita & Jurium lata eſſ
differentia: quam (ut certa eſt) nemo m
hercule probus nō approbat. Si quis aute
diverſum ſentiat, is mihi quidem à ratio
diſcedere non videbitur. Nihil'ne exiſtima
ſubiiſſe duelli pericula? Nihili facis, forti
nimo in aciem deſcendiſſe, neque à Fortit
dinis officijs aliquantùm receſſiſſe? Quid
Fortunam, quæ quandoque bonis viris i
mica eſt, accuſare velit? Igitur cùm inexpe
tis bellum dulce videatur, ac nulli vitio ve
tendum ſit (ſi modò digna milite geſſeri
duello (Fortuna ſic ſuadente) victum ext
tiſſe, non video, cur ea tantùm de cauſſa du
lum denegari poſſit. Delectāt quippe ſæpi
repetita negocia: quibus tum alacriore
tum magis induſtrij reddimur. Ac non e
factu difficilè, ut, qui ſemel victus ſit, vict
aliquando ſit. Poſtremò hîc non inutilit
rationem inveſtigaſſe videbor, cur ferè fi
ut, qui deteriorem cauſſam fovet, duello ſ
perior evadat. Etenim ſi ad veritatis prob
tionem indicta ſunt ab hominibus duell
qu

quid certum constituet Judex, si fortuna res aliter, quàm secundum veritatem, cesserint? sequitúrne semper fortuitus eventus rerum veritatem? Atqui ars diligit Fortunam: Fortuna voluntati hominis sæpè subservit: Fortuna industriam adjuvat, & diligẽtiam. Quis Adrastum emissa in Suem cuspide Crœsi filium perempturum dixisset? *Herodot. libr. 1.* Quis mulierem solam (ne quid à duellorum exemplis recedere videamur) ante aciem pugnantem multos singulari certamine vicisse diceret? Est tamẽ inventa apud Anglos, cùm Geldriæ Dux cum copijs suis in Scotiam tenderet, Eduardo Regi laturus auxilium. *Hector Boeth lib. 15. histor. Scotor.* Quis non mirabitur in acie Totilæ Gothorum Regis quendam nomine Valarum equo insigni vectum, ac singulari prælio omneis provocantem ab Atarnane Armenio dextro latere hasta trãsfixum: *Aretin. de bell. Ital. contra Gothos.* Atarnanem deinde in hastam interfecti casu solo inhærentem impetu equi adactum, transfixum, ruptoque thorace ad mortem usque vulneratum? Horum ratio ut non omnibus est cognita: ita felix ille est, qui potuit rerum cognoscere caussas. Quæ autem fatali quodam casu eveniũt, in nullius hominis judicio posita esse censeo. An tu, ex Epicureorum opinione, declinatione atomorũ ista contingere dices? *Cice. lib. de Fato.* Cùm itaq; Dei Opt. Maxi-

Maximi numine omnia regi, gubernarique perſpiciamus, ſi quid fortuito caſu accidit, fatorum rationem non diſquirimus. Siquidem ineptè quæreret aliquis, cur Phocion vir ſanctus in tanta rerum omnium inopia, & vitæ anguſtia diem ſuum obierit: Callias autem, & Alcibiades Nepotes intemperantiſſimi omnium rerum affluentia exuberabant. *Lucianus in Iove confuta.* Cur Socrates ab Athenienſibus undecim viris traditus: Melitus verò accuſator non item. *Plato in Apologia.* Quocirca licet hodiè noſtra conſilia, prout malè, aut proſperè cedunt, ita vel probentur, vel repræhendantur: eventus tamen rationem, quæ fatali quodam caſu regitur, nemo planè eſt, qui intelligat. Sed de ijs latiùs infrà eo Libro ſcribemus, qui de Officio Imperatoris à nobis poſt hæc ſubjunctus eſt.

Caput XXV.

Arma.

Clodium Albinum Imperatorem ferunt, in ſcholis inter pueros cantaſſe ſolitum:

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis:
Arma amens capio. (*Iul. Capitol. in vita Albini.*)

Impudens verò vox, neque prudenti, ac magno viro digna. Quæ declarat illum vel in ocio de armis cogitaſſe, ſimul etiam amentiam

tiam furori conjungere ſolitum, ut neque dementiæ furor, neque furori arma deeſſe viderentur. Quod ne diutius cantaſſe judicemur, liceátve omnibus de nobis id ipſum prædicare, libentes arma deponimus. Ita duæ res, quæ Albino audaciam, vel temeritatem potiùs, afferebant, nos reprimunt, furor, & amentia. Nam ſi minus eam ingenij præſtantiam, eruditionemq́ue, quæ forſan à nobis expectabatur, præſtare potuerimus, propè eſt, ut inſanos, & amenteis nos appellent, qui hoc opus ſuſcepimus. Sed ſi ſpem tuam R. P. non fefelliſſe, ſed aliqua ex parte ei ſatisfeciſſe nos intelligemus, atque forenſibus negociis, aulicisq́ue ſtrepitibus languentes, ex animi tui tamen ſententia rem ipſam bellè ſatis proſequuti fuerimus, non omninò operam luſiſſe videbimur. Neq; tamen hoc noſtrum opuſculum cum Albini cantilena comparandum eſt. Ille enim parum prudens in Adoleſcentium cœtum, ac frequentiam cantaturus ſe recipiebat: noſtrum autem opus Imperatoribus, Ducibus, & Militibus, non pueris, eſt propoſitum. Omnem quippe operam, omne ſtudium, curamq́; ſcribendi in milites contulimus. Quibus licet abundè per nos ſatisfactum arbitremur, ne tamen quicquam defuiſſe videatur, resq́ue ad ſcopum uſq; deducta ſit, epitomē breviſſimam de armis hìc ſubjungemus.

Ii Nam

Nam ipsa arma membra militis sunt: *Cicero Thuscul. 1.* quæ ita commodè geruntur, ut, si usus foret, expeditis armis, ut membris, pugnare possent. Armorum appellatio non utique tantùm scuta, & gladios, & galeas significat, sed & fustes, & lapides. *l. Armorum. 41. ff. De verb. signif. l. Quod. 3. §. Armis. 2. ff. De vi, & vi arma.* Arma itaque sunt suis nominibus alia ad tegendum, alia ad nocendum: atque armati dicuntur solùm non ij, qui scutis, telisque parati, ornatique sunt, sed & qui ita parati sunt, ut vim vitæ, aut corpori afferre potuerint. *Cice. in Orat pro A. Cæcin.* Interdictum igitur de armatis hominibus est, si quis cum scuto, cum gladio, si telo, si quavis alia re, quæ nocere possit, impetum in alium fecerit, adeoq; ita de possessione deturbetur. *l Armatos. 9. ff. De vi publica.* Et ut magis intelligamus, si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egerit, interdicto de armatis tenebitur. Etenim telorum nomine omnia, quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur, seu fustis, seu ferrum, seu lapis fuerit. *l. pen. §. 1. Eod. l. Si pignore. §. 2. ff. De furtis.* Dum autem Romanus Pontifex prohibuit, ne Monachi domi suæ arma haberent, teneréntve, fustes, aut lapides non intellexit. *Clementi. 1. De statu Mona.* Neque apud Imperatorem tam generaliter arma intelligi velim: sed ut ea tantùm comprehendant, quæ mili-

militantibus usui esse possunt. *In novel. constit. 85.* Nam consuetudo vulgaris sermonis hoc hodiè habet, ne fustes, & lapides nomine armorum contineantur. Ergo si verba spectemus, nulla dubitatio est, quin secundum ista intelligamus Rescriptũ Imperatorium, quo omnibus armorum usus interdicitur. *l. unic. Vti armorum usus, lib. 11. Codicis.* Quod ut diligentiùs consideremus: Si interrogemur, cur Imperator omnibus armorum usum, non petita ab eo venia, prohibuerit: Tunc respondeamus: In optima Republica nihil prius esse, quàm ut perfectam, absolutamque habeamus eam cõsuetudinem, quam humana Natura nos docet, per quam benè, ac beatè in civitate vivitur: qua sanè vita nostra videtur esse munitior. Arma igitur si cuilibet permiseris, futurum est, ut promptiores sint animi hominum ad bella, ad seditiones, ad cæteras calamitates, quib⁹ vel affligũtur civitates, vel corruunt. Est n. manifestũ, nullam tam perniciosam pestem esse, quæ nõ homini ab homine nascatur. Idcirco sapiẽter Romani eũ lege Julia de vi publica teneri voluerũt, qui arma, tela domi suę, in agróve, aut villa prȩter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coëgerit, aut promercij caussa habuerit, hæreditatéve ei obvenerint. *l. 1. & 2. ff. ad l. Iul. de vi publ.* Ista lege arma ea, quibus alios offẽdimus (nisi cui expediat) prohibita intelligo: *l. pen. § fi. eod.*

expedit autē solummodo ijs, quibus à Principe permittitur. Neque verò antiquatam eam legem putes: utpote quæ Romæ, Venetijs, ac tota penè Italia tam religiosè observetur, ut nonnunquam videas hujusmodi arma ferenteis nunc in carcerem conjici, nunc in crucem, ac quæstionem tolli: nunc auro, argentóve numeratis pœnam ita redimere, ut summum Jus, summam esse injuriam perspicias. Fit autem facilè, ut, caussa cognita, Romanus Pontifex, Principes, Urbiumque Præfecti nobilioribus viris, quorum maximè explorata fides est, id permittant. Cujus quidem rei exemplū locupletissimum præbuit Anastasius Imperator, *l. fin. C. De Præposit. sac. Cub. libro 12.* qui Præpositis sacri Cubiculi cingulo uti, nec non arma portare concessit, quoties ad agros suos abscederent. Veruntamen, quid ad eum antiquum Franciæ morem respondebimus, quo cuilibet arma portare licitum est? Hîc dubium exoritur, sitné ille, an hic mos potior. Ego sanè, quamvis illic, isthicque per arma nonnunquam peccetur, atque ut Homo Homini Lupus est, ita & Deus aliquando esse censetur: facere tamen non possum, quin nostris legibus, quin Patriæ, quin mihi denique ipsi faveam. Si enim metu pœnæ, si tali quæstionis genere, publico edicto deterrentur, si adhibita sævitia tali coërcentur Imperio, neque arma ferunt: quis,

quis, quæso, liberam civitatem, quis diuturnam fore Rempublicam arbitrabitur? Præclarè quidem Ennius: *Cicer. Offic. 2.*

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit.

Sint licet hæc prohibita, sit Præfectus Vigilum cum armata manu in foro, in trivijs, in via, sint funes in crucem parati: emergunt tamen nonnulli, quos intermissa Libertas quandoque remordet: & non edicta solùm contemnunt, sed & ijs derogant plurimùm. Malus enim Custos est diuturnitatis metus. At verò nos benevola animorū consuetudine imbuti, id unum amplexamur, ut metus absit, charitas retineatur. Primùm igitur hanc ob caussam, ut sua tuerentur, Respublicæ, civitatesque constitutæ sunt. Nam & si duce Natura, congregabantur homines, tamen spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant. Urbes autem ab inermibus custodiri quis justè dixerit? Antiquitùs omnis Græcia, quòd Penates munitionibus cincti non essent, fierentque crebræ incursiones, arma gestabat, vitamq; sub armis agebat Barbarorum more: licet scriptum sit, hunc morem ferendi arma apud eos ex veteri latrocinio permansisse. *Thucyd. lib. 1. bell. Pelopon.* Nam apud Locros, & Acarnanas, homines mutuò prædantur: nequaquam tamen prohibitum intelleximus: cùm eos me-

tu retinere, quos benevolentia conciliare possumus, & absurdum, & inhumanum videatur. Enimverò antiqui Philosophi in bona Republica necessarium ducebant, eos, qui in communione viverent, arma portare: *Arist. Politic. 7.* tum ut Magistratibus parêre inobedientes cogantur: tum ut vis inimicorum externa propulsetur. Etenim ferè apud omneis usitatum est, ut Præfecti Civitatum, armata militum cohorte cingantur. Et sanè quomodo quis sine armis vel repellet hostes, vel resistet invadentibus? Dicat aliquis, valdè commodum esse, & justum, paucissimis viris arma permitti, distribui quoque Junioribus: verùm ijs tantùm, qui Seniorum prudentia, maturoque consilio ad id sint assumpti, eorum est sententia, qui de optima Republica philosophantur. Debet namq; & honorum, & munerum æqua fieri distributio. Censemus autem fieri posse, ut in optima civitate omnes omnium munerum ex æquo, bonoque fiant participes. Quod si contigerit, quis non feliciorem eam dicat Civitatem, quæ æqualitatem tuetur? quæ unicuique æqua lance favet? quæ homines ab hominibus nō discernit? quæ Agricolas Artificibus: Artifices Militibus potiores non habet? Itáne dices paucorum potentiam, quæ æqualitati est inimica, populari præferendā esse? Nónne, qui armorum domini sunt, ijdem modis

omni-

omnibus Reipublicæ dominari contēdunt? Huic arma concede, alteri nega, jam fiet Civitatis divisio. Fingamus hostes esse in mœnibus, irrumpere in civitatem, omneis ad arma clamare: prodibúntne ij soli, quibus arma ferre concessum est? ad quæ, ut videmus, malè prompti sunt, & expediti. Ea verò si cuilibet permiseris, multò plureis, ac magis industrios, qui civitatem tueantur, reperias: neque alterum alter opprimet, cedéntve Artifices aut Judicum, aut Militum effrenatæ libidini. Atqui una animorum benevolentia, mutuoque, ac æquali convictu Civitas conservabitur. Ea de caussa in pluribus Saxoniæ partibus ea est longo jam tempore observata consuetudo, ut Artifices omnes domi arma in promptu habeant, quibus juvare possint patriam, cùm signum accedentium hostium è specula viderint. *Alber. Krantz lib. 12. histor. Saxo. cap. 23.* Veruntamen fieri nequit, ut non oriantur dissensiones, magisq; contra familiareis, & amicos, quàm ignotos, irritetur animus. Dicitur enim in proverbio: Fratrum contentiones, & iras acerbissimas esse: &, qui se nimiùm amant, ij se nimiùm unà oderunt. Nam qui ab amicis sibi beneficia deberi putant, illis non solùm privari, sed & aliquantùm ingrati animi intercedere, procul dubio est dolendum. Eam ob rem hîc à Principe impetrare solemus, &

 Judi-

Judicis officium implorare, ut nobis arma portare liceat. Quod ſanè perfacilè fiet, ſi per adverſarium timemus offendi, aliquídve ſiniſtrum nobis ab illo præcavere volumus. Eo namque caſu Judex cogere conſuevit illum fidem ſuam præſtare, quam nos vulgò ſecuritatem, vel Salvamguardiam dicimus: Græci ἀσφάλειαν διδόναι vocant. Hæc autem cauſſa fuiſſe videtur, cur à Judicibus noſtris fidem publicam petamus, cùm ad religionē Præſidis Provinciæ pertineat, ne potentiores viri humileis injuriis afficiant. *l. Illicitas. §. Ne potentiores. ff. De offic. Præſid.* Prætereà ſi, dum timemus, ne bonis noſtris damna, incommodáve inferantur, ſecuritatem petere poſſumus, & ut jure nobis caveatur, quis non æquiorē hominis cauſſam, qui adverſarium metuit, exiſtimet? *l. Eorum. §. 1. ff. De damno infect.* Eſt enim Homo rebus omnibus humanis præſtantior. *l. Sancimus. 21. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Dicet alius, fidem publicam præſtari, & utile eſſe, & neceſſarium. Item rebus noſtris, ac multò magis Hominibus dari ſolere. At ſi fide illa ſatis tutus videtur, cur addit, ut ſibi liceat arma portare? Benè quidem, ac prudenter ab inimicis cavendum, omnes cenſuerunt. Nam ſatiſdatio ſola malevolum animum non mutat. *Inſtit. de Suſpect. tut. in fin.* Ea eſt autem hujus Regni conſuetudo, ut nemo cogatur ſecuritatis cautionem præſtare,

ſed

ſed conſuevit quis poni ſub protectione, ac (ut vocant) Salvaguardia Regis: & adjici ſolet pœna mortis, ſi quoquo pacto aut bona, aut is ipſe, cui ſecuritas talis præſtita eſt, offendatur. Imperator verò ut non omnibus ſine differentia permittit arma portare, ita etiam non cuivis curam, opúsve fabricandorum armorum conceſſit. Nam ad id operis, vel potiùs artificij eos ſolos vocari vult, qui publicis (ut dicunt) fabricis alligati erant: quos à fabricandi peritia, ac non vulgari induſtria conficiendorum armorum Fabricenſeis appellat. *Nov. 85.* Quos etiam Arcadius, & Honorius cenſuerunt notis, & ſtigmatibus compungi, ut, ſi cæterorum Artificum eſſet in Republica confuſio, horum tamen eſſet aliquod diſcrimen: quo periti ab imperitis, induſtrij à minùs eruditis diſcernerentur. *l. Stigmata. C. De Fabricenſibus, lib. 11.* Nam quis neſcit, inter Artifices multam eſſe differentiam? tum armorum confectionem, quibus ſe ipſa tuetur Civitas, firmatur, roboratur, quis imperito committendam cenſeat? Quis non Piſtiam Athenienſem, quocum diſputaſſe memoratur Socrates, arma tam ſolerter fabricantem, ut nihil prohiberent manibus uti, eaque inconcinno corpori tam concinnè aptantem, ut nihil minùs expeditus miles videretur, etiamſi modò curvari, modò erigi eſſet neceſſe, imperito cuivis Ar-

tifici, aut è vulgari plebe quæsito non præferat? *Xenophon lib. 3. memorabilium facto. & dictor.* Itaque si Civitatis commoda, si utilitatem, si decus quæsieris, nemini dubium, quin optimos Artifices, quò longiùs absis à periculo, quò tutior sit Respublica, corpusque tuum munitius, præeligas. Facio equidem in vestimentis, cibis, reliquisque, quæ ad ornatum, expolitioremq; vivendi formam parantur, parvam admodum differentiam, qua manu, quo condimento disponantur, vel præparentur. At in ijs, quæ ad civitatis, nostramque tuitionem sunt necessaria, discrimen magnum ut constituamus, non alieno tantùm, sed & nostro periculo docemur. Qua ratione Constātinus Imperator in Cremonensi solùm municipio Fabricenseis ad id tantùm operis assumptos, ut fabricam armorum exercerent, habuisse commemoratur. *Ammia. Marce. lib. 15.* Neque Fabrorum solùm, sed & quorumcunq; Artificum antiquitùs sodalitia extitere. Et sanè sodalitates Romæ constitutæ sunt Catone Quæstore sacris Idæis magnæ Matris acceptis. *Cic. lib. de Senectute.* Exinde comessationum, ac conviviorum publicorum institutio primùm in Creta excitata est, Minöe regnante. *Arist, Polit. 7.* Quæ tamen multò priùs in Italia fuerat. Delectationem autem hujusmodi sodalitiorum amicorum cœtu, & sermonibus communibus,

bus, quibus omnia in dies mitiora fiunt, metiebantur. Romani quoque accubationem istam epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium vocavere. Veruntamen neq; confestim laudare mores, quos tanto tempore Civitas observavit, neque mox vituperare debemus: quin potiùs antea est animadvertendum, qua caussa, qua ratione, quo animo, studio, tempore, locoq; quicquam agatur. Caprarum gregem, vineas, segetesque, aut nullo Pastore, aut minùs vigilanti, ac improbo depascentem damnet aliquis, ac improbet. Laudet alius cultum Caprarum, usum, ac possessionem. Plùs nempe mihi placet is, qui probat, docetque, quo modo vel colendus sit grex, vel regendus. Sodalitia ista, quæ commodè regi possunt, quæ minoris cujusdam Reipublicæ formam nobis ostendunt, si quis errantia, si peccantia viderit, poteritne funditùs tollere? Probentur ergo nobis eæ armorum sodalitates vel ea præsertim de caussa, quòd Juniores doceantur à Senioribus, nec permittant petulantiam illam ætatis longiùs excurrere. Etenim Philosophi in optima Republica censuerunt, non licere cuiq; facere, quod velit. Nam ea licentia ingenitam cuilibet homini malitiam auget. In hac sodalitiorũ mentione non absurdè obiter annotabimus, eã esse inter militareis Sodales, id est, milites Sodalũ nomi-

nomine se inter se fratres appellantes, eam inquam esse consuetudinem, & Jus consuetudine receptum, ut alterius castrense peculium post mortem alteri obveniat. Adde, apud Germanos milites moris esse, ut, dum amicitiam nomine sodalitij inter se ineunt, eodem uterque Scypho semel bibat: quem mox confringunt, ne eo posteà quisquam utatur, qui illorum sodalitatem modo ullo dirimat. Sed de hoc hactenus: ad arma jam redeo. Quid hercle illi facias, qui cùm armorum fabricam probè norit, cudat optimè, bellè poliat, affabrè fabricet, huic tamen, qui ab Imperatore non sit electus, ne liceat quidem manum operi admovere, vel arma fabricare? Vísne in hac Civitate libertatem tollere? patereris insigne aliquod artificium usu, & exercitatione denegata perire? Hic eligatur, improbetur ille: jam convictum humanum, ac societatem, qua nitebaris, sustulisti: jam commodis hominum non parùm detrahis. Si enim aliquid homini ad nullam partem utili, utilitatis tuæ caussa sustuleris, inhumanè quidem facias, & contra Naturæ legẽ. Cedat in exemplum Agesilaus, qui Ephesi effecit, ut non tãtùm ærarij, & ferrarij Fabri arma cuderent, sed & Lignarij, & Coriarij, & Fullones. *Xenophon in Orat. de Laudibus Agesilai.* Qui profectò ita in posterum confecerunt, ut eam Civitatem belli Offici-

nam

nam planè censuisses. Putásne promptiores ad arma eos fore, qui arma tractant, nocturnaque, ac diurna versant manu? Omnes quidem si ea confecerint, facilè fiet, ut omnes & promptiores, & paratiores, ac magis expediti reddantur: eritque Civitatis & major, & tùtior custodia. Adhæc Romani Milites, Fabrique, Nigro Imperatore victo, & occiso per Severum, in Syriam, Barbarasque Nationes confugerunt, ibidem ætatem suam acturi: ac eo tempore armis uti, & fabricare Barbari omnes didicerunt. *Herodianus lib.3.* Prætereà si rem ipsam propiùs spectare velimus, quod Artificum genus harum Sodalitatum inexpiabili scelere nō pervertitur? quid non talibus conventiculis deformatur? Iis artium puritas depravatur: pretia rerum immutantur. Sodalibus talis scholæ, quotquot in verba Magistrorum jurarunt, nefas est vel latum unguem à præscripto recedere. Hoc modo tua commoda aliorum incommodis augeas: Libertas communis divellitur: suffragia electionis tenentur à paucis: peritorum industria ad nutum hujus ordinis labefactata est. Hinc pulchrè Trajanus, etsi posse collegium Fabrorum apud Nicomedenseis constitui rescribat, veruntamen cùm hujusmodi factionibus Civitates vexari solere consideraret, satiùs multò existimavit, comparari ea, quæ ad arcendos ignes usui esse possent,

possent, & admoneri Dominos prædiorum, ut & ipsi inhiberent, ac, si res posceret, populi concursu ad hoc uterentur. *Plinius Epistola lib. 10.* Quam ob rem istos ordines, ac Sodalitia, quæ apud nos olim erant, fraternitatesque, seu Confratrias vulgò dictas Franciscus Rex Christianissimus justissimè mihi sustulisse videtur: ne scilicet aliquid utilitati publicæ, vel Privatorum commodis per eas detrahi posset. Id enim magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor. Ita etiam Nicocles sapienter prohibuit Sodalitia, & Conventus fieri, utpote qui in Rebuspublicis plùs satis exuberēt: in Monarchijs autem sint admodum noxii. *Isocrates in Nicocle.* Enimverò hæc Sodalitia utcunque sum approbaturus, si modò probi illis præsint, & prudentes. Ipsa namque Naturæ lex, quæ hominum utilitatem conservat, decernit, ut ab inerti, atque inscio ad bonum, eruditumque virum transferantur res ad vitam nostram necessariæ: qui sine errore bona hæc, an mala illa sint, dijudicet. Cōstituamus igitur in armis Magistratum, qui ita suo fungatur officio, ut hominum utilitati consulat, & humanæ societati nihil prorsus detrahere videatur. Nam apud Romanos Legio habebat Fabros lignarios, Structores, Carpentarios, Ferrarios, Pictores, reliquosque Artifices ad Hybernorum ædificia fabricanda, ad machi-

machinas, turreisque ligneas, cæteraq;, quibus vel oppugnantur Civitates, vel defenduntur. *Vegetius lib. 2. c. 11.* Quorum omnium Judex erat Præfectus Fabrorum. Servius Romanorum Rex duas Centurias Fabrorum electorum primæ classi addidisse memoratur, qui machinas in bello ferrent, ac sine armis stipēdia facerent. *Livius lib. 1. ab Vrbe.* Optimum igitur videri debet inter Artifices Magistratus eligi peritissimos quosque, qui peritos ab imperitis discernant: arma ingeniosè composita, rejectis inconcinnis, ac inutilibus eligant: quibus item non modò patienti animo, sed & ultro omnes pareant: qui omninò decernant, quid recipi, quidve rejici jus fuerit. Si quis autem multarum artium peritus multis Collegijs initiari, & laborem in diversa impendere, hinc Magistratibus fungi velit, illum admittemus: licet hæc caussa sit, quæ in dubium non immeritò revocari queat. Etenim lingua tum ad gustum, tum ad loquendum: dentibus item ad loquendum, & ad mandendum utimur. Sint licet pluribus rebus intenti sensus minores ad singulas. Sit hinc, illincq; distractus animus, ad utrumq; minùs excitatus: poterunt tamē tanta esse hominis merita, tāta eruditio, tam inexhaustum ingenium, ut nō pluribus tantùm satisfecisse, sed etiā minima cum invidia plurimos honores cōsequi debere fateamur.

Sed

Sed quoniam hoc loco de armis aliqua meminisse nobis est propositum, non prætermittemus, apud Romanos, Arma, signum vocale præliorum fuisse. Ii enim, orta seditione, quoties capessenda arma erant, conclamabant, ad arma. Quæ vox aliquando à Germanis militibus malè intellecta in vocem Barbaram, & vulgarem illis mutata est, lerma. Consueverunt namque cantu truci, & more patrio (ut suprà dictum est) prælia ineuntes, lerma, lerma, clamare. *Cornelius Tacitus lib. 18.* Nos autem, alarma, quasi ad arma conclamamus. Sunt insuper ea arma signa non vocalia. Nam Romani milites solebant antiquitùs, cùm prosperitatis indicium plenum ostendere volebant, scuta genubus illidere. *Ammia. Marcellinus lib. 15.* Cùm verò hastis clypeos feriebant, iræ signum maximum erat, & doloris. Milites etiam, si capita clypeis subjiciant, deditionis signum & credi, & haberi solet. Quo modo Afranius, & Petrejus ad interiora usque Iberiæ loca à Cajo Cæsare persequuti, atque tam alta fossa præpediti, ut ulteriùs transire prohiberentur, capita clypeis supposuerunt: atque ita deditionis signum demonstrasse, herbamque (ut ajunt) porrexisse memorantur. *Appianus libro 2. de Bello civili.* Porrò si quis animadvertat milites in acie clypeos clypeis, enses ensibus, arma denique armis conjungere, ut indisso-

lubi-

lubili nexu colligata esse putentur, is profectò militarem disciplinam probare debet, & extollere. Nam Philippus Macedo, ut militarem disciplinam emendaret, multa invenit, & exemplum sumsit ab Heroibus, qui in bello Trojano clypeos clypeis conjungebant. Atque ita primus ordinem illum junctissimum Phalangis excogitavit. *Diod. Sicul. libr. de Gestis Philippi.* Hîc armorum genera à rei militaris Scriptoribus passim percursa enumerare nolo: satis verò sit, armorum genus, quo antiquitùs Romani usi sunt, levi manu attigisse. Qui igitur in Legione Romana natu minimi erant, pila, parmamque gestabant. Parma tutando corpori satis erat: nam rotunda cùm sit, tripedalem habet diametrum. *Polybius lib. 2. De Roman. castramet.* Ornabatur præter id Miles simplici casside: cui lupi pellem, aut aliquid ejusmodi, quod insigne esset, imponebant, ut suos Princeps strenuè, ac gnaviter se gerenteis facilè dignosceret. Pili telum lignum habet longitudine bicubitali, digitali crassitudine, spiculum unius spithamæ eò usq; attenuatum, ut mox ad primum jactum flectatur, sitq; inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum. Hastatis porrò, qui hos ætate antecedebant, armatura erat clypeus: cujus latitudo curvæ superficiei pedum erat duorum, & semis: longitudo pedum quatuor: duplici tabulato,

glutino taurino, linteolo infuso, compactus: exterior superficies Vituli corio integebatur: circumferentia habebat ferreum munimentum à summis, imisque partibus, quò ensium ictus vehementiores tutiùs exciperet: impactus est etiam clypeo ferreus umbo, qui lapidum, sarissarumque impetum sustinet. Cum clypeo ensis ad dextrum femur pendebat (Hispaniensem vocabant) anceps erat mucrone eximio. Adhæc veruta duo, galeaque ænea, & crurum tegmen ocrea. Veruta hæc tenuia partim, partim crassiora: longitudo tria cubita non excedebat: singulis junctum erat telum ferreum, hamatum, eadem cum ligno longitudine. Præter hæc, ornabantur pennis tribus aut nigris, aut puniceis erectis, longitudine cubitali. Quò fiebat, ut Vir duplo major appareret, ac forsitan eò magis terribilis. Nonnulli pectori armaturam addebant, vocabantque cordituum. Idem modus circa Triarios erat, præterquàm quòd hastas pro verutis gerebant. Equites autem ad modum Cyri adversùs Crœsum ducentis exercitum cum tunicis puniceis. Thoracibus, atq; Cassidibus æreis, Conis albis, gladijs, Pilo, Casside ornati: Equi quoque frontalibus, pectoralibusque æreis, atq; latteralibus. Signum ijs erat Aquila aurea appendens hastæ longæ. Quod signum apud Persas in longum posteà tempus perdu-

perduravit. Francos autem (ne Nostratum obliti videamur) diverso antiquitus armorum genere usos legimus. *Xenophon lib. 7. in Pædia Cyri.* Et verò, ut illis in Romanorum mores omneis, ac verba jurare, non placuit: ita quis eos eo armorum genere, quo exercitatiores sunt, quo hostem ferire, & se protegere cautiùs didicerunt, uti prohibeat? Scythæ enim & Thraces non audebant scutis, & hastis adversus Lacedæmones pugnare: nec Lacedæmones adversus Thracas telis, Scythasvé arcubus certare voluerunt. Igitur, ut testantur Historiæ, Francis, Gothorum temporibus, tenuis erat, & neglectior armatura: *Agathias libr. 2. De bello Gothorum.* non thoraces, non ocreas noverant: plerisque in bello detecta erant capita: pauci admodum operti Casside: ensis à femore lævo, à latere scutum dependebat: Arcus, Funda, & tormenta hujusmodi tela, saxáve torquentia iis insueta erant: gestabant autem dolabras, securesq; ancipites, & brevia tela pro patria consuetudine, quæ ipsi Anconas vocabant: quibus res magnas, cùm opus erat, gerebant, præsertim cùm pede collato certabatur. Hujus teli pars major ferro obducta est, ita ut ex hasta, præter capulum totũ, vix quicquam proferatur: in superiori parte ad ferri aciẽ recurvi sunt hami: & laminulę prępacutę ad teli partẽ inferiorẽ divertebant. Id teli genus in ipso

ſtatim congreſſu emittebant hoc pacto, ut, ſi altiùs inhæſerit corpori, ſubeat mox & acies ipſa hamata, unde telũ avelli nequeat. Quòd ſi impactum clypeo id telum fuerit, mox ex eo pendulum hæret. Tunc ea erat conſuetudo, ut, ubi affixum telum viderant, ſtatim impetu facto, ac capulo, quod pendet, pedibus conculcato, ſcutum, cui inhæſerit, perfringant: dein geſtanti caput denudetur, & pectus. Quod teli genus, ac certaminis præterire nolui, quia veluti Romani nihil prorſus ſuarum rerum prætermiſerunt, quo gloriam immortalem, perpetuamq; memoriam adipiſcerentur: ita ego res noſtras memorabileis in poſteritatem commendare, laudabile, decorumque exiſtimavi. In quo ſi tibi primùm, deinde cunctis Militibus ſatisfecero, Militum jura, armorumque vim, ac naturam (quod noſtrum erat propoſitum) ſatis exactè tractaſſe me putabo.

CLAU-

CLAUDII COTERÆI TURONENSIS JURISCONSULTI CLARISSIMI,

De

OFFICIO IMPERATORIS

LIBER SINGULARIS.

STEPHANUS DOLETUS.

SI proximos superiores Libros legeris,
Non tu quidem ignoras parteis, privilegia,
Et Iura Militum. Librum sequentem lege:
Scies tum etiam facilè, & probè, quæ sunt posita
In Imperatoris vel arte, vel officio.
Agedum, tibi dicata perge pernoscere.

LIBRI SINGULARIS DE OFFICIO IMPERATORIS

Ordo.

Imperatoris officia versantur in Consideratione, & Actione.

Consideratione

Sui ipsius,
Aliorum.

Actione

Qua vel Per se, *vel* Per alios *capta consilia exequitur.*

Cognitio Suiipsius.
Autoritas Imperatoris

A claritate generis.
A celebritate loci.
A nobilitate animi.
A Scientia.
A felicitate.

Imperatoris scientia unde paratur.
Imperatoris sapientis officia.

Consultatio

de
Bello.
Pace.
Fœderibus.
Pecunia.

Con-

CONSIDERATIO ALIORUM.

Benevolentia colligenda,

Ducum.
Municipalium.
Militum.

Quomodo?

Spe.
Promissis.
Liberalitate.
Magnificentia.

Cognoscendi

Obtrectatores.
Salutatores.
Assectatores.
Adulatores.

Opinio de se excitanda.

A
Sodalibus.
Serviis.
Beneficiis.
Assectatoribus.
Simulatione.
Fortuna.

ACTIONIS PARTES PRÆCIPUÆ.

Ante prælium.

Castra commodè locanda.

Consilia occultanda.
Exploratores necessarij.
Simulatio.
Cunctatio.
Religio militibus inijcienda.
Incursiones.

In prælio.

Necessitas pugnæ imponenda militibus.
Fraudibus decipiendi hostes.
Sol, Ventus, pulvis observentur.
Acies quomodo struenda.
Quo loco esse debeat Imperator.

In oppugnatione & obsidione Urbium.

Commeatus intercludendi.
Fluvij derivandi.
Cuniculis utendum.
Muri tormentis, & machinis diijciendi.
Irrumpendum posteà viriliter.

In obsidionem, & oppugnationem necessaria.

Commeatus copia quamplurima.
Murus muro aggerendus, lignis transversis interpositis.
Propugnacula facienda.
Saxa.
Ligna.
Centones ad reficiendos muros.
Bitumen.

Sal-

Sulphur.
Pix liquida.
Oleum incendiarium.

Post prælium.

Si victus est.

Adversa resarcienda.
Dubii militum animi in fide retinendi.

Si vicit.

Non superbiendum plus solito.
In publicam utilitatem omnia facienda.
Stipendia diligentiùs persolvenda.
Præda in singulos dividenda.
Nihil propter victoriam de arte, & ordine militari remittendum.

DE OFFICIO IMPERATORIS LIBER SINGVLARIS: *Claudio Coteræo Turonenſi Iuriſconſulto Clariſſimo Autore.*

INstitui, R. P. quandam Officiorum Imperatoris formam: quam his libris de jure, & privilegijs Militum adjungere operæ pretium duxi. Neq; ſanè mihi priùs ſatisfeciſſe viſus ſum, quàm & Juriſconſulto, & Philoſopho digna ſcripſiſſem. Simul quoque non parùm animi mihi ad eam rem ſuſcipiendam addidit Philoſophorum, quotquot antea fuerunt, negligentia. Qui, cùm rerum omnium naturas, virtutes, felicitatem, Reſpublicas abundè deſcripſerint, ea tamen penè omiſerunt, aut non ſatis articulatè demonſtrarunt, quibus humanæ vitæ ſocietas continetur. Etenim cùm aliud ſit contemplari, aliud verò agere, vitaque noſtra omnis non ſolùm in contemplatione, ſed & in actione verſari debeat, alterum ſine vitio prætermiſiſſe non videntur. Platoni quidem, & Ariſtoteli, qui officiorum omnium fonteis nobis aperuerunt, multum certè debemus. Verùm illi tanquam ad contemplationis ſcopulos inhærere ſatis habentes, in actionum campum lentè ſe, faſtidioſeque

ſeque

seque dederunt. Hercule Isocrates in Orationibus suis ad Demonicum, & Nicoclem, Cicero quoq; in suis Officiorum libris multa subtiliter pertractarunt, sed ea ijs quidem angustijs, atque brevitate, ut plurima adhuc à nobis desiderentur. Ex divinis illis Autoribus non pauca me desumpsisse profiteor: civilis tamen vitæ officia me pluribus illustrasse documentis, haud dubiè affirmabo, daturus aliquando majora, si conatibus nostris pro tua humanitate non defueris.

RES HUMANAS autem certis finibus circumscribi, certoque cursu, quem conficiant, terminari, nemini omninò dubium est. Illæ verò quò frequentiores mutationes faciunt, quæ ad sua principia totæ referantur, eò diutiùs suo in statu manent, tardiusque labefactantur. Etenim taleis immutationes, cùm renovationem quandam pariant, ipsaque innovatio tum ad augmentum rerum, tum ad conservationem plurimùm faciat, rerum illarum perpetuitati non minimùm conducere arbitramur. Rectè quidem Philosophi (ut est apud Alphenum Jurisconsultum) ajebant, ex quibus particulis minimis cõsisteremus, eas quotidie è nostro corpore decedere, aliasq; extrinsecus in earum locum succedere: quòd nisi corporibus aliquid in dies singulos adjungeretur, & diminueretur, hæc membrorũ compago cõtinuò

seipsam

ſeipſam diſſolveret. Neque verò iſtam mutationem imprimis neceſſariam, vel utilem putamus, ſi non ad ipſa rerum principia quàm proximè referatur. Nam quemadmodum res omnes à Deo Optimo Maximo in perfectiſſimo ſtatu creatæ ſunt, ita etiam principijs rerum naturalis quędam ineſt bonitas, quæ momentanea ſucceſſione ſenſim ſic diminuitur, ut niſi ijs immutationibus, ac reductionibus rerum ad ſua principia ſuſcitetur, tandem aliquando peritura ſit. Eam ob rem, ſi quis perfectum Imperatorem in excellenti perfectionis forma conſervare deſiderat, huic licet pro temporum qualitate modò adimendum, modò adhibendum ſit aliquid, attamen ad eas regulas, è quibus omnis perfectio emanavit, illam reduci oportere ſtatuimus. Cùm autem præcipua perfectionis pars à Juris obſervatione ducatur (quam ſuperioribus libris cumulatè abſolvimus) altera nunc à reliquis Imperatorum Officijs hoc libello trahenda eſt: ſed eo quidem modo, ut ne latum unguem à principiorũ æquitate recedere videamur. Quod facilè nos aſſequuturos pollicemur, ſi, ut jamdiu propoſuimus, Antiquorum res geſtas memorabileis diligenter intueamur. Quas etſi noſtri Imperatores ſuis facinoribus æquare nequeant, illarum tamen perfectam ſpeciem ita ſtatuemus, ut, non ſecùs

ac in

ac in speculo, umbram, quam illi sectentur, dilucidè perspiciant. Sanè quidem si nobis statutum esset, res præsenteis, ac recentioris seculi sequi exempla, odio, & invidia (communibus hominum pestibus, quibus antiquæ res carent, præsentes verò torquentur) minimè profectò careremus. Antiquos enim cum offendere non possumus, tum illi nullam omninò conflandæ invidiæ caussam nobis suppeditant. Prætereà si quid illorum famæ, æternitatique nominis detrahi potuit, id planè à Scriptoribus præteritum est, ac neque dum literarum beneficio nobis cognitum esse potuit. Non tamen existimes velim, id tantùm à nobis tradi, quod à Romanis præcipuè observatum legimus: nam illa Officiorum perpetua regula, quam quærimus, nunc ad Romanos, nunc ad Græcos, Assyrios, Mœdos, Persas (quæ est inconstans rerum vicissitudo) ita excurrit, ac divagata est, ut uno in loco diutius pedē fixisse haudquaquam reperias.

Primùm igitur ea omnia officia Imperatorum, quæ hinc, illincque colligere potuimus, in duo genera distribuenda sunt: quorum alterum in considerando, alterum in faciendo consistit. Prioris verò generis officia, de quibus est nobis primo loco dicendum, tum in suiipsius, tum in aliorum consideratione versantur. Quorum alterum, ut alte-

altero prius natura esse debet, ita & omnium Officiorum, quæ ad institutionem vitæ communis spectare videntur, principium, atque originem constituimus. Etenim nisi quis seipsum, suasque vires accuratè cognoverit, non facilè fiet, ut aliorum mentem, roburque vel perspicere, vel apud se reputare queat. Si quis verò in suiipsius consideratione sæpenumero versatus interiora sua non secùs, ac suos ungues, cognoscat, tum affectus suos, tum opiniones, tum conatus sic diriget, ut, quod appetit, id semper consequatur, ac nequaquam incidat in illud, quod vehementer declinaverit. Quam ob rem me hercule pulcherrimum est, in quascunq; res inciderimus, actutum in memoriã revocare, quantum viriũ ad id colligere possimus: quæ sint circa ea nostri animi dotes: cujusmodi sunt ad voluptates, continentia: ad convitia, patientia: ad labores, robur. Est autem valdè difficilis, obscuriorque animi nostri notio. Si enim, quod nunquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus, certè & animi virtutes cogitatione complecti, erit difficilè. Quod ut assequatur noster hic Imperator, intrare oportet in suiipsius cõsiderationem, & animo animum pervidere, atque pernoscere. Nam si qualis sit animus, ipse animus nesciat, ille ne esse quidem se sciet, ac ne moveri

veri quidē ſe. Neq; verò Pythij Apollinis præceptū præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam, figurámve cognoſcamus, ſed animum. Corp⁹ enim vas quoddā eſt, & animi tantùm receptaculum. Quantum autē magni ingenij ſit, revocare mentem à ſenſibus, & cogitationes à conſuetudine abducere, jam inde antiquitus eſt cognitū. Nihilominus tamē ſi quid Impator moliri, aggredíve deſiderat, re primùm diligenter perſpecta, tum conſiderare oportet, & ſecū conſultare, nūquid operi ſuſcipiendo vires ſuppetant: illíve neceſſarias res abundè parare poſſit. Nimirū qui Pugiles in certaminibus luctaturi erāt, brachia, lumbos, femoraq; inſpicere oportebat. Atque ij, quibus propoſitū erat in Olympijs victoriā, panopliamque reportare, ad certamen imprimis inſtituebantur, abſtinebant condimentis, cibis ad præſcriptum modum veſcebantur, hora conſtituta exercebātur in æſtu, in frigore, frigidam non bibebant, neque vinum, ſi ita ferebat res. Porrò aſſueſcebant in manu interdum vulnerari, talum diſtorqueri, quandoq; virgis cædi, aliquando ſuperari. Ita Imperatorem in ſingulis ſpeciatim examinare oportet, quid ipſe poſſit. Nam cùm multa omnibus parens omnium rerum Natura communiter largita ſit, tum aliquibus nonnihil ſeparatim favore quodam ſingulari indulſiſſe; in quo præcipuè excellerent,

planè

planè cognovimus. His ipsis in eo, quod probè norint, se exercere, & illud aggredi, haud dubiè conceditur. At verò ista suiipsius consideratio, è qua certa Officiorum genera nascuntur, certis particulis à nobis discutienda est, & articulatè de singulis disserendum.

Ac primùm quidem cùm materia, in qua versemur, sit, bellicorum officiorum rationem tradere, ac, quid Imperatorem in unoquoque genere facere oporteat, docere imprimis instituerimus, ab eo, quod præstantius, digniusque in Imperatore videtur, nobis est incipiendum. Omnis autem dignitas vel à claritate Generis, vel ab animi nobilitate trahenda est. Ex ijs duobus alterum, cùm usus ipse, longaque observatio nos docuerit, priori loco ponendum est. Tum verò claritati Generis non minimum tribuimus omnes. Nam quemadmodum multùm valet apud nos clarorum hominum de Republica meritorum senex memoria, ita etiam, cùm utile sit, Nobileis viros esse dignos Majoribus suis, Nobilitati semper favemus. Ideóque superioribus libris ne Servos quidem ullos in militiam nostram ascribi voluimus. Adhæc ipsa Generis Nobilitas militum animos vehementer allicit, opinionesque hominum blandè conciliat, & vulgi favorem. Quæ res est Imperatori vel maximè necessaria,

ria, tum ut autoritatem ſuam confirmare, tum ut nomen ſuum, gloriamq; amplificare valeat. Proinde ſi conſiderare velimus, quantam vim Naturæ vera Nobilitas habeat, non ſolùm ad memoriam laudum domeſticarum, ad nominis illuſtrationem monimenta quædam, & quaſi ornamenta ſuggeret, ſed etiam ad Majorum integritatem, è quibus in nobis ingeneratæ, vel derivatæ virtutes eſſe videntur, majorem in modum revocabit. Et certè velut eſt in quibuſdam agris, arboribus, plantis naturalis quædam fertilitas, qua uberiorem fructum proferunt, citiùs coaleſcunt, minori fermento lætificantur: ita & in hominibus, ut modò efferatur, modò dejiciatur Genus per generationem. Quanta autem vis generis exiſtat, ex hoc intelligi maximè poteſt, quòd illius propria videatur eſſe Majorum virtus: perinde quaſi produci, creſcere, vigere, & seneſcere cum genere debeat. Hinc Nobiles illos generoſos appellamus, qui à natura generis non receſſerunt. Sanè profectò generoſa Majorum Nobilitas igniculos addit ad virtutem: neq; facilè ſinit per eum, qui in antiquiſſima familia educatus, bonis Parentibus, honeſtiſque natus eſt, ſui Generis gloriam tantillùm deformari. Ergo Imperatoris animum excitabit ad Virtutum ſtudia, quæ illi quodam modo à Patribus innata videntur. Porrò generoſi Patres, qui filios

lios educant, non solùm confirmationi corporis, sed & animorũ perfectioni dant operam: quorum alterũ si contigerit, alterũ item consequi oportet. Nam Medici contendunt, animi mores corporis temperaturã insequi. Apud Antiquos autẽ qualis fuerit Nobilitatis observatio, inde prorsus colligim⁹, quòd apud Lacedæmones uxores Regũ publicè ab Ephoris custodiebantur, ut, quantùm fieri posset, Rex non ex alio, quàm Heraclidarum Genere, latenter oriretur. Potest autem duplex Nobilitas Imperatori contingere Gentis, vel Civitatis, cùm scilicet indigenæ vetustissimi sunt, ac Duces illustres, multique ex ea Gente in rebus, quæ expectantur, præclari extiterunt. Potest & altera, quæ est à Parentibus legitima procreatio: quam hìc desideramus. Si tamen ut à civitate, ita & à privata nobilitate, claritate, & splendore Generis Imperatorem nostrum celebrari senserimus, ipse quoq; hanc natalium celebritatem præstare contenderit, inde adeò magnam Officiorum partem deducere, erit perfacilè. Veruntamen cùm hujus generis Nobilium ij maximè mores sint, ut ambitiosiores eos videamus, qui Nobiliores sunt, ea Nobilitas sola in Imperatore nobis non satisfaciet. Est enim ea communis omnium natura, ut, si quid nobis adest, ad id nonnihil adjungere, & coacervare soleamus. Et verò Nobilitatis com-

commune malum est, ut ijs insit contemptor animus, & superbia. Horum itaque mores si ad nimiam ambitionem incubuerint, illa eò abundabunt, ut molestia, quæ vix imminui possit, omneis graviter afficiant. Hinc eam Generis claritatem eatenus in Imperatore laudamus, quatenus accedat illi virtutum Nobilitas. Etenim nihil refert, Majorum suorum stemmata ostentare, Bullam habere in pectore, Lunulam in pedibus gestare, nisi animum quoq; Nobili virtutum genere ornatum habuerit. Placet igitur, majora esse ea officia, quæ ex animi Nobilitate, quàm ea, quæ ex claritate Generis ducuntur. Idque perfacilè intelligi potest, cùm hæc sola haud quaquam eluceat, ac ne ullo quidem in numero apud Philosophos habeatur. Illa verò, quæcunq; ad honestatem pertinent, officia abundè subministrabit, neq; quodammodo manca existet, si eam Generis claritatem non consequatur. Nam certè Cyrus à Perside Fœmina sublatus totius Asiæ dominium adeptus est. Nónne Conon infortunatus, Dionysius inglorius ab humili Stirpe, Alcibiades transfuga res bellicas multas, atque memorabileis gesserunt? Enimverò si res à nobis diligétiùs spectanda est, putásne Lacedæmoniorum Reges Atheniensibus Nobiliores extitisse? Illi sanè ab Hercule, ij verò à Dedalo originem traxisse feruntur. At omnes à Jove,

Jovísve filijs descénderunt. Ac neque Reges tantùm, sed & mediusfidius quotquot sumus, à Jove. & in Jovem Generis nostri primordia referre conamur. Nihilominus tamen Imperator splendori Generis animi Nobilitatem adjungens, primùm honestatis fontem, nec non Officiorum, quæ inde trahenda sunt, pleniùs assequetur. Omnis autem animi Nobilitas, atque perfectio à quinque Animæ nostræ dotibus nascitur: videlicet Arte, Scientia, Prudentia, Sapientia, & Intellectu. Quæ quanquam inter se sint colligata, atque implicata, nos tamen Artem, Scientiam, & Intellectum confundentes, tria hæc tantummodò membra faciemus, Scientiam, Prudentiam, & Sapientiam: è quibus singulis certa Officiorũ genera deducemus, eaq; omnia, quæ in nostra ipsius consideratione versantur.

Quoniam igitur perfectum Imperatorem intelligere primùm oportet, quæ sit scientia, quæve sit ars militiæ, earumque celerrimè videre, & explicare rationes, primo loco de Scientia tractandum est. Cujus officia in eo versantur, ut exactè illũ scire oporteat, quæcunq; ad militiam spectant: neq; præterea rem aliter se habere posse, quàm secundum suam scientiam. Ergo omnia principia illi sic nota esse debent, ut exitum negocij necessariò ita sequi oporteat. Hæc autem ut planè

adi-

adipiſcatur, non parum proderit, ab ineunte ætate bellis maximis cum acerrimis hoſtibus interfuiſſe: ſæpiùs cum hoſte conflixiſſe: ad hanc rei militaris ſcientiam non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs: non offenſionibus belli, ſed victorijs: non ſtipendijs, ſed potiùs triumphis traductum fuiſſe. Adhæc varia, & diverſa bellorum genera ſubiiſſe: nullam deniq; rem eſſe, quæ hujus Imperatoris ſcientiam effugere poſſit. Ita me hercule fiet, ut is continua bellorum agitatione non tantùm id ſciat, quod ab alijs didicerit, verùm & illud, quod ſuo Marte invenerit. Atq; quemadmodum facilè eſt unicuiq;, qui præſtanti ingenio abundaverit, aliorum inventis aliquid addere, ita & Imperatori multò facilius eſt, ſuorum inventorum cumulis nonnihil adjungere. Nam quò intentiùs animum rei militari applicabit, eò diligentiùs imaginabitur, inveniet, adjiciet: &, quicquid didicerit, tenaciùs infiget ſuæ memoriæ. Addamus itaq;, cum rei militaris peritia rationes ejus ſcientiæ curioſa inveſtigatione perſcrutandas eſſe: ſimul & Arithmeticam, & numerorum proportiones pernoſcere Imperatorem oportere: ſi modò velit aciem ſtruere, Milites ordinare, bellum conficere: imò verò ſi utique homo futurus eſt. Nempe Palamedes in Tragœdijs ea de cauſſa Agamemnonem ridiculum Ducem appellabat, quòd

eſſet numerorum ignarus: ipſe verò cùm ad Trojam belli acies ordinaviſſet, tum profitebatur ſe numeri inventorem extitiſſe. Caveat autem hic noſter Imperator, ne illa ſe ſcire putet, quæ penitus ignorat. Tunc enim extra ſe efferretur, neque ſeipſum (ut propoſuimus) plùs, minúsve conſideraret: ideoque Delphico Oraculo non ſatis illum auſcultaſſe cenſeremus. Enimverò niſi ita ſe geſſerit, ut non illud ſcire ſe arbitretur, quod penitùs ignorat, non continebit ſe in officio, & in multos errores, varioſque prolabetur. Eſt enim vehementer pernicioſa hæc opinio, & ignorantia: atque quò circa majora verſatur, eò deterior eſt, & turpior. Quæ autem major cauſſa, quàm Reipublicæ ſalus? quid præſtantius publica utilitate? quid antiquius militari ſtudio? Qui verò ut res ipſas ignorant, ita & illas ſe ignorare intelligunt, aliorum fidei, ac induſtriæ, ut plurimùm, ſe committunt, neque in tantos errores incidere mihi poſſe videntur. Quapropter ij ſoli ex ignorantibus ſine culpa vitam agunt, qui ſuas curas, atque negocia aliis prudentioribus commiſerunt. Neq; item Imperatorem bellorum cauſſas præcipuas duntaxat noviſſe oportet, ſed quaſcunq; etiam vel leviſſimas. Nimirum rerum omnium cauſſas altiùs intuentibus perplura leviſſima prætereunt: quę ſi ferè negligãtur, non mediocre damnũ

ſtatim

ſtatim afferunt. Hinc Thracenſis quædam Ancilla Thaletem, dum cœlum ſuſpiceret, delapſum in foveam ſcitè admodum deriſit, & carpſit, quòd, quæ in Cœlo ſunt, ſapienter prævideret: ea verò non cerneret, quæ oculis eſſent objecta, atque adeò vicina pedibus. Et ſanè is eſt communis omnium Philoſophorum error, non ſolùm, quid finitimi, ac proximi Vicini agant, ignorare: ſed ferè etiam, hominésne ſint, an bruta. Similiter ſi quis vituperandus eſt, nihil habent expeditum, quod in opprobrium afferant, utpote vitiorum ignari, improbitatis, impietatis, conviciorum, denique ſcelerum omnium, quæ Oratorem deguſtare, reguſtaréque oportet, prorſus expertes. At in laudandis hominibus multò minus poſſunt. Nam præterquàm quòd vel diſſimulare, vel connivere cautè nequeunt, ſimul etiam apertè rident omnia. Demum cùm illi beatitudinem humanam, atque miſeriam ſtudiosè, ſeduloque contemplantur, à miſerijs, & calamitatibus vindicare ſe non poſſunt, ac vertiginem quandam, non ſecus ac illi, qui ab alta ſpecula caligantibus oculis proſpiciũt, pati, morboque gravi intabeſcere cenſentur. Atqui Imperatoris longè alia debet eſſe conſideratio: cujus pleraque officia nunc in laudando, nunc in vituperãdo conſiſtunt. Nobiliũ quidem militũ animi laudibus alliciũtur:

ignobilium verò sic terrentur vituperatione, ut nonnunquam, cùm se despectui haberi intelligant, vires, animumq́;, quem abjecerunt, recolligant, & ita militarem exercitationem majorem in modum amplexentur. Itaq; Imperatoris officium est, non solùm scire, quot Legiones, quótve Cohortes habeat, quantum illæ valeant, sed etiam quid quisque Miles seorsum possit, quid item cum alio, quidque insit in qualibet militiæ particula. Etenim populus Romanus cùm voluisset quatuor Tribunos consulari potestate tàm è Nobilium familijs, quàm è plebe eligi, ventumq́; esset ad suffragia, consensu plebis quatuor Nobiles creati sunt. Ita plebs, quæ idóneos viros se habere arbitrabatur, qui ad Magistratum assumi possent, ubi ad unum omnes separatim examinati sunt, spe sibi próposita valdè admodum frustrata est. Hinc præclarè Livius: Illam modestiam, æquitatemque, & altitudinem animi ubi nunc in uno invenias, quæ tunc populi universi fuit? Militaris item scientia (quam rectiùs secundum Philosophos artem appellabimus) in inventione, & contemplatione tota versatur. Nam scientem Imperatorē simul etiam, quónam pacto fiat aliquid, quod & esse, & non esse potest, pernoscere oportet: atque artis hujus principium non in eo, quod efficitur, sed in ipso est faciente. Ars enim in ijs,
quæ

quæ necessariò fiunt, esse non potest: neque in illis quoq;, quæ secundùm naturam fiunt, cùm illa in seipsis suam habeant originem. Ideoq́ue ars militaris, & fortuna circa idem quodam modo versari videntur, ac non sine ratione dixisse Agatho:

Quippe Ars Fortunam, Fortunaq́ue diligit Artem.

Sed de Fortuna suo loco tractabimus. Ars autem militaris (dum eam à scientia secernere placet, & Aristotelici esse volumus) in eorum cognitione consistit, quæ aliter, atq; aliter se habere possunt. Scientia verò eorum est, quæ demonstrari possunt, suntq́ue certissima. Cumq; scientis Imperatoris officium sit, principia, rationesq; eorum; quæ vel necessaria sunt, vel contingentia, intelligere, illi ipsi intellectum tribuemus, qui in talium principiorum cognitione manebit. Nos igitur hoc pacto tria hæc membra, Scientiam, Artem, & Intellectum segregata in unum corpus confundimus. Nam si, quæ ratione carent, sciri non possunt, scientia præjudicat rationes in intellectu extitisse. Is quoque, qui accipere, & reddere rationem nequit, penè inscius est: si rationē assequitur, veram scientiam adeptus est. Agedum, quæso, quænam absque ratione erit scientia? Ad extremum, Imperatoris scientia, quę & arte, & intellectu corroborabitur, eò loci habenda est, à quo omnium Officiorum principia deduci de-

bere videntur. Ac de prima quidem animæ dote, præcipuoque divisionis nostræ membro diximus. Reliquum est, ut duas parteis, quibus suiipsius consideratio continetur, breviter perstringamus. Aut enim in re militari plura sunt, quæ immutari non oportet, & quæ certò ita casura sunt: aut plura item, quæ aliter accidere possunt, & immutari. In ijs duobus sapientiam, & prudentiam constituimus. Ac priori loco de sapientia, quæ in ijs, quæ aliter cadere non possunt, versatur. Ut autem quisque dilucidè cognoscit, quæ sint cujusque rei rationes, & principia, & illa potest tum videre, tum explicare, ita sapientissimus haberi solet. Quocirca ex scientia, & intellectu rectè componi videtur sapientia: ac ferè nihil aliud est, quàm ipsius artis perfectio. Nam antiqui Phidiam sapientem Sculptorem: Polycletum sapientem Statuarium dixerunt.

Erit igitur Sapientia Imperatoris, Scientia quædam militaris perfectissima. Etenim illius Officium est, rationes scientię contemplari, ac esse continuò in inquisitione, cognitioneq; earum rerum, propter quas sic Acies instrui, disponi, Hostes oppugnari, Urbes expugnari, defendíve debeant. Atque si ab honesto (ut vult Cicero) bona pars Officiorum deducenda est, sapientem Imperatorem esse oportet, cùm ille perfectum, & absolu-

tum

tum Officium, præter ſapientem, in quemquam cadere non poſſe aſſerat. Honeſtum enim in ſolis ſapientibus eſt. Item cum perpetuò ſapientiam bona omnia ſubſequuntur, tum eam etiam ſummi honores manent. Nam (Alcidamas inquit) omnes quomodocunque ſapientia claros honorant. Nimirum Parij Archilochum, quanquam eos vituperaſſet, honoribus tamen proſequuti ſunt. Chij Homerum: quamvis Civis eorum non eſſet. Mytilenei Sapphon: etſi fœmina fuerit. Itali Pythagoram: Lampſaceni Anaxagoram, peregrinos magnificè ſepelierunt, & in hunc uſq; diem venerantur. Sapientia namque in honoribus comparandis, augendisque vehementer elucet: unde Imperatoribus venerari, diligi, revererię; perfacilè contingit. Maximus autem ſapientiæ ſplendor (ut diximus) eſt in rationum contemplatione, è qua hæc præclara officia deduci queunt, ut ſcilicet caveat Imperator, ne decipiatur: &, ne fallatur, probè videat: præterita gratè meminerit: in præſentibus animadvertat, quanta ea ſint, quamque jucunda: ex futuris non pendeat, imò verò illa expectet: &, cùm inſipientum Imperatorum res geſtas cum ſuis comparabit, magna perfruetur voluptate. Adhæc nihil, quòd pòſt feciſſe doleat, faciet: ſi quid adverſũ acciderit, ut novũ, & inopinatũ nõ admirabitur.
Sed

Sed quoniam fieri nequit, ut non lætemur prosperis rebus, doleamus autem ex adversis, si quam calamitatem exercitus acceperit, vel sinistrum aliquid illi acciderit, sapientis Imperatoris officia sunt, non solùm suam, sed & militum molestiam, ægritudinemque levare. Quomodo autem Milites suos recreare debeat, alio loco tractabitur. Suam verò molestiam rerum futurarum præmeditatione (ut sunt sapientiæ munia) protinus mitigabit. Nam nihil est, quod tam minuat ægritudinem, quàm perpetua in omni vita cogitatio, & conditionis humanæ meditatio. Neque enim, si Fortunæ naturam, bellorum varietatem, hominum imbecillitatem cogitat, illi continget, ut doleat. Eoq; modo Imperator proprio sapientię munere fungetur, & in adversis casibus hac consolatione sustentabitur, quòd rem ita accidere posse, jampridem cognoverit: quòd fortunas ferendas intelligat: quòd à natura nobis insitum esse, ut dolores prorsum extorquere nequeamus, sapienter pręviderit. Sic ille contractas omneis molestias simul primùm extenuabit, vel diluet. Proinde si noster hic Imperator perfectam illam sapientiam (quam Cicero in Academicis perpetuam in se habere constãtiam affirmat) assequi non potest, in medio sapientiæ cursu insistet. Illa sanè perfectio ad militarem facultatem, cùm propria commoda,

moda, quæ in bellis spectanda sunt, minimè sectetur, non admodum pertinet. Sunt tamen quædam media sapientiæ officia, in quibus tum versari, tum immorari Imperatorē oportet. Planè quidem nec M. Cato, nec C. Lælius, ac ne illi quidem septem Græciæ habiti sunt sapientes, & nominati, ut volumus: sed in medio sapientiæ consistentes similitudinem quandam gerebant, speciemque sapientum. Sequebantur enim civilis vitæ officia, neque in continua rerum contemplatione defixum animum habebant. Neque verò antiquitas Herculem in Deorum numerum retulisset, nisi ob beneficiorum collationem: neque, si solitudinem, ac, Philosophorum more, privatam vitam elegisset, in Deorum numerum esset assumptus. Atque hoc de sapientia satis ferè diximus.

Sequitur, ut de prudentia (animæ dote, tertioq; nostræ divisionis membro) subjungamus. Differt autē à sapientia, quòd à contemplandi genere ad actiones convertatur: versatur namque in consilijs earum rerum, quæ aliter, atq; aliter se habere possunt. Ideoque in turbulentis rebus, in erroribus illam sæpè cum fortunis immergi necesse est, & consultatione in rebus dubiis uti. Ea verò eò spectabilior est, quò actiones humanæ magis ac magis spectandæ proponuntur, latiusque nostris oculis sunt expositæ. Itaque

pru-

prudentis Imperatoris officium latissimè patet in bona, rectaque consultatione adhibenda. Is autem recti consilij fontes aperire mihi posse videtur, qui eorum, quę sub actionem cadunt, id quod est optimum, mente potest percipere. Nemo enim ferè consultat de ijs, quæ aliter se habere non possunt: Neque item de ijs consultamus, quæ nobis prorsus sunt cognita. Is namque, qui consilium instituit, res ipsas dubias imprimis perscrutatur, simul & rationes subducit. In quo istud vulgò jactari solet: Quæ deliberata sunt, celeriter peragenda esse: consultandum verò cum mora. Est autem bona consultatio quædam rectitudo consilij, qua quispiam ratione duce id assequitur, quod oportet, & ut oportet, & cùm oportet. Ergo prudentia in singulis virtutibus nihil othertereà agit, quàm quòd viam velut sternit, quæ ad illas planè deducat. Atque ea de caussa Socrates ajebat, omneis virtutes esse prudentias: hoc est, sine prudentia nullas esse. At verò consultationes, in quibus omnia prudentis Imperatoris officia consistunt, circa ea imprimis versantur, quæ in electionem cadunt, vel fugam. Et instruunt Imperatorem ijs, quæ in actibus militum optima sunt, & commodissima. Veruntamen non quibuscunque de rebus ineunda sunt consilia. Neque enim Imperatori consultandum est,

qualia

qualia sint hostium domicilia, recténe suam Rempublicam administrent: nam illa certò scire possumus. Proinde Imperator victoriam in consilium neque adhibebit, neque advocabit: sed tantùm, quibus modis illam adipiscatur, statuendum, & circumspiciendum proponet. Nemo quidem ambigit, homini necessarias esse divitias: sed consilium capiendum est, quibus modis ditescere possimus. Igitur non de receptis, exploratísve, neq; de impossibilibus quisquam consultat, sed duntaxat de indifferēter contingētibus. Consultationum autē, quæ in Imperatorem cadere possunt, omnis vis est aut in adipiscēdo, aut in tuendo, aut in augēdo, aut in utendo. Cujus ista erunt generalia officia, in futurorum negotiorū consilijs res gestas memorabileis, velut quædam paradigmata, proponere. Nam manifestæ res, & quæ liquido constant, obscura consilia, & ambigua celerrimè aperiunt. Tum etiā in consilijs maximè sagaces erimus, si calamitates, quæ neglectā dudū consultationem sequutæ sunt, in memoriam redigamus. Proinde diligenter perscrutandū est, qualiter in pari caussa se gesserint illi, quibuscum consultare volumus. Enim certè, qui res suas nō ritè perpēdit, nihil graviter in alienis statuere potest. Nos autē, ne hæc cōsilia in turbido pertractem⁹, quatuor, quę in deliberationē cadere possūt, speciatim exponem⁹.

Aut

Aut enim inquirunt, & consultant Imperatores de Bello: aut de Pace: aut de Fœderibus: aut de Pecunijs: conducat id necné, de quo deliberant. In quo considerando sæpè animi in diversas sententias distrahuntur, afferuntque Imperatori ancipitem curam deliberandi. Primùm igitur de Bello dicendum est. In quo cùm non minorem utilitatem afferat decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo, præsenti consilio in omnibus utendum est, nec à ratione discedendum: futura, cogitatione præcipienda sunt: & aliquantò antè constituendum, quid in utramque partem possit accidere. Temerè enim manum cum hoste conserere, immane quidem censetur. At, cùm tempus postulat, decertandum est, & mors turpitudini anteponenda. Verùm isthæc ad unumquemque militem pertinent. Imperatorem autem, qui de bello consultaturus est, non ignorare oportet, quàm magnæ sint exercitus facultates, & copiæ: quantæ fuerint: & qualeis habiturus sit. Adhæc hostium facultates accuratè circumspicere debet, similésne sint, an dissimiles: parésne suis, an imbecilliores. Deinde ipse videat, castrorum præsidia qualia sint: Custodum multitudinem, Excubiarum qualitatem, locorum opportunitatem. Tum, quàm magna impensa exercitui ad victum satis sit, ipse prudenter consideret: quæ an-

nona

nona à proprijs agris colligi poſſit: qui commeatus aliunde aſportari: quas res efferre, quas inferre oporteat. Cæterùm ſic de bello proſpiciendum eſt, ut, rebus antea repetitis, indictum ſit: aut contra eos, qui injurijs laceſſiverunt, geratur: neq; nos tantùm provocatos ulciſcamur: ſed & ſocios, & vicinos, & eos, qui erga nos benefici fuerint, injuſtè affectos fuiſſe, ſatis ſit. Aut etiam pro publica utilitate, aut ad gloriam, aut ad opes, aut ad vires hujuſmodi bellum ſuſcipiamus. Proinde agitanda ſunt ea, quibus victoriam inprimis parari videmus: Imperatoris ſcilicet felicitas, & prudentia: Militum robur, & multitudo: Pecuniarum affluentia: virtus Sociorum: Locorum opportunitas. His omnibus ſingulatim in conſilio jactatis, diſcuſſiſque, non oportet Imperatorem ambiguum eſſe conſilij: neq; multitudo verborum quærenda eſt. Verùm is ad ſummam rerum pertinere arbitretur, ut magis cogitet, quid agēdum ſit, quàm quid loquendum: facilè enim eſt, explicatis conſilijs, applicare rebus verba. Qua ſententia Annium Prætorem apud Latinos, cùm à Romanis deficere ſtatuiſſent, in Senatu Livius reſpondiſſe meminit. Præterеà quemadmodum in conſultationibus non eſt diutius ambigendum, ita & inſtituta conſilia quàm primùm exponere, & expoſita celeriùs exequi oportet: Nam lentæ delibera-

Mm tiones,

tiones, tardaq; consilia jam inde antiquitùs nociva majorem in modum extiterunt. Etenim cùm inter Romanos, & Carthaginenseis bellum periculosum exardesceret, Syracusani consultationem inierunt, quibus favere, quorúmve parteis sequi ipsi deberent: cumq; res esset in dubio, usque eò dum illi certum aliquid statuissent, Apollonides non vituperandos eos esse dixit, qui censuissent, favendum esse Romanis: neq; item eos, qui Carthaginensibus adhærendum decreverant: at ambiguitatem consilij, quam scilicet in partem se verterent, tardamq; consultationis exequutionem vehementer damnabat. Mora namque, & tarditas explicationis consilij non parum periculosa est. Quo fit, ut prudens Imperator intelligere debeat, tantum in re addubitata mali esse, quantum in explicata boni. Promptiorem igitur ad hæc pericula esse oportet, & in omnibus consilijs ne minimam quidem jacturam prudentiæ facere. Sed hìc jam, quemadmodum de Pace consultare Imperatorem oporteat, differendum est. Primùm ergo præter id, quod de bello dictum est (nam communes ferè sunt utriusque considerationes) cogitandum est, eam bellorum naturam esse, ut, qui prosperam fortunam semel assequuti sunt, ijs plerumque res in posterum infeliciter cedant: in bellis varias esse mutationes,

vicis-

vicissitudines in rebus miras. Tum vidēdum est, satiúsne sit, aliquam fortunarum partem Potentioribus concedere, quàm bello periculosè decertare: bellorum pernicie omnia confundi: contrà verò pacem omnia servare, rerumq; partarum fructū locupletissimum afferre Victoribus. Itē bello pauperiores effici, multa discrimina subire. At in pace opes uberrimè augescere, agros intrepidè sulcari, Mare trajici, Civitates multò pl⁹ Pace, quàm Bello frequentari: Hospitibus, & Inquilinis non destitui. Deniq; consideret Imperator, an possit legationibus assequi, quod bello vindicandum proposuerat: intelligatq;, vim omnem neq; ad quæstum, neq; ad res gerendas, neq; omninò ad felicitatem quicquam prodesse: atq; Athenienseis (ut est apud Isocratem) propter eos, qui pacem amplectendam hortati sunt, nihil damni accepisse: at propter eos qui procliviores ad bellum extiterunt, in varias, graveisq; calamitates incidisse. Ad extremū, hoc certum haberi debet, pacémne, an bellū gerens sit hostis perniciosior. Nunc jam de fœderibus dicendum est. Quicunq; Imperator in consultationem fœderum venire vult, temporum rationē perscrutari, ac exercitū ita metiri debet: sitné viribus, quàm deceat, inferior: bellūné aliquod grave impēdeat. Et si fortè aliqui Socij ab eo defecerint, tum necesse est secū ipse reputet,

an ſint ij utiles, quos in ſocietatem convocare vult: an aliqua beneficia in eum contulerint, ſintné illi æqui, boniq; obſervantes, viribúsne polleant: poſsíntne opportunè eſſe auxilio. Breviter, in fœderibus non aliud curare quicquam oportet, præterquàm quòd exercitui commodum cognoverit. Ferunt, Athenienſeis nuſquam, niſi in veſte pulla, & extremis calamitatibus affectos fœdera percuſſiſſe. Qua re ſignificabant, ſe ſummis cladibus admonitos, & ad ultimam facultatum, viriumque neceſſitatem adductos, fœdus ab hoſtibus petere. Talia profectò Imperatori noſtro expectanda non ſunt, ſed tum maximè accipienda ſocietas eſt, cùm aut periculum aliunde imminens, aut certa utilitas à conflata ſocietate ſperatur. In hac autem deliberatione omnes inimicitiæ, ſi quæ interceſſerint, obliterandæ ſunt. Ideoq; non poteſt prudenti Imperatori probari conſilium Alcibiadis. Nam, cùm Athenienſes, Elijs bellúmne inferre oporteret, in conſilio agitarent, ille, ob eam cauſſam verberibus ab Elijs cæſus, quòd victoriam in Olympijs reportaſſet, vehementer indignatus, conſuluit, exercitum in Elios mittendum. Inſuper incunda videntur eſſe fœdera cum eo, cujus vires, & poteſtatem valdè pertimeſcimus: adeoque ſi hoſtes noſtros in ſocietatem convocat: aut illi cum eo ſocietatem paciſci delibe-

liberant: aut hostibus nostris valdè infensus est. Nam cùm Crœso suasisset oraculũ, Græcorum optimos in societatem recipiendos esse, Lacedæmonas optavit, recepitque, & Athenienseis pluribus affecit injurijs. Ii verò, ut à Crœso tuti essent, in fœdus, & societatem cum Cyro coierunt. Cavendum tamen est, ne in Imperiorum, Honorum, Opúmve cupiditatem cum Socijs incidere possimus. Nimirum id ipsum, quod est apud Ennium: Nulla sancta societas, nec fides Regni est socijs: jamdudum animos hominum percelluit. Quapropter Imperatori, antè quàm in aliquorum societatem se conferat, diligẽter videndum est, ne illa labefactari, dirimíve possit, sitque difficillimum, eam in longum usque tempus perseverare. Priùs autem, quàm omnia consultationum officia absolvamus, de Pecunijs dicendum est. Ac primò Imperator, qui de opibus consulere constituit, scire debet, qui, & quot sint Reipublicæ reditus, ut, si quis neglectus sit, restituatur: si quis tenuior, amplificetur. Atque ita expensas, si quæ inutiles sunt, demendas esse: si quæ profusiores, cogendas ad modicum. Non enim solùm accessione rerũ, sed etiam expensarum parsimonia reddimur ditiores. Adhæc videndum est, si qui publici loci neglecti sunt, è quibus Aerario aliquid accedere possit, aut vendendi, aut excolendi erunt.

Insuper, annotandum est, quo modo pauperibus corpora indicentur : locupletibus pecuniæ: arma, reliquaq; instrumenta Opificibus. Cùm autem omnibus (ut est apud Socratem) naturalis quædam insit lucri cupiditas, ac nemo ferè sit, qui non publicæ utilitati privatam præferri cupiat, etiam atq; etiam cavendum censemus, ne, dum nobis nominatim prodesse cupimus, Rempublicam intereà, imò etiam ipsum exercitum aliquo afficiamus incommodo. In quo latissimè patet Avaritia, quæ visceribus ita sensim adhæret, ut inveterata avelli non possit. Supra hæc, qui de rebus dubijs consultant, odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Non enim facilè (ut ait Cæsar apud Sallustium) animus verum providet, ubi illa officiunt : nec quisquam omnium libidini, simul & usui paruit. Sed hæc quidem hactenus de Consultatione, & Prudentia. Est itaque pars ea, quæ in suiipsius consideratione versatur, ita patefacta, ut nunc demum difficilè non sit cuilibet Imperatori, qualia sint ejus in hac parte officia, planè perspicere. Ad reliqua igitur jam inde pergamus.

Satis mihi videor, R. P. superiùs explicuisse, quæ sint Imperatoris officia, quæ in suiipsius consideratione posita sunt. Sequitur, ut ea persequar, quæ in aliorum considerationе sunt servanda. Quæ pars officiorum

rum partim in considerando, partim etiam in faciendo collocata est. In ea autem nihil præterea conabimur, quàm ut dilucidè ostendamus, quibus officijs Imperatorem tum Milites, tum Amicos, tum Inimicos ad benevolentiam deducere oporteat. Nihil enim est cuivis homini, nedum Imperatori, magis necessarium, quàm multorum benevolentiam colligere: quorum frequentia, & assiduitate in expeditionibus uti possit. Ita namque fiet, ut ex ijs, qui singulari in eum erant benevolentia, firmissimum robur constituat: alienis auxilijs nequaquam indigeat: & tot amicos sui studiosos habens à militibus alienata voluntate non destituatur. Hanc autem officiorum partem, quæ ad benevolentiam conciliandam spectat, sic tractabimus, ut neque à Philosophia recessisse, neque civili vitæ quicquam detraxisse, imò potiùs adjunxisse videamur. Triplici autem ratione Imperator benevolentiam colligere potest. Nam aut Amicitia, aut spe, aut beneficijs animos hominum captamus. Hîc primùm de Amicitia, tum suo loco de posterioribus dicetur. Cùm itaq; Amicitia imprimis studia hominum, voluntatesq; nobis adjungamus, commune Imperatoris officium erit, ad amussim perpendere, quantum quisque suorum militum possit, ut sciat, quemadmodum cuiq; sit inserviẽdũ: & quid à quôq; postulet,

expectétve. In qua conſideratione ita verſabitur, ut milites intelligant eum videre, quid ab uno quôque expectet: ſentire, quid accipiat: meminiſſe, quod acceperit. Naturales Philoſophi ſimile ſimili quodam modo amicum eſſe exiſtimant: ajebat enim Empedocles, naturali inductione fieri, ut ſimile appetat ſuum ſimile. Heraclitus verò ex contrarijs pulchram amicitiam, & concentum conſtitui dicebat. Veruntamen cùm hoc loco naturaleis rationes perſequi nõ inſtituerimus, ad moralem tantummodò Philoſophiam, civilemque vitam attendere nos oportet. Itaque Amicitia (ut à definitione proficiſcamur) Platonis ſententia, eſt honeſta perpetuæ voluntatis communio. Quæ ſi vera, perfectaque eſt definitio, neque improbos homines, propter honeſtatem, neque Juvenes, propter perpetuitatem, amicos facere poſſumus: neque item opinionis cujuſdam ſimilitudo, propter voluntatum communicationem ad amicitiam perficiendam ſatis erit. Conſequimur autem hanc Amicitiam vel tempore, vel conſuetudine. Nam (ut eſt in proverbio) non facilè fit, ut aliqui mutuo, firmoque ſe complectantur amore πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι. Amicorum enim proprium eſt, ſimul vivere. Illi verò in amicitia permanent, qui morum ſimilitudinem quotidiana conſuetudine, & obſervatione dili-

diligenter condierint. Atque quemadmodum longus convictus amicitias confirmare ſolet, ita & diuturna abſentia amicitias diſſuit. Unde eſt apud Ariſtotelem, Taciturnitatem amicitias complureis diſſolvere. In conciliandis autem amicis, Imperatoris hæc erunt officia, Milites ſuos tam ſtudiosè cognoſcere, ut neminem invitum in amicitiam vocet. Certè quidem nihil mihi ſtultius videtur, quàm eum noſtri cupidum exiſtimare, quem priùs non noverimus. Neque item (ut Socrati viſum eſt) quemquam militum laudare debet, antequàm illius familiaritatē longo uſu ſibi compararit. Plerique enim, cùm laudari ſe, & extolli ſentiunt, non minimùm efferuntur, & inſolita ſuperbia inflati non ijdē perpetuò ſunt, qui priùs fuere. Plureis etiam Imperator reperiet, qui, etſi amicitia digni videantur, attamen parum admodū viribus poſſunt: neque tantum animi, vel virium habent, ut juvare queant, ac in prælijs aliquantiſper ex tempore prodeſſe: illi quidem prudenter internoſcendi ſunt, ne ſpe majore in ipſis poſita nimis infirmum præſidium ſibi conſciverit. Officium itaque Imperatoris erit, imprimis Magiſtros Militum, Tribunos, Centuriones, Principes unicè complecti. Tum per ſe, vel communeis amicos ſumma cura elaborare, ut illi ſui valdè cupidi ſint: & maximis beneficijs ſe ab illis affici nomina-

tim oſtendere. Nam ſi illorum amicitiam contrahat, reliquam multitudinem ſuis in officijs facilè retinebit. Is quoque per Legiones, & Cohorteis plurimos ex infimo ordine in familiaritatem ſuam vocare non negligat, ac neceſſitudine devincire, & confirmare in amicitia. Porrò municipales multos, & incolas appetat, cognoſcat, adjungat: è vicinis locis nonnullos ad ſe vocet, ac illis proponat, nihil ſe antiquius habere, quàm ut in mutuam amicitiam ſe aggregent, & in ea permaneant. Etenim illius amicitiam non rejicient, ſi ſuam ab eo expeti videbunt. Ita fiet, ut ij, quos de nomine tantùm cognoverit, in amicitia illius ſe eſſe arbitrentur: & ſi quod præſidium in eo conſtituere putant, illum beneficijs proſequentur, & promerendi occaſionem non negligent. Ubi autem Imperator tum in exercitu, tum in vicinis locis amicos conſtituerit, in optima ſpe eſſe debet, illos omneis ſui maximè cupidos eſſe. Et verò Pedites omneis, Equitesq; diligentia poſſe contineri, nemo eſt, qui neſciat. Ideoque probatum eſt, illos ſæpiùs inviſere, cum illis colloqui, conſultare, optimos quoſque, & ſtudioſiſſimos humanitatis ſecum habere, familiareisque facere. Tunc quippe reliqui illorum voluntatem non inviti ſequentur. Adhæc illorum ſtudia non modicæ utilitati futura ſunt tum in obeundo, tum in

nun-

nunciando, tum in excubijs, tum in custodia, tum in explorando, tum in suffragando. Illos quò devinctiores sibi efficiat, id unum perficere debet, ut intelligant, quantum in illis putet esse. Sic quotquot in exercitu aliquid sinistri Imperatori ominabũtur, ac malè volent, illum tamen magis, ac magis cupient, neq; poterunt non illi aliquantum prodesse. Hactenus de Amicitia. Sequitur, ut de Spe pauca dicamus. Spes autẽ apud Philosophos est futuri boni expectatio: sicut metus futuri mali. In quo potissimùm Imperatori considerandum est, quàm variæ sint hominum cupiditates: & secundũ illas propositam spem militibus ostendere. Cupiditatum verò (ut omnia obiter attigisse videamur) aliæ quidẽ sunt naturales, ut est alimenti cupiditas. Nemo enim prorsus est, qui non nutrimento indigeat. Huic sanè cupiditati nemo planè per spem mederi potest. Nam vulgaris est parœmia, plenas promissorum quadrigas nihil ad ventrem facere. Sunt prætereà & aliæ quoq; propriæ, seu adjunctæ hominũ cupiditates. Eæ ipsæ circa voluptates, & commoda versantur. Quæ nonnunquam per spem devorari, vel saltem allevari possunt: idq; maximè in voluptatibus, quæ non tam propriæ esse hominum videntur, quàm ipsa commoda. Sunt tamen, quales quales fuerint, modis omnib' ab Impatore, quoad ejus fieri poterit, coër-

coërcendæ. Illæ enim si usque eò intemperantiæ prolabantur, ut nullus sit avellendi locus, quo modo, quæso, spe falli, vel superari poterunt? Si tamen cupiditates rationi conveniunt, temperatos Milites vocabimus. Sed ut ad rem veniamus. Imperatoris in hoc genere varia sunt officia, non secùs ac diversa sunt hominum ingenia, & vota, & cupiditates. Is autem ea de caussa cupiditatibus per spem mederi posse censetur, quòd, ut apud Philosophos cupiditas est desiderium rei, ita & spes illius erit expectatio. Neque tamen affirmare ausim, expectationem rei, desiderium illius penitus auferre: nihilominus tamdiu moderari posse statuimus, dum Milites ab officio non desistent, neque id non agent, quod illis in exercitu agendum est, ab ea futura expectatione suo desiderio paulominus retardato. Itaque cùm omneis homines non modò promptè sibi, quæ petunt, sed etiam honorificè promitti velint, Imperatoris officium erit, ut id, quod acturus est, significet se studiosè, & libenter esse facturum: inprimisque Militibus vultum hilarem (quæ est animi nostri janua) semper ostendat. Est namque benignitas vel ipsi etiam multitudini gratissima. Eam ut consequatur Imperator, curare diligenter debet, ut omnibus ad se tam diurni, quàm nocturni aditus pateant: omnes libenti animo audiat. Nam

parvi

parvi refert, omnibus aureis patulas præbere: utpote quod ad certam desiderij expectationem non minimùm faciat. Etenim quotquot illius humanitatem perspexerint, citissimè sibiipsi pollicebuntur, se assequuturos, quod expectant: neque usquam sua spe defraudari arbitrabuntur. His ita se accommodet Imperator, ut, qualem cujusque naturam cognoverit, illuc sic animum suum intendat. At si quid ab eo postulabitur, quod facere non possit, id jucundè neget. Plura sanè petuntur, quæ sine detrimento, aut honestè promitti non possunt: ea profectò benignè neganda sunt. Eam rem quàm molestè ferat, quantùm doleat, id à se postulari Imperator debet ostendere, simul & confictas etiam rationes addere, quibus id honestè fieri non posse, valdè confirmetur. Nimirum homines nonnunquam oratione, ac fronte magis capiuntur, quàm ipsa re, & beneficijs. Ac sæpenumero multò gratiores illi sunt, qui negant, quàm qui se facturos recipiunt. In quam sententiam C. Cotta dicere solebat, se operam suam polliceri solere omnibus: impartiri autem ijs, apud quos optimè collocari arbitraretur. Plura enim promittimus, quæ casu accidunt: vel interim, dum promissionis dies adveniat, mentes hominum immutãtur, cupiditates item, & affectus. Ea verò si Imperator negaverit,

con-

confestim se alienare poterunt, & ab eo deficient. Hoc itaque præcipuum esto, benignè illis respondere: illorum periculis studiosè inservire: nihil, quod honestum sit, non illis promittere. Ita fiet, ut omnes milites Imperatoris desiderium expleant, & ab eo amiciores discedant, quàm accesserint. Atqui diligenter illi est animadvertendum, ne in mendacium usquam incidat. improbum enim illud est, & vituperio dignissimum. Qualis autem unusquisque est (ut ait Aristoteles) talia & agit, & dicit. Tunc ergo Imperatoris officium erit, moderata dissimulatione uti: neq; tamen ea dissimulare, quæ plus satis oculis sunt exposita, vel extant. Nos verò illi rem potiùs promittere, quàm negare, si ea honesta est, consulimus. Similiter huic rei per affabilitatem remedium adhibere potest. Ideóque Imperator in congressionibus, & convictu, ac usu communi tum rerum, tum verborum placidus esse debet: laudare itẽ omnia, paucis adversari, nemini, quantùm poterit, molestus esse: non solùm ad notos, sed etiam ignotos sese accommodare. His tamen omnibus, ut res ipsa expostulat. Non enim æquè familiarium, & externorum curam habere: neque simili dolore, voluptatéve omneis afficere oportet. Cæterùm hoc unum semper viderit, ne quippiam scurrile, scommáve aliquod, quod dolore afficiat eum, in

quem

quem dixerit, inconsideratè proferat, aut jactet. Laudandus enim est, mea sententia, is Imperator, qui ea tantùm & dicit, & audit, quæ modestum virum, & prudentem decent. In quo membro comitatis officia latissimè divagantur. Tertia pars, quæ ad conciliandam Militum benevolentiam spectat, in beneficiorum collatione versatur. In quibus Imperatoris liberalitas hoc loco nobis examinanda est. Cujus officia sunt in dandis, accipiendísve pecunijs: aut ijs rebus, quarum æstimatio nummis non minor est. Præcipua autem viri liberalis pars plùs in dando, quibus oportet, quàm capiendo, consistit. Hinc beneficia conferre, quàm suscipere, potiùs esse judicamus. Etenim cùm homines multò minùs erogent sua, quàm accipiant aliena, sequitur, illos, qui dant, potiorem locum liberalitatis obtinere. At verò capere, unde oportet, est in liberalitatis officijs: id namq; Imperatori est pernecessarium, ut posthac donare possit. Neque tamen (ut est apud Jurisconsultum) omnia, neque passim, neque ab omnibus capiet, cùm aliud inhumanum sit, aliud vilissimum, aliud verò avaritiæ plenissimum. Facilè autem recipere, non videtur esse hominis beneficia conferentis. Caveat primùm, ne bona aliena largiri, liberalitatē putet: ea enim ratione malarum rerum audaciam, fortitudinē appellare liceret:

mores

mores autem perfectæ Reipublicæ non ita se habent. At verò suas opes non negliget, dissoluta largitione non profundet, cùm per illas valdè multis auxilio esse possit. Ipsa namque liberalitas pro cujusque facultatibus metienda est: neque in rerum multitudine, sed in voluntate dantis consistit. Atqui quónam pacto Imperator liberalis dici poterit, cùm ille non sit ad capiendum simul, & conservandum: sed ad erogandum tantummodò proclivis, neque magnifaciat pecunias? Deinceps non facilè fit, ut, quotquot divites sunt, probè intelligant, quibus oporteat, aut quo modo oporteat dare. Hæc verò ne valdè pertimescamus, hujus tempestatis mores paulò minus humani satis mediusfidius faciũt. Nimirum pauci admodum prodigi sunt, at plures (ut ait Aristoteles) κίμβικας, κυμινοπρίστας, αἰσχροκερδεῖς, μικρολόγους ubivis gentium jam olim reperias. Veruntamen in Imperatoris nostri officio erit, quantumvis minimam avaritiæ suspicionem evitare, ac diligenter curare, ne in eorum numero habeatur, qui multò plus cupidi sunt pecuniarum, quàm ad dandum prompti. Hinc Militum suorum benevolentiam mirum in modum contrahet. Illi quoque hujus generis conjunctionem haud quaquam labefactabunt: imò verò usque eò immergent se in illius consuetudinem, ut prompti sint, certatimq́; omnes

omnes ad beneficia referenda properent: rixas, ſeditionesq́ue fugiant: ac Imperatorem ſingulari religione amplectantur. Nemo enim amanti, & beneficia conferenti ferè ſuccenſet: quinimò ſi beneficijs dignus eſt, beneficijs reſpondebit. Caveat autem Imperator, ne plus ęquo liberalitatis nomen affectet. Vulgus enim eum tantùm liberalem commendat, qui ſua omnia profuderit, ac ſuorum omnium verè eſt prodigus. Itaque cùm is ſine magno ſuo incommodo nomen illud adipiſci nequeat, inprimis conari debet, ut ſua iſta liberalitas in parſimoniæ parteis potiùs, quàm prodigalitatis, inclinet. Hæc verò ſic illi conſideranda ſunt. Aut enim ex ſuis bonis liberalem illam gratificandi voluntatem præſtare deſiderat: aut ex alienis. In ſuis modum faciat parſimoniæ: quanquã pecuniæ fructus ſit maximus, poſſe liberalitate uti, nec ſpoliare ſe patrimonio. Ea autem liberalitas ſola ſeipſam abſumit, utpote qua quò plus utaris, eò minor utendi facultas apud te relinquatur. In hoc genere ita ſe gerat Imperator, ut à paupertate longè ſe abfuturum planè ſentiat, in calamitatem non incidat, neque ad rapinas perverſo animo, furtáve cogatur. Si verò ex alienis bonis facultatem benemerendi de militibus nanciſci cupit, ſupra omnem modum id quidem poteſt. Etenim niſi is aurum omne, quod ex

Nn donis,

donis, ex præda, ex manubijs, ex coronario accumulaverit, in milites suos distribuat, tum demum illi malè volent, odia omnium in se convertet, neq; probra, obtrectationésve, despectissimus scilicet habitus, tandem propulsare poterit. Hinc Cyrus, Alexander, Cæsar ad liberalitatis nomen, æternamque gloriam magno cursu pervenerunt. Qui enim aliena bona profundunt, magnum nomen haud dubiè consequuntur, immortali fama celebrantur, neque ullum suis rebus detrimentum important. Quo fit, ut illis calamitates, odia, vituperia perfacilè sit vel declinare, vel subterfugere. Hoc loco magnifici Imperatoris officia desiderari possunt, considerãdo, quot, quales sumptus in quodvis negotium conferri oporteat, ut scilicet quàm minimi fiant. Exinde non parùm proderit, convivia modò publica, & modò privata concelebrare, & nunc illos, nunc istos vicissim vocare, pro cujusque dignitate, & militari peritia. In quo summoperè cavere debet, ut ne quid fiat præter lineam. Nam in eum ipsum omnium oculi, mentesque Militum perinde quasi scopum aliquem prçcipuè conjecti sunt. Eam ob rẽ si sibi magnifici nomen comparare desiderat, non solùm decenti modo recipiat hospites, munera ritè privatis elargiatur, beneficia commodè collocet, sed etiã, quotquot sunt Imperij ornamenta.

menta, domi habeat, & bonam honestatis partem omni studio, cura, laboribusque servare contendat.

Et quoniam de comparandis militum animis à nobis amplissimè tractatũ est, nunc demum prætermittẽdum non videtur, quid in hoc genere maximè cavendum sit. Itaq; cùm fraudis, & insidiarum plena sint omnia, illud Epicharmi semper in ore habendum est: non temerè credere. Ea propter adversariorũ, & obtrectatorũ genera Imperatori nostro diligẽter cognoscẽda sunt. Nã aut alij sine caussa illi inimici sunt: quos suprà beneficijs, spe, & significatione erga illos voluntatis ab inimico animo deducendos diximus. Aut alij inimici sunt, quòd ab illo læsos se sentiant. Iis, ut feret res, purgare se poterit, nec non in spem adducere, se illis magno studio affuturum: fidemque suam celso animo spondeat. Sic illos blandis verbis facilè deliniet, & sibi sensim conjunget. Quoniam verò permulti se amicos esse simulant, Salutatores, atq; Assectatores cognoscendi sunt. In ijs, qui salutatum veniẽt, efficiendum est Imperatori, ut vel minimum officium illorum gratissimum videatur. Significet, se illorũ beneficia animadvertere: suum animum familiaribus illorum, qui actutum illis renunciabunt, accuratè ostentet. Nam usitatum est, plureis ei se dedere, quem hæc officia animadvertere

putarint. Si quis verò militum se quidpiam facturum promiserit, isq; aut nolit, aut non possit promissum præstare, tunc Imperator vel se id scire dissimulet, vel non audivisse, vel memoriæ non mandasse. Insuper, si quis credat se suspectum esse Imperatori, huic affirmare debet, se nunquam de illius voluntate dubitasse, imò nec dubitare debere. Item videndum est, quo quisque sit animo, ut & quantum cuique confidat, constituere possit. Assectatoribus autem efficiendum est, ut intelligant, Imperatorem summis beneficijs in perpetuum devinciri. Si qui verò jam olim collatis beneficijs sic illi obligati sunt, ut nihil possit ab eis non summo jure postulare, exigat, ut, quantum per negocia poterunt, secum sint assidui: si id minùs possunt, amicos suo loco constituant. Adhæc valdè proderit, illis exponere, nullum esse tempus, quo majorem illi gratiam referre possint, quàm si talibus officijs illum remunerent. Cæterùm (ut omnia attingamus) subjungemus hîc, quibus modis ab Imperatore benevoli à dissimulatoribus dijudicari queant, ut & prudentiùs regat exercitum, & sua nemini temerè commisisse videatur. Atqui prius quàm planè cognoscat Adulatores, oportet illum sibi ipsi nequaquam Adulatorem esse. Etenim qui sibi primus, & maximus Adulator est, facilè Assentatores alios admittet: idque

idque præsertim, si eorum, quæ desiderat, testes, & quasi adstipulatores accedant. Is prætereà propter eam philautiam, benevolentiamq;, qua seipsum occæcat, sibi omnia & adesse cupit, & arbitratur. Hujus generis blanditiæ, velut quædam major pestis, Imperatori diligenter fugiendæ sunt: imò verò Delphico Oraculo, de quo suprà meminimus, obtemperandum est. Ille quippe fallit seipsum, ac prorsus ignorat, quæ sua sunt, qui sibi adulatur. Veruntamen cùm Assentatores omnes jucunditatem suis blanditijs, & quandam festivitatem semper effingant, atque, cùm eblandiuntur, tum maximè hilarem vultum præ se ferant, nusquam repugnantes, vel obsistentes, in cognoscendis illis summa quædam difficultas versatur. Neque eam ob caussam, quòd vel laudent, vel vituperent, protinus eos adulationis nomine suspectos habere debemus. Siquidem Amici & laudare, & vituperare solent, ac neque illi laudando, vel vituperando ab Assentatoribus quicquam differunt. Ergo cùm Amicus Adulatori multarum rerum similitudine connexus sit, Imperatori diligenter cavendum est, ne cum perverso ejiciatur id, quod est utile: vel parcens ei, quod ad rem pertinet, incidat in id, quod est noxium. Nam hujusmodi Adulatores omnibus obsequijs, non secùs ac Amici, sese accommodant, &

vehementem navant operam, ut, ad instar Amicorum, impigri, promptique esse videantur. Eam ob rem quàm difficilè sit, illos internoscere, nemo est qui non videat. Nos autem dum perfectum Imperatoris officium exquirimus, istud quoque addendum est. Quòd si diligentiùs animadvertat hic noster Imperator, gratiam suam assentatiunculis colligi non facilè patietur. Adulatores quidem etsi temporibus, locis, personisque servire didicerint, ac licet transforment se in eam vitæ formam, quam magis placere perspexerint: vituperent ea, quibus sentiunt Imperatorem offendi: contrà laudent, quæ jucunda esse intelligunt: animadvertet tamen diligens Imperator, sitné illorum simile institutum, sitné perpetua morum similitudo, an semper ijsdem gaudeant, eadem laudent, ad unum, idemq; exemplar vitam suam componant, ac dirigant. Ferè enim fit, ut Adulator nullam morum stabilem sedem habeat: nunc illis, nunc istis se affingat. Ea autem adhibita diligentia dignosci facilè possunt, quotquot fucata, simulataque sunt, à synceris, & veris. Hujus rei locupletissimum exemplum præbet nobis Alcibiades, ut meminit Plutarchus, qui de ea re librum singularem edidit. Etenim ipse ille apud Lacedæmonios ad cutem usque radebatur, gestabat pallium, frigida

lava-

lavabat. Rursus in Thracia idem belligerabatur, potabat. Porrò cùm pervenisset ad Tisaphernem, delitijs, molliciei, fastuique se dedebat: ita in consuetudinem, & omnium familiaritatem sese insinuabat. At Plato Philosophorum omnium facilè Princeps non alius fuit Syracusis, quàm in Academia: nec dissimilis apud Dionysium, quàm apud Dionem, extitisse memoratur. Adulatores verò ad compotationes, ad nugas, ad lasciviam omnem præcipites rapiuntur, & statim, quasi sumptis Circes poculis, illicò transformantur. Adhæc si dominus irascitur, ulciscendum: si concupiscit, fruendum: si timet, fugiendum: si suspicatur, credēdum esse quàm primùm, suadent. Omninò illi Simias imitantur. Præterea ferè semper usuvenire solet, ut verus amicus non cōfestim laudet omnia, sed ea tantùm, quę optima sunt. Adulator verò, ut sua natura ad deteriora proclivior est, ita lōgissimè sibi abesse à vitio videtur, si imitetur turpia. At si quid honestum effingit, ei tamen, quem assentando captare vult, concedit victoriam: in ijs enim sic eū imitatur, ut semper sit inferior. Eo modo Crisson Himeræus cursu contendens cum Alexandro data opera vincebatur. In malis autē ægrè se vinci patiūtur: volunt quippe imprudentiores ubiq; videri. Insuper, quicquid comminiscitur Adulator, ea arte conditū est, ut vel ad lusum,

vel ad voluptatem ſpectet. Is namque nihil non ſibi faciundum putat, quo delectare poſſit. Amicus verò ſæpè jucũdus, ſæpè item moleſtus eſt. Ita Xenophon narrat Ageſilaum libenter laudari ab ijs ſolitum, qui neque etiam dubitarent vituperare. Verùm Adulatores eos Imperatores, qui canunt, Apollines: qui inebriantur, Bacchos: qui luctantur, Hercules vocant. Et quod, mea quidem ſententia, turpiſſimum videtur, à ſeipſis non temperant. Cæterùm animadvertat Imperator, Amicos operas ſuas commodare non ſolere, niſi priùs ſuſcipiẽdi negotij conſilium approbarint. Sed Adulatores ut gratificari ſemper ſtudent, metuuntque, ne in ſuſpicionem veniant, quòd detrectare velint, fugereque laborem: ita cupiditatibus ſe accommodant. Solent item Adulatores plerumque in laborioſis, periculoſisq; officijs ſe excuſare, ac detrectare munus: in turpibus autem, & ſordidis nihil grave, nihilque contumelioſum putant. Poſtremò Imperator intelligat velim, Adulatorem animal eſſe, ut ajebat Bias, inter mitia maximè noxium: cum quo tamen non facilè cohærebit, ſi, juxta Apollinis oraculum, ſeipſum cognoverit, & arrogãtem de ſeipſo opinionem prorſus auferat. Veruntamen Imperator, etiamſi hoſtes ſuos profligarit, facere tamen non poteſt, ut non ſint illi plures Inimici, adeoq; dome-

domeſtici; juxta illud, quod Naſicam dixiſſe ferunt, cùm Carthaginenſibus profligatis, Græcis ſuperatis, omnes exiſtimarent res Romanas in tuto eſſe: Imò nunc (inquit) ſummo in periculo ſumus, poſtquàm nulli ſuperſunt, quos vel timeamus, vel revereamur. Ideò conari debet, ut in omnibus negotijs prudenter ſe gerat, Inimicis convitia non faciat, nihil exprobret, niſi ab eo probro abſit quàm longiſſimè. Etenim in jactandis convitijs cavendum eſt, ne idem ipſe ſuſtineat. Quod ſcitè admodum docet nos Sophocles, ne ubi verba temerè fuderimus, tum quæ volentes diximus, viciſſim eadem illa nolentes audiamus.

Verùm ſi neque virtutes, quas ſuprà tetigimus, neque Amicos modis jam à nobis traditis Imperator aſſequi poteſt, reliquum eſt, ut ad eos quàm proximè accedat, vel ſaltem Milites ad ſe pertrahat quadam opinione virtutis. Siquidem hodiè plures opinionibus, quàm ipſa rei veritate, capiuntur. Ideoque de illis hoc loco nonnihil dicendum eſt. Eſt autem opinio apud Philoſophos earum rerum, quæ veræ quidem putantur: aliter autem ſeſe habere poſſunt. Opinantes enim rem ita eſſe credunt: exiſtimant autem & aliter ſe habere poſſe. Habemus etiã nonnunquam de falſis rebus opinionem veram, cùm falſæ aliquando appareant. Apparere

autem apud Ariſtotelem eſt opinari eam rem, quam ſentimus. Sol namque pedalis apparet : at jam nobis perſuaſum eſt, terra ipſum longè majorem eſſe. Pręterea (aliquantum hîc nobis philoſophari libet) hujuſmodi opiniones in nobis fiũt ab imaginationibus, & ſenſu. Etenim cùm natura fieri poſſit, ut aliud moveatur ab eo ipſo, quod jam motum eſt: imaginatio verò motio quædam eſſe videatur, & ſine ſenſu non fiat, neque non ſentientibus poſſit convenire: oportet primùm ſenſibus exponere, quicquid in imaginationem, demum in opinionem incidere volumus. Poſthæc opinionem fides ſequitur: nam fieri nequit, ut ijs quiſquam non credat, quorum habet opinionem. Tum apud Philoſophos notum eſt, quemadmodum fides omnem opinionem ſequatur, perſuaſio fidem, & ratio perſuaſionem. Eſt igitur in perficiendis ijs officijs, rationibus quibuſdam perſuadendum uſque ad eum finem, dum ſenſibus objiciatur, quod demum in imaginationem, deinde in ſenſum, opinionem, & fidem deducendum eſt. Quantum verò poſſint opiniones, quantúmve valeant, hinc perſpicere licet, quòd nulla alia re, præterquàm opinionibus, perturbemur. Nam, ut ait Epictetus, ea tantùm de cauſſa mors terribilis eſt, quia opinio mortis nos tremefacit: alioquin & Socratem terruiſſet. Adhæc Plutarchus

chus ait, opiniones eandem rem aliquibus utilem, alijs verò inutilem, & noxiam reddere. In ijs duo quædam sunt prudentis Imperatoris officia. Primum, quo modo ijs opinionibus immersus ipse se regere, ac sine ulla vacillatione conservare possit. Alterum, quónam pacto efficiet, ut in vulgus probetur, & Milites bonam de illo opinionem habeant. Is autē sapienter in opinionū usu versabitur, si secundum rerum naturam se gerat, & ob nullius alienam excellentiam immodicè efferatur, sed tantùm ob suam. Item in animo semper gestare debet, quamcunque rem aggrediatur, se actorem esse fabulæ, tuncque personam summo ingenio peragat. Si quid adversi acciderit (ut nusquam non versatilis humanarum rerum est Fortuna) statim meminisse debet, non casum ipsum, sed casus opinionem illum angere, & torquere. Si irritatur, intelligat se sua tantùm opinione irritari: ac pari modo reliquos affectus moderetur. Hoc unum inprimis caveat, ne ab initio tali imaginatione capiatur: ita namq; facilè in talibus opinionibus perduraret: quod sapientem Imperatorem minimè decet, cùm Philosophi dicant, Sapientem nihil opinari. Nunc demum alterum restat, quibus scilicet modis nomen prudentis Imperatoris, famamq; cōsequetur, & magnam de se opinionē militibus inseret. Istud autem tripli-

triplici via potissimùm perfici potest. Nam Parentum virtutes, resq; gestæ illorum memorabiles existimationi non parum velificantur, ut latiùs suprà dictum est. Degenerant tamen plerumq; filij: &, si nihil prætereà accesserit, existimationem Parentum facilè imminuunt. Secundo loco honestorum virorum, graviumq; consuetudo famam hominis sanè quàm tuetur: eaque tota in opinione consistit. Tertiò res, quas magno animo gerimus, certissimum nomini nostro augmentum afferunt: neque illud quælibet res gestæ, sed maximæ tantùm, eæque rarissimæ captare posse videntur. Cujus generis exemplum habemus à Manlio Torquato, qui Gallo torquem viriliter detraxit: qui item filium forti animo jussit occidi. Quæ ut rara sunt, ita raram illi nominis celebritatem pepererunt. Atqui cùm non omnes Torquati, aut Scipiones, Fabiíve esse possint, ut Imperator noster sit in præclara omnium opinione, hæc illius erunt officia. Ac illud inprimis, cùm omnis sermo ad castrensem famam ferè à domesticis emanet autoribus, eos potissimùm in amicorum numero reponere debet, qui ostendent se aliquid in eum voluntatis habere, qui colent, qui sæpiùs domum ventitabunt. Si qui autem ex honestiore caussa, utpote cognationis, sodalitatis, aut alicujus fraternæ necessitudinis Imperatori nostro

sunt

sunt amici, ijs se benevolum, charum, jucundumque præbere debet. Ceterùm elaborandum, ut Clientes, Liberti, Servi illum ament, & audiant: quod facilè assequetur, si Imperatorem semper illis fidelissimum esse cupiant. Præter hos instituendi sunt cujusq; generis amici, qui hominum illustrium speciem præ se ferant, tum per Legiones, tum per Cohortes, tum per Decurias, tum per Auxilia. Eos, qui vel beneficia acceperunt, vel certissimè expectant, magno studio comparare & confirmare oportet: Nam ita fiet, ut omnes spe benignitatis illius, etiam recentibus beneficijs ad deferendam illi æternam famam, summumque honorem excitentur. Proinde faciet Imperator, ut gratum valdè sibi esse significet, atque ostendat officium eorum, qui deducunt, aut reducunt, & illum concomitantur: sic namque in opinione maxima erit, cùm talem afferre soleat quotidiana frequentia. Quas demum animi dotes, si ipse à Natura non habet, inducere debet in animum ita simulandas esse, ut Natura facere videatur. Est autem frons, & vultus ad eorum, quibuscum res erit, sensum, & voluntatem commutandus. Hæc verò existimationi non parum consulere videntur, Tribunorum, Centurionum studia, hominum Nobilium voluntas, adolescentulorum frequentia: omnes milites nosse, eos comiter appel-

appellare, liberalem esse: domum hominum frequentia compleri: omneis audire, iisdem verbis, aut re satisfacere. Tum deinde labore, arte, diligentia efficiendum est, ut spes militum bona sit, & honesta opinio. Hinc summa inter Milites autoritas, dignitasque Imperatoria comparatur. Quæ in bellis administrandis censentur esse præcipua, non solùm ut nostri milites, sed ut socij, ut hostes præclara Imperatoris existimatione imbuãtur. Est enim longo jam usu rerum comprobatum, omneis homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, non minus opinione famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri. Nihílne existimas Cn. Pompeji autoritatem Romanis profuisse? quæ, ut refert Cicero, Mithridatem inflammatum victoria continuit: & Tigranem magnis copijs Asiæ minitantem retardavit. Nemo profectò est, qui talem autoritatem sic partam, si multis posteà rebus gestis amplificetur, non apud nostros tantùm, sed & apud exteras nationes plurimùm valituram existimet. Postremò ad opinionem valdè prodest Fortuna: quæ res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obscuratque. Prosunt item vehementer Oratores, & Poëtæ. Nam Sallustius existimat Atheniensiũ res gestas satis amplas, magnificasq; extitisse: verùm aliquantò minores, quàm

fama

fama ferantur. Sed quia ibi alebatur, fovebaturque Scriptorum excellentium numerus, Atheniensium facta per Orbem terrarum pro maximis celebrantur. Ita virtus eorum, qui ea fecere, tanta habetur, quantùm verbis illa extollere potuerunt præclara ingenia. Cui tamen rei modum aliquem Plato suis Legibus adhibuit: ut scilicet nemo Poëta præter Civitatis leges, & justa, vel honesta, vel bona quicquam fingere audeat: tum ne illi liceat, id quod scripserit, ulli privatorum ostendere, antequàm constituti de hac re judices, Legumque custodes & viderint, & approbarint. Nihilominus tamen cùm notum sit, modicas res oratione semper crescere, ne jam concepta inveterascat opinio, nostro Imperatori valdè utileis Oratores judicamus: Poëtas quoque, quibus Deos hominibus junctos fingere licet, & nihil prorsum prætermittere, quin omnibus modis Imperatorem cohonestare queant.

HACTENUS DE HIS, quæ in aliorum consideratione versantur. Quibus expositis satis mihi fecisse videor illi divisionis nostræ membro, quo ea Imperatorũ officia, quæ in considerando versantur, tractanda proposueramus. Nunc ea, quæ in faciendo consistunt, subjungenda sunt. Quæ quò profusiùs à rei militaris Scriptoribus exposita sunt, eò breviùs attingemus. Utemur autem

ea

ea divisione, ut primùm ea, quæ ante bellum: tum ea, quæ in bello: deinde, quæ post bellum gerenda sunt Imperatori, breviter exponamus. In quibus plæraque fortitudinis officia cernuntur. Etenim eum Imperatorem, qui animo ita affectus sit, ut res magnas gerat, & maximè utileis, necnon vehementer arduas, plenasque laborum, & periculorum, fortem esse dicemus. Siquidem (apud Aristotelem) is propriè fortis dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia, quæ repentè eveniunt, ipsamque illam afferunt, interritus est: cujusmodi sunt ea potissimùm, quæ in bello contingunt. In omnibus autem rebus, priusquâm aggrediamur, adhibenda est præparatio diligens. Igitur hoc loco primum Imperatoris officium erit, Milites eligere, probare, in numeros referre, sacramento adigere, eosdem hortari, in Aciem dirigere, in sanitate conservare: illis Præfecturas, Tribunatus, Legiones, Cohortes, Centurias, Vexilla secundum promotionis gradum distribuere: ijsdem stipendium augere, donativum largius præbere, æquum bonumque servare, illorum querelas omneis dirimere. Tum exercitum recensere, parare, lustrare, Castra locare, constituere, Præsidia disponere, Buccinatores, & Tubicines ordinare, commeatum curare, machinas, & tormenta bellica in expedito habere, copias armare, &

decen-

decenter in castris continere. Quæ cùm à rei militaris Scriptoribus ad nauseam usque tradita sunt, tùm etiam à nobis tribus superioribus libris latissimè sunt exposita: ideoque hîc obiter tetigisse satis sit. Sunt tamen & multa alia, quæ, antequàm bellum geratur, facere oportet Imperatorem: atque illud inprimis, castra loco commodo disponere: cui rei non parum proderit, locorum naturam, situmque cognoscere, montes, & convalles invisisse, ut munitior sit, tutioribusque præsidijs copias suas contineat. Adhæc Cyrus Milites suos totum diem in venationibus exercebat, tũ ut expeditiores essent ad prælia (nam venationem quandam belli imaginem vocabat) tum ut commoditatem loci, Plana, & Montana cognoscerent. Quis enim Venatoribus locorum situs novit diligentiùs? Et verò non minimùm refert, quorsum spectent castra: sint in loco egregiè & natura, & opere munito: sit facilis aditus: sint antiqua, & procera nemora, inde crebræ sylvæ, locus editior, æqua agri planities: non enim una eademque forma locari castra oportet, ut suprà à nobis ex Polybio traditum est. Verùm illi vehementer mihi errare videntur, qui in angustis faucibus, & locorum præruptis angustijs castra locanda censent. Ac licet illi locorum munitionibus se tueantur, hac parte adoriantur hostes, illac tutò se in castra

recipiant, ſit præciſis undiq; rupibus munitiſſimus exercitus : nihilominus tamen in talibus anguſtijs neque ita grandes copiæ, quæ hoſtibus noceant, conſtitui poſſunt: neque, ſi adfuerint, commodè ali. Proinde vix unum, aut alterum Ducem ſtrenuum reperias, qui in his faucibus, quàm in æqua planitie, præliari maluerit. Tum quo pacto fiet, ut numeroſo exercitui cum modica militum manu in ijs anguſtijs, vel cum ingentibus copijs, quæ ibidem fame contabeſcant, tanto tempore reſiſtatur? At illi retardabunt exercitum. Ego ſanè retardaturos non dubito: verùm haud impedient conatus, profligabúntve copias noſtras. Cur, quæſo, Helvetij in Alpium anfractibus, anno à Chriſto nato Milleſimo quingenteſimo decimo quinto, conatus Franciſci Valeſij Gallorũ Regis non impedierunt? Cur non ejuſdem vires Hiſpani in Pede montium in rupibus præruptis, & præcipitibus anno ſuperiore retardarunt? Sanè viri fortis officium eſt, in æqua planitie potiùs manũ cum hoſtibus conſerere, quàm in difficilimis locis, & præruptis dubiam belli Fortunam, & Reipublicæ multò magis pernitioſam experiri. Poſitis itaque caſtris potiſſimum Imperatoris officium erit, conſilia ſua, quorum fontes ſuprà latiùs aperuimus, clauſa habere. Qua in re non poteſt non laudari Metellus : qui in Hiſpania interro-

gatus.

gatus, quid postero die facturus esset, respondit, si id exponeret, tunicam suam, sagumque combusturum. Hinc qui fugam occulere volunt, & exercitum permutare, ut plurimum solent colloquia cum hostibus instituere, ad vallum eorum discurrere, levia prælia committere, ignes frequentiores per castra facere, & secũdis vigilijs furtim agmen educere. Et quemadmodum Imperator consilia sua nemini impertire debet: ita etiam hostium consilia diligenter explorare. Ad quod officium prudentissimi, multarumque rerum periti Viri eligendi sunt: neque muneribus, Aerarióve in ea re ullo modo parcendum est. Sic Carthaginenses Hamilcarem quendam Rhodinum simulato exilio ad Regem Alexandrum ire jusserunt, & omni studio in ejus amicitiam pervenire: quam ubi primùm consequutus est, consilia illius facilè suis Civibus indicabat. Adhæc proderit, captivos interrogare, illos adhibitis etiam tormentis adigere, ut hostium consilia enuncient. Neque similiter posthabendum est illud Aemylij Pauli stratagema, qui bello Hetrusco videns avium multitudinem è sylva consurrexisse, simul statim intellexit, illic aliquid insidiarum esse. Aves enim ferè semper multitudinẽ hominum indicant. Proinde ita continẽdus est exercitus, & forma belli perinde instituenda,

quaſi tunc demum decertandum foret? Si debiliores ſint copiæ, per Civitates diſtribuendæ ſunt, ut in plurium locorum oppugnatione diſſipatus hoſtium exercitus, minuatur, & tandem ita diſſipetur, ut confirmari nequeat. Poterit quoque Imperator à terreſtri ad navale bellum ſeſe convertere, exemplo Themiſtoclis adverſus Xerxem: & Periclis contra Lacedæmonios. Similiter etiam utile eſt, copias in aliam regionem transferre, ut ab inchoato bello hoſtes revocentur: illorum quoque Patriam invadere, ad quam tutandam actutum revertãtur. Omninò ſimulare aliud, quàm id, quod acturus eſt, ingenioſum erit Imperatoris officium. Item foſſis, valloque expeditionem hoſtium impedire, caſtra mutare, alveum fluminis aliò deducere, vias præcludere, non modicùm conferet. Porrò inſidias moliri oportet, & totis nervis enitendum, ut, quæ deſunt, nuſquam deeſſe videantur. At verò quemadmodum intempeſtiva pugnæ poſtulatio prohibenda eſt, ita etiam petente hoſte differri, vel declinari non debet. In quo nonnullis forſitan Fabij Maximi cunctationem damnare videbor: quam (ut verum fatear) meritò laudare non poſſum: licet etiam Reges noſtri ſuis Imperatoribus potiſſimùm prohibeant, manum cum hoſtibus conſerere. Quod præceptum, etſi Fabio non parum profuerit, ſæpiùs

piùs tamen noſtratibus Gallis damno fuiſſe cognovimus. Quorum ea perpetua natura eſt, ut ardente bello, inſtructisque copijs ſtatim in bellum mente, & animo inſiſtere, & quamprimùm præliari aveant. Enimverò ſi fingamus, deliberatum eſſe Imperatori, bellum protrahere, pugnam differre, prorogare prælium: cur, quæſo, caſtra ſua propè hoſtes locat? cur non longè ab illis tentoria figit, &, ſimul ut eos appropinquare ſenſerit, longiùs retrogreditur? Eſt tamen tum facultatum hoſtis, tum virium noſtrarum habenda ratio. Neque temerè ſe Fortunæ committere debet adverſus hoſtem, quem tempus deteriorem in dies, & locus alienus faciat: quod de C. Sulpitio Livius retulit. Nihilominus non ſolùm, qui Patriam defendit, ſed & qui alienam regionem tentat invadere, ſic belli curam ſuſcipere debet, ac ſi illud in dies majore impetu facto conficere, neq; ſeneſcere oporteret: in quo etiam militum natura præſertim ſpectanda eſt. Ergo incitandi ſunt animi militum ad prælia: quæ nonnunquam illi nimia cunctatione defatigati ultrò appetent. Huc accedit C. Cæſaris exemplum, qui adverſus Arioviſtum congreſſurus, cùm remiſſos Milites videret, dixit ſe tantùm Legione decima uti velle: quæ res effecit, ut decimam Legionem amore, reliquas etiam pudore ad certandum cogeret.

Hîc proderit Imperatori, fingere ſe oraculo admonitum : ijs enim terriculamentis, & commentis facilè incenduntur homines. Hoc modo Sylla ſibi à Dijs futura prædici ſimulavit. Nōtumq́ue eſt illud de Cerva Sertorij. Sic Archidamus Lacedæmonius contra Archadas pugnaturus finxit Caſtorem, & Pollucē ſibi pugnam conſuluiſſe. Omninò pugnaturus Imperator exercitum ſuum non ſolùm viribus , armisq́ue proprijs tutum, ſed etiam quibuſvis numinibus maximè confidentem reddere debet. Pulchrè quidem Ap. Claudius apud Livium loquitur: Eludant nunc licet religionem: quid enim eſt, ſi pulli non paſcentur? ſi ex cavea tardiùs exierint? ſi occinerit avis? Parva hæc ſunt: ſed parva iſta non contemnendo Majores noſtri maximam hanc Rempublicam fecerunt. Itaque prudentis Imperatoris officium erit, quamlibet ſecuritatem, & victoriæ certitudinem Militibus præſtare. Quod facilè aſſequetur, ſi omni metu vacuos eos reddiderit. Quo in officio volumus Imperatorem nullam in hoſtes excurſionem, nullaq́ue levia prælia committere, niſi multò majores ſuas vires ſentiat, certamq́; ſpem victoriæ ſibi polliceatur. Ac licet præviæ quædam irruptiones Imperatoribus noſtris hactenus placuerint, quamvis Valerius Corvinus adverſus Samnites bellū gerens levibus incurſioni-

sionib' illos fatigarit, ne, ut est apud Livium Romanos novum bellum, ne novus hostis terreret: attamen Imperatori nostro hoc u- num mente, animoq; percipiendum propo- nimus, eam esse humanæ naturæ rationem, ut in actibus hominum, quos ad perfectio- nem, absolutionemq; perducere conamur, semper inopinatum aliquod malum acce- dat, quod conatus nostros impedit. Illud au- tem perfectioni rei eò usque connexum est, ut summa cũ difficultate inde separari queat. Eam ob rem nullum opus absolvi, nihilque consummari facilè posse censemus. Hujus quidem generis sunt bella, quibus tam sæpè calamitas instare solet, ut hoc loco cautum Imperatorem non immeritò desiderare vi- deamur. Etenim non leve est periculum, ne, si talibus incursionibus, levibusque dimica- tionibus victi sint Milites, animum despon- deant, destituanturq; sperata victoria: quæ res securitati exercitus non minimùm offi- ceret. Quocirca si hujusmodi leves irruptio- nes faciendæ sunt, prævideat Imperator nul- lum periculum imminere, & illa parte victo- riam se haud dubiè consequuturum.

Nunc demũ sequuntur ea, quæ Imperato- rem in bello facere oportet. Ac primùm ve- luti necesse esse putamus Imperatoribus cũ suo exercitu nonnunquam in certamen pro- dire, ita & illam Militibus suis necessitatem

pugnæ, ac certaminis velut magistram imponere oportet, ut, si naturâ fortes non sint, necessitate esse cogantur. Si enim urgente necessitate belligerandum est, quot, quæso, labores, quot pericula non subituros Milites existimas? Prudenter quidem Claudius Pontius Dux Samnitum ajebat, justum esse bellum ijs, quibus necessarium: & pia arma illis, quibus, nisi in armis, spes nulla est. Et rectè sanè Metius (ut est apud Livium) Volscis prædicabat, ultimum, & maximum telum esse ijs, qui necessitate superiores essent. Ergo multò antè providendum erit Imperatori, quo modo Militibus suis pugnandi necessitatem afferre possit. Inprimis verò hora, qua hostes cibo capiendo intenti sunt, spectanda est: tum ut jejunos, laborumque minus tolerantes facilius sit in longum tempus protracto bello fatigare: tum ut discumbentes, convivantesque relicto agminis ordine leviori conflictu opprimantur. Adhæc si jejuni sunt, vehementer proderit, non tantùm bellum protrahere, sed etiam fugam è castris simulare relictis ibidem obsonijs, cibis, vino, aqua, ac commeatu: quæ omnia veneno permixta sint. Nam tum illi edacitate victi perpotabunt, obsonabuntur. Ac tandem fiet, ut, si Imperator referre pedem voluerit, ad unum omnes vel minori cum incommodo trucidentur, vel toxico infecti

viri-

viribus ipsi suis deficiant. Quo modo Tyberius Gracchus hostes in Hispania vicisse legitur. Sic igitur Imperatori cavendum est, ne Milites suos non cœnatos, impransosvé in certamen educat. Nam eo pacto P. Scipio Hasdrubalis Pœnorum Ducis exercitum jejunum in Aciem procedentem nullo penè negocio superavit. His autem modicum cibum præbere satis erit, cùm inter onustos cibo, vinóve perturbata, & cõfusa omnia cernamus. Prætereà videndum est, ne ardoribus, æstuque defatigari possit Miles. Item tum Solem, tum pulverem, tum ventum considerare oportet. Solem quidem, quòd in faciem directus, visum eripiat, officiatque lumini. Ventum verò, quòd contrarius hostium tela adjuvet. Pulverem autem, quòd à fronte congestus oculos claudat, & impleat. Ita Annibal apud Cannas cùm comperisset Vulturnum amnem ingentes auras manè perflare, quæ arenam multam, & pulveris cumulos agerent, sic Aciem direxit, ut omnis pulvis in ora, oculosq; Romanorum incideret. Proin vehementer conferet, Aciem prudenter struere, simul & in sua forma, statuq; continere. In quibus eæ potissimùm regulæ observari debent, ut, qui multitudine Militum, viribusque præcellit, quadrata fronte dimicet. Qui imparem se judicat, dextro cornu suo sinistrum inimici pellat. Qui sinistram

alam fortissimam habet, dextram hostis invadat. Qui habet exercitatissimos Milites, in utroque cornu pariter prælium debet incipere. Qui levem armaturam optimè regit, utramque alam hostis invadat. Qui nec numero, nec virtute Militum confidit, si pugnaturus est, dextro suo sinistram alam hostium pulset. Qui infirmiores, pauciores que Milites habet, aut montem, aut civitatem, aut flumen pro subsidio habere debet. Posteà necesse est Imperatori cognoscere, quo modo ex Acie quadrata rotundam conflet, sive in aliam formam diducat, ut insidijs hostium occurrat expeditè: item si quo modo potest, hostibus terrorem incutiet. Nam Crœsus hostes suos Camelorum multitudine opposita terruit, Aciemque illorum dissipavit. Similiter Pyrrhus pro Tarentinis adversus Romanos Elephantis usus est. Sic Hispani contra Hamilcarem Boves vehiculis tædarum, & sulphure plenis adjunctos in prima fronte Aciei constituerunt. Quæ omnia ex Antiquorum stratagematis, ac rei militaris Scriptoribus quærenda sunt. Denuò si adversus eos, qui primo tātùm impetu ferociunt, pugnandum est, veluti Gallos, vel Sānites, exemplo Fabij, cunctatione, & mora Imperator utetur, primos impetus sustinebit, & inter moras decertandi nonnunquam incalescet: eo namq; modo Philippus Athe-

Athenienſeis viciſſe memoratur. Præterea Imperator, qui præcipuam exercitus curam habet, inter Pedites, & Equites in parte dextra ſtare debet: is enim locus eſt, è quo tota Acies rectè gubernari poteſt: è quo liber eſt percurſus ad ordines: è quo, conſilio, & autoritate continere, & tàm Equites, quàm Pedites ad pugnam hortari poteſt. Alium Ducem in media Acie Peditum, alium in ſiniſtra parte exercitus conſtituet. Veruntamen ille ipſe Imperator Militibus pedem referentibus in prima Acie ex Equo in Pedes proſilire debet: tum enim erubeſcentes Milites facilè redintegrabunt prælium, accingentq; ſe laboribus, & periculis objicient. Item à tergo lectiſſimos quoſque, ac fidiſſimos Milites in poſtrema Acie locare poterit, qui fugienteis trucidabunt. Neque verò in exercitu plureis Imperatores eſſe oportet: quod ſapienter admodū reſpondit Agrippa, quando contra Equos cum Quintio Collega miſſus eſſet. Saluberrimum quidem ait ille (ut eſt apud Livium) in magnarum rerum adminiſtratione ſummam Imperij apud unum eſſe. Nemini pariter dubium eſt, quemadmodum, cùm Romani contra Fidenates, & Vejos rebelleis tres Tribunos conſulari poteſtate miſiſſent, illi ſua quiſque conſilia ſeparatim ſequendo, cùm alij aliud videretur, victoriæ occaſionē aperuerint hoſtib⁹. Sit itaq;

cer-

certissima hæc regula, uni exercitui unum Imperatorem præesse debere. Is autem ejusmodi sit, cujus ductu, auspicioque pugna ineatur: qui audiendus sit, magnificus adhortator, verbis tantùm ferox, operum militariũ non expers: qui & ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat, ut facta ejus, non dicta, sequantur Milites: nec disciplinam modò, sed exemplum ab eo petant, quique dextra summos triumphos, immortalemque gloriam sibi, suisque pepererit.

Exinde si obsidere civitatem oportet, ejusdem officia erunt, primùm extra civitatem circumquaque fossam facere vallo, sudibus, machinisque instructam, ut erumpentibus è civitate hostibus faciliùs resisti possit. Id opus Vegetius Loriculam vocat. Hinc quando obsidione Urbs capienda est, illam plerumque continuare oportet, donec ad ultimam usque inopiam adducatur. In quo quid, quæso, majus esse potest, quàm eò obsessos redigere, ut neque cibum, potionemque habeant, quibus famem, sitimque depellere possint? Ideoque aquæductus fontium, sive subterraneo rivo, sive opere arcuato ducantur, perfringere, eoque modo aquas in Urbem salienteis derivare, non parùm proderit: tum, si volet Imperator, eas venenis inficere, dein infectas restituere. Adhæc flumina,

mina, quæ Urbem alluunt, divertere oportebit: quem in modum Alexander, & Semiramis Euphratem Babyloni adjacentem aliò deduxisse memorantur. Similiter quoque frumenta, quæ inediæ unicum præsidium suggerunt, prohibebit. In quo meminisse potest Fabij Maximi, qui, vastatis Campanorum agris, sementis tempore recessit, ut frumentum, quod reliquum habebant, conferrent in sationes: at ille mox reversus eas protrivit, & ad famem redactis facilè potitus est. At consilium abjicere obsidionis, tum repentino impetu oppugnationem Civitatis aggredi, nonnunquam profuit. Veruntamen non possum non probare eum Imperatorem, qui omninò persuadeat & suis, & hostibus, se obsidionem continuare velle. Siquidem cùm Lusitani Tyberio Graccho dicerent, se commeatum in decem annos habere, neque obsidionis pericula pertimescere, respondit, se non priùs obsidionem soluturum, quàm undecimo anno Urbem capiat. Ita timorem illis incutere vehementer conferet. Simul quoque utile erit, si qua in parte debilior murus esse censetur, illac insistere, oppugnationem quoque hac parte simulare, atq; interim è diversa aggredi, itemque alia totis nervis, manibus, pedibusque in Urbem influere. Denuò tentabit Imperator, quibus modis obsessos eliciat: neque negli-

negligenda sunt quæcunque insidiarum genera. Dicebat enim Domitius Corbulo hostem dolabra, hoc est, quibuscunque operibus, factisque, vincendum esse. Ac ne hoc loco cuiquam Philosopho stomachum movere videar; intelligat velim, medium illud virtutis, quod tantopere affectant, haud tamen scio an adipiscantur, Imperatori non nimis esse necessarium, utpote quod neque amicos parat, neque inimicos tollit. Atque ideò præsidia, & machinas obsessorum vel arte, vel insidijs destruere, utilissimum ducimus. Item vigilias, custodiasque fallere: nec solùm eas, sed & Primores Civitatis ad proditionem allicere, ad eam promissis, præmijs, donisque pertrahere proderit; nec negligendum Cyri stratagema, qui Zopyrum de industria truncata facie ad hostes misit; ac demum Babyloniorum Civitate per eundem potitus est. Rursus cuniculos agere usitatum est, & adposito pulvere tormentario, ficcioribusque lignis flammas fovere, tum præparatis Militibus subter ignem immittere, ut combustis tabulatis, columnisque ligneis murus statim corruat, & irruptioni patefiat aditus. Porrò Imperator cum exercitatissimis, peritissimisque Militibus frequentiùs debet obire mœnia, ut videat, qua parte impetum facere, faciliusque in Urbem Milites sui involare possint: quà etiam tor-

menta

menta bellica, machinasq; aptare, fossasque, quibus illæ proximè Urbem adduci queant, collocare valeat: multitudine autem fossarum facilè hostibus timorem incutimus. Ducantur verò fossæ non ad rectam lineam, sed huc illucq; divertant, & vel angulos acutos, vel semicirculum constituant. Et ut machinis ducendis cautiùs prospiciatur, extra angulos crates vimineæ rotundæ (Metellas Vegetius vocat) saxis, terra, centonibusq; plenæ apponi consueverunt. Tum ubi illis murum perfregerint, irruendum est: si difficilior est aditus, aptanda sunt omnia scalarum genera: ac nihil prorsus nostro Imperatori prætermittendum est, quod à Majoribus factum, tentatúmve cognoverit. At verò obsessum Imperatorem in Urbe vel opere, vel natura munita ante omnia providere oportet, ne famem patiantur obsessi: ideoq; in eam rem commeatuum, & annonæ congerenda est copia. Similiter exploranda est hostium consuetudo, quibus horis à labore recedant, quo tempore prandeant, quo item ad curanda corpora, & requiem dispergantur. Insuper in muris diligenter excubias agere necesse est, & sagacissimos Canes in turribus nutrire, qui adventum hostium odore præsentiant, latratuque testentur: Anseres quoque; ii namq; clamoribus, & sibilis adventum Gallorũ in Capitolium indicarũt. Nihilominus

tamen

tamen Imperator vigilias omneis inprimis circuire debet. In quo genere memoratur Iphicrates Atheniensis vigilem, quem dormientem invenit, cuspide transfixisse. Idem fecit Epaminundas Thebanus. Idem quoq; Stephanus Columna Eques Romanus nostris temporibus apud Arelates virili animo fecit. Rursum emittere, & recipere nuncios àliquando opus est: & nonnunquam alia parte bellum exardescens simulare, & simul diversa parte auxilia introducere, & commeatum suggerere. Præterea is noster Imperator prudenter intelligat, quibus modis Proditoribus, & Transfugis occurrendum sit, vel præmijs retinendo, vel debitis pœnis afficiendo. Is quoque ante omnia faciat, ut, quæ deerunt, ijs abundare videatur. Si cum inimicis consultandum est, summoperè cavere debet, ne inter colloquia lædi, aut vulnerari possit. Etenim Josephus à Tito missus ad colloquendum cum Judæis ad Hierusalem graviter in capite sauciatus est. Agrippa etiam Rex cum Gamalensibus conferendo aliquid jussu Vespasiani, ad dextrum cubitum lapide ictus est.

De reliquo, ut ab obsidionis periculis tutior sit, murum è terra aggesta, transversis lignis interpositis, muro adjungere, & propugnacula duplicia facere, valdè proderit: item à propugnaculis frequenteis irruptiones

nes in hostes facere: & si debiliores existant, Milites, qua parte citra periculum ad suos redire possint, latenter constituere. Denuò omnia armorum genera ad defensionem paranda sunt, & Saxa, Ligna, Centonesque ad reficiendos muros. Adhuc Bitumen, Sulphur, Picem liquidam, Oleum incendiarium ad exurēdos hostes, quando muros circumseptos aggredientur, præparare oportet. Demum intelligat Imperator, eum, qui Civitatem ex obsidione eximere, & ab hostibus defendere nesciat, quibus etiam modis illam expugnare, caperéve possit, penitùs ignorare.

Nunc porrò tractanda sunt ea, quæ post bellum facienda sunt ab Imperatore: nam absolutis duabus divisionis partibus, tertium membrum tantummodò restat. In quo videndum est, an res prosperè, an malè cesserint. Si malè, adversa emendare oportet: dubios animos Militum in fide retinere: inter fugiendum pecunias, ac pretiosissimas quascunque res spargere, quæ Victores retardare possint. Item Milites dispergere admonitos priùs, in quem locum convenire debeāt, & congregari. Ita Viriatus Lusitanorum Dux: ita Sertorius copias Romanorum evaserunt. Adhuc pontes rescindere, quà transeundum est, exemplo Horatij Coclitis. Sic manus hostium vitari, & in portum sese reci-

pere, & prælio excedere, laudabile ducimus. Socijs, & Auxiliaribus copijs, quantum poterit, satisfaciat. At licet hic noster Imperator se magis nomen in auxilium, quàm vires ad præsidium avocasse intelligat (quod tamen summoperè cavendum est) veruntamen non penitùs illi sunt negligendi. Si autem victoriam in manibus habuerit, cùm illis, qui bella magno animo aggrediuntur, propositum sit tum acquirere, tum acquisita diligenter conservare, Imperatori omnia in publicam utilitatem facienda sunt. Ideoque reliquiæ belli omnes conservandæ sunt: tum curare debet, ut Captivi diligenter custodiantur. Cui rei utile est, aliquando fingere hostes majoribus viribus aggredi, ac pedem referre: nam eo timore perculsi Milites diligentiùs vigilias agent. Deinde stipendia omnia Militibus persolvenda sunt, prædaque in singulos dividenda, ut superioribus libris exposuimus. Captivos quoque Dominis, qui eos ceperunt, bona fide conservare oportet. Ac licet apud omneis sit communis, observataque regula, ut si quis Captivum in Arcem aliquam pro tutiori custodia adduxerit, non accedente Custodis assensu, eum Custos Arcis, ut suum, vindicare possit: ego tamen nolim eum, qui inter tot bellorum pericula expositus viriliter dimicãs hostem fuderit, vicerit, ceperit, præda

illa

illa tanto parta labore frustrari. Ille sanè mihi plus juris in Captivū ratione captivitatis habere videtur, quàm quivis alius occasione custodiæ. Jura namque bellorum apud nos quibuscunq; Regum, Imperatorúmve constitutionibus antiquiori loco habētur. Nunc verò jam Imperatoris nostri personam altiùs considerantes videamus, ne, dum ille ab hostibus triumphalem victoriam reportaverit, ingratum in se Principis animum subeat: Quod certè quidem fiet, si vel illi quoquo modo suspectus habeatur: vel avaritiæ minima particula interveniat. Siquidem eum Imperatorem, qui victoriam ex hostibus, & inde gloriam immortalem adeptus est, Princeps, qui exercitus curam commiserat, egregijs præmijs, summisque honoribus cumulatum debet excolere. Verùm si aliter contingat, adeoque illi nulla in parte sit satisfactum, ingrati animi vitium censebimus. Id autē identidem usuvenire solet, quoniam (ut ait Tácitus) proclivius est injuriæ, quàm beneficio, vicem exolvere: nam gratia oneri: ultio in quæstu habetur. At verò Imperator, qui Regis, ac Principis gloriam, famamque non parum auxit, Inimicos fortiter superavit, Milites suos majorē in modum ditavit, tantum nomen vel ab ipsis etiam Hostibus consequitur, ut ea victoria non possit non aliquantisper injucunda videri illi ipsi Regi,

vel Principi. Dein accedit humanæ naturæ fragilitas, quæ & ambitione vincitur, & ipsa suæ fortunæ modum statuere nequit. Eò fit, ut, si quid ab Imperatore post adeptam victoriam commissum sit, quod rationis limites transiliat, is facilè calumniandi, ac invidiæ ansam præbiturus sit. Simul verò Princeps jam inde occasionem nactus, apud se omninò constituet vel illum è vivis tollere, vel fama, quæ dudum aures populi pervaserat, gloriaque spoliare, res illius gestas profligare, victoriam non illius, sed Militum virtute natam prædicare: levia quæcunque delicta accusare, & ad extremum nihil prorsum prætermittere, quo honori, famæ, fortunisque omnibus illius detrahi posse perspiciat. Quasi verò alterius scilicet ruinis alicujus honorem multò magis crescere, justum esset. Ita tamen Vespasianus Antonium Primum, ablato illi prius Imperio, ad mortem adegisse memoratur. Quapropter hoc loco prudentissimi Imperatoris officium requirimus, quo calumnias, & ingrati Principis animum effugere queat. Id autem erit, vel confecto prælio post victoriam omni ambitione vacare, nihil insolitum agere, immodicè non efferri: vel duce Fortuna victoriam non aspernari, & multis laboribus, ac periculis gesta gestis sic aggregare, ut futura prioribus, factaque magno illius animo respondeant.

deant. Illud quidem non prorsus inglorium credendum est, à majoribus honoribus, vel dignitatibus ad minores prosiluisse: cùm notum sit, M. Fabio, & Gn. Manilio Consulibus in bello contra Vejentes, & Hetruscos Q. Fabium fratrem Consulis, qui priori anno Consul extiterat, in prælio occisum. Ac licet apud Venetos perpetuò observatum sciamus, ut, qui ad aliquem honoris, dignitatísve gradum ascendit, ad minorem adduci nequeat, nihilominus de dignitatis gradu dimoveri indecorum, & minorem dignitatem retinere, nihil inhonestum existimamus. Pulchrum quippe est, Imperatorem illud Philemonis in promptu habere, nihil esse suavius, nihil denique concinnius, quàm si possit æquo animo ferre convitia, ac molestias. At verò posterius illud non negligendum est. Etenim honore carere apud Epictetum in malis habetur. Idcirco si posteriorem hanc partem eligit Imperator, illius officia erunt, totis viribus contendere, ut omnes intelligant sua industria partam esse victoriam. Adhæc benevolentiam militum conciliare, Tribunos, Centuriones ad se pertrahere: si quos allicere non potest, ab illis sedulò præcavere, arceis, castellaque occupare, & tunc demum beneficiorum immemorem Principem pari voluntate, ingratoque animo insectari. Etenim quemadmodum vulgatum est, Polini-

cem, & Eteoclem inter se discordasse, quòd uterque tyrannidem bonum esse putaret: ita dum Princeps dominari, omniaque in decus suum vertere desiderat: Imperator verò dominatu liberari, & debito honore haud quaquam privari percupit, longissimè absunt à concordia: in quam si reduci nequeũt, & alter in alterius gratiam restitui, posteriora hæc Officiorum genera Imperatori diligentiùs observanda putamus. Caveat tamen, ne humanitatem suam in superbiam, familiaritatem in offensionem, facilitatem in duritiem immutasse ullo pacto censeatur.

Postremo loco de Imperatoris nostri felicitate, & fortuna nonnihil dicendum est. Est autẽ Felicitas apud Philosophos cum virtute quædam operatio: cujus splendor, & magnitudo eam dignitatem consequitur, ut invidiam omnem facilè extinguat. Nam credibile non est, Cyro, & Alexandro post tot res præclarè gestas, toti Orbi imperantibus quemquam invidere voluisse. Et verò quemadmodum locorum diversitates animi prudentiam neque afferunt, neque item auferunt: ita neque felicitatem. Anaxagoras quippe ut in custodia positus quadraturam circuli scribebat, & Socrates venenum hauriens haud dubiè philosophabatur: sic & Poëtæ referunt Tantalum, & Phaëtonta, quanquam in Cœlum ascendissent, in magnas

gnas calamitates incidisse. Videtur ergo felicitas Dei Optimi Maximi munus esse (ut est apud Isocratem) quæ quibusdam summis Viris ad res magnas benè gerendas divinitùs adjungitur. Ea quoque si à virtute, disciplinaque comparatur (ut nonnulli sentiunt) non potest non divinissimum esse præmium. Nam finis Virtutis quiddam divinum esse videtur. Quocirca cur non vehementer illum errare judicabimus, qui ea, quæ & præstantissima sunt, & divina, Fortunæ attribuerit? Atqui plurima eveniunt à Fortuna. In quibus hæc regula à Philosophis statuitur. Sanè si, quæ eveniunt, parva sunt, & exigua, parum admodum humanæ vitæ conferunt. Si multa, magnaque, & prospera, beatam quidem vitam afferunt: sin contrà adversa, maximis doloribus cruciāt: quos tamen generosus vir, ac magnanimus facilè perferet. Veruntamen si Felicitas (ut sentit Aristoteles) est Fortuna Virtuti conjuncta, eam à Fortuna separare non debemus. Atque ideò nobis simul etiam de ea dicendum est. Neq; verò (ut Stoici) negabimus Fortunam esse: neque (ut Epicurei) nihil non Fortunæ, & casui tribuemus, omnia temerè, & fortuitò fieri asserentes: sed divinum quiddam, cujus hominibus caussa ignota est, esse dicimus. Etenim Poëtæ Fortunam esse existimaverunt, cujus arbitrio omnia vol-

vantur, ducanturque. At dum usuvenire solet (id quod ajebat Epicurus) fortunam exiguam adesse sapienti: dumque (ut sentiebat Theophrastus) vitam nostram regat Fortuna, non Sapientia: deniq; quando illud apud omneis vulgatum est, quò minor intellectus, eò major fortuna; quónam pacto fortunam virtute, & industria parari asseverabimus? Hic locus aliquando Peripateticos, Academicosque omneis Philosophos vehementer angebat: nec minùs torquet hodiè Theologos in suis de Fato, & Providentia quæstionibus. Nos verò dum unam Virtutis, & Fortunæ copulam constituimus, sic arbitramur, Fortunam (ut est apud Physicos) non esse ex ijs caussis rerum, quæ per se existunt: sed caussam esse per accidẽs eorum eventorum, quæ fiunt, non propter hoc, neque semper, neque frequenter. Ea licet sortiatur nonnunquam eventus inexpectatos, neque ad certum finem destinatos, & qui non perpetui, aut frequentes, sed omninò rariores accidunt: attamen diligentia, & industria conciliari non dubitamus, juxta illud: Cuique Fortunam fingũt mores sui. Prætereà quemadmodum Natura ipsa Fortunam assequimur (est namque vulgatum illud: Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas) ita etiam arte comparari potest, cùm Ars Fortunam, Fortunaque diligat Artem. Ergo ipsam Fortunam

tunam non opera Virtutis perficere, ſed tantùm operationi adeſſe cenſemus. Quis enim Juſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem, Prudentiam à Fortuna proficiſci aſſeret? Quod inventum commodi, & honeſti poteſt eſſe in vita, ſi Fortuna omnia perficit? Afferétne nobis oculos lucis miniſtros (ut ait Plato) quibus illam in rebus Mortalium planè dominari perſpiciamus? At quemadmodum ſi careamus Sole, perpetuam noctem agimus: ita niſi ratio nobis adſit, qua cuncta regantur, nihil prorſum à brutis differemus. Hanc ſanè non Fortuna, ſed Prometheus furtim ignem nobis è Cœlo rapiens, hoc eſt, Sapientiam, abundè ſubminiſtravit. Igitur is Imperator, qui, quæ optima ſunt, ſibi imperat, & agit, facilè Fortunam conſequitur. Etenim ea ratione non utentibus debet abeſſe, cùm inſipiente Fortunato intolerabilius nihil fieri poſſit. Proptereà apud Heſiodum Prometheus fratri Epimetheo ſapienter præcipiebat, ne dona Jovis cœlo demiſſa acciperet, quæ ad eum non pertinerent: quaſi verò præciperet Muſices indocto, ne Lyram attingeret: & equitandi neſcio, ne equum aſcenderet. Quam obrem Imperator, qui Fortuna, ac felicitate indignum ſe non præſentiet, primùm à Deo felicitatis omnis autore pendére debet. Nam ut eſt apud Poëtam:

Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.

Tum ut Apem cunctis insidere germinibus videmus, & à quolibet commoda excerpere: ita Virtutum omnium avidum Imperatorem nihil intentatum relinquere operæ pretium est, & undecunque utilia colligere. Postremò sic in Fortuna versari oportet, ut illam operibus amplificare videatur. Nam vigilando, agendo, benè consulendo, prosperè omnia cedunt. Cumque (ut est apud Livium) Fortuna animos hominum occæcare soleat, quando vim suam ingruentem refringi non vult, nihilominus Imperator neque, si Fortuna vincatur, minui animo: neque, si vincat, insolescere debet: sed id tantùm, quod didicit, aut consuevit, faciet, & pro temporum diversa mutatione, subinde varietatem efficiet, & se temporibus identidem accommodabit. Ita ubi Fortunam non mediocriter exceperit, illam impensè pertrahet, neque à se paulò magis dilabi patietur. Habes, R. P. Librum Officiorum Imperatoris, mea quidem sententia, sic à nobis conscriptum, ut tibi gratum, acceptumque fore speremus: cui si tantum tribues, quantum poteris, poteris autem, quantum voles, id officiorum onus me suscepisse haudquaquam pœnitebit. Neque præterea ulla mea culpa erit, id potissimùm apud me recepisse, si superioribus libris commodè adjungi debere

bere putaveris. Cùm autem perfectas res egregiè tibi placere intelligam, istud perfecti Imperatoris officium tibi valdè probari non dubitavi. Quod tamen non aliter à me perspectum puta, quàm si ab alta specula planos Campos, aut à planitie lata Montes assurgenteis considerassem: quandoquidem ea, quæ propter conditionis nostræ religionem propiùs spectare non datur, è longinquo tantùm prospicere, nec benè penitùs intueri potuimus. Ego autem summoperè cupio, te tùm Philosophorum sententiis, quæ diligenter à nobis exquisitæ sunt: tùm civilis vitæ regulis, quas incautè negligere noluimus, non minimùm oblectari, & hoc nostrum parvi laboris Opusculum tàm grato vultu excipere, quàm benevolo animo, tuo nomini dicatum in lucem prodire curavimus.

IN-

INDEX VOCUM ET RERUM MEMORABILIUM, QUAE in his tribus libris de privilegijs militum, & libro singulari de officio Imperatoris continentur.

A

Ægy-

INDEX.

Armo-

Cal-

Cogni-

Duci-

E

Excu-

G

Gene-

I

Lace-

L

Lex

Mer-

Mili-

Mili-

Nego-

Offi-

Philo-

R

Redem-

Solu-

T

V

MAN-

MANTISA

Ex libro 1. c. 28. de Jure pugnæ,

Clariss. viri,

Dn. HENRICI BOCERI.

I.

Vtrùm milites nostri temporis veterum militum privilegiis fruantur?

MILITES nostri temporis qui Principibus, Dominis & civitatibus ad honesta & licita bella se obstrinxerunt, & publica merent stipendia, ad signa jurarunt, statuta, leges, consuetudines & usus militares observant, hi omninò veterum militum privilegiis gaudent; præsertim quando sub Romano Principe, hoc est, Imperatore Romano, vel alio, qui superiorem non recognoscit, Domino militant, *Cyn. & Salic. in l. 1. C. de Iur. & fact. ignor. Alex. in l. Centurio, col. 4. ff. de Vulg. & pupill. subst. Bald. in l. 1. §. fin. C. Qui bon. ced. poss. Rom. consil. 306. circa pr. vers. Nec curo, quod iste miles. Vdal. Zasius in tr. substit. c. 5. vers. hæc quæ diximus. VVesenbec cons. 17. n. 32. part. 1. Mynsing Resp 46. n. 9. 10, & 11. Decad. 5. Sichard. in Rubr. C. de Testam. milit. n. 9. Andr. Gaill. 2. Obs 118. n. 2. Ioan. Schneid. ad t. Inst. de Milita. testam. n. 8. Ioan. Vaud: 1. variar. quæst. c. 55.* Militat enim eadem ratio in nostris militibus, ob quam

Roma-

Romanis militibus ſolennitates juris communis remiſſæ ſunt; quæ ratio eſt, ſimplicitas, ignorãtia juris, ſive nimia circa leges imperitia. *l.3. Ibi, Ignorantia iuris propter ſimplicitatem armatæ militiæ. C. de Iur. & fact. ignor. Inſtit. t. de Milit. teſtam. in pr. Ibi, propter nimiam imperitiam.* Cujus ſimplicitatis, ignorantiæ, & imperitiæ cauſa eſt armorum occupatio, quæ facit, ut quod leges præcipiunt, non ſit ocium militibus vel cognoſcere, vel etiam ſi cognoverint, ſuperſtitiosè obſervare. Et certè omnes, præcipuè ſolennitates priſcæ, in probandis & deligendis militibus hodiè obſervantur, quæ olim Stigmatis impreſſio tantùm fiebat tyronibus non aliis, *l. Stigmata, ubi Cujac. C. de Fabricenſib. lib. 11.* Sed poſito, quod ordo & ſolennitas aſſumendi militis antiqua in deſuetudinem magna ex parte abierit, inde tamen effici non poteſt, milites noſtrates veterum militum privilegijs non gaudere. Quemadmodum enim pleræq; conſuetudines antiquitus obſervatæ, temporis ſucceſſu mutantur, & una aliam ſequitur, nec tamen negocia ipſa ab uſu per eam mutationem removentur, ſed omninò manent: ita quoq; licet conſuetudo deligendorum militum antiqua ex parte aliqua ſublata eſſet: tamen cum hodiè milites noſtri ſuas habeant ſolennitates, non minùs quàm veteres olim habuerunt, quæ in locum priſcæ obſervantiæ ſucceſſerũt, manſit ſa-

sit sanè militum ipsorum usus, & nihil hodiè in effectu nostri milites ab antiquis Romanorum militibus differunt, *Bald. in l.1. in fin. C. Qui bonis cedere poss. Mynsing d. Resp. 46. n. 11. Decad. 5.* Estq; nostrorum militum etiam hodiè ob armorum occupationem eadem juris ignorantia, eadem quoque sustinent pericula, idemq; publici belli mansit finis, propulsatio scilicet hostis, vel recuperatio rerum ab hoste ablatarum; quare idem meritò jus remanere debebit, *l. Decreto. 15. C. Ex quib. caus. infam. irrog. l. Ordo. 8. ff. de Public. Iudic.* Et per consequēs milites nostri temporis veterum militum privilegijs gaudent, *VVesenb. d. Consil. 17. nu. 32. part. 1. post Fabr. in Rubric. Instit. de Militari testam. n. 3. & Bauer ibid. n. 10.*

II.

Vtrùm milites limitanei & stationarij privilegijs militum gaudeant?

Hi quoq; juris communis vinculis exemti sunt, iisq; militum privilegia competunt. Sive enim ordinem & solennitates deligendi milites spectes, sive spectes causam, ob quam ceteris armatis militibus privilegia tributa sunt, nihil esse discriminis inter hos limitaneos & ceteros armatos milites, sine negocio videbis. Certè ipsis militares articuli proponuntur: militare sacramentum præstant: referuntur in numeros: disciplina militari regun-

reguntur. Quis ignorat, eos in expeditionibus, & quidem contra hostem Imperij occupatos esse, & à numeris suaq; statione discedere impunè non posse? Quocirca cùm studium & exercitium armorum causa sit, cur simplices esse, & jus ignorare dicantur milites, *l. ult. in pr. C. de Iur. delib. d. l. 1. C. de Iur. & fact. ignor. l. Regula. 8 §. Si filiusfam. ff. Eod. t.* ipsaq; simplicitas, & juris ignorantia facit, ut milites juris communis vinculis subjecti non sint, *l. 3. C. de Testam. milit.* & proinde privilegium ipsis tribuat, ut quo modo volent, & quo modo poterint, testamenta faciant. *l. 1. ff. de Testam. milit. l. 3 C Eod. t. Instit. de milit. testam. in pr.* Immeritò sanè milites limitanei à privilegijs ceterorum militum arcentur: quippe cùm eadem ratio idem quoque jus constituat, & diversitatem non admittat. *l. Illud. ff. ad L. Aquil. l. A. Titio. ff. de V. O. cum similibus.* ac nusquam in jure nostro limitaneis militibus privilegia militum denegentur. Proinde cùm juris auctores generaliter privilegia tribuant, militibus armatis, in expeditionibus occupatis. *d. l. pen. C. de testam. milit. & l. 1. ff. Eod.* legislationes illæ exaudiri quoq; debent de militibus limitaneis, tum quòd revera milites sunt, tum quòd in expeditionibus sunt occupati, & iccircò jura ignorare præsumuntur. *Cyn. in d. l. 1. quæst. 6. C de Iur. & fact. ignor. & ibi Salicet. Vdalric. Zasius in tr. Substitut. c. 5. Mynsing. in d. Resp. 46. n. 11.*

46.n.11. Decad. 5. VVesenb. Consil. 17. part. 1. Diss. *Viglius Zuichemus ad §. Illis autem temporibus, n. 2. Instit. de Militari testamento, & eum secutus Andr. Gaill. 2. Obs. 118. n. 13.*

III.

An milites stationarij, qui in propugnaculis Principum & Dominorum stipendia merent, so auff der Fürsten vnd anderer Herren Vestungen in der Besatzung ligen / *privilegijs militum gaudeant?*

Horum quoque militum conditio similis esse videtur ceterorum militum conditioni. Quando assumuntur, certi ipsis articuli proponuntur, Der Articuls Brieff wirdt jhnen vorgelesen: Sacramentum militare præstant, quod ad arma contra irruptionem & impetum hostis expedienda semper parati, & malum hostile, manu militari, etiam cum vitæ periculo, ab ipso propugnaculo arcere velint: in expeditionibus occupati sunt, & absque venia capitanei sui impunè à sua statione discedere non possunt. Et deniq; militari disciplina reguntur. Videntur ergo & illi militum privilegijs gaudere posse. *Latè & eleganter Clariss. Dn. Bocerus d. sup. loco.*

F I N I S.

[illegible]

III

[illegible]